
Sultan Mehmed II, the Conqueror
Ex Libris
George Crews Mc Ghee
United States Ambassador
to Turkey

NICOLAI SCHMITTH E SOC. JESU,

IMPERATORES OTTOMANICI

A CAPTA CONSTANTINOPOLI,

CUM EPITOME

PRINCIPUM TURCARUM.

TOMUS I.

IMPERATORES OTTOMANICI

A CAPTA CONSTANTINOPOLI, CUM EPITOME PRINCIPUM TURCARUM.

A P. NICOLAO SCHMITTH, E SOCIETATE JESU

CONCINNATI.

TOMUS PRIMUS.



TYRNAVIÆ,

TYPIS ACADEMICIS SOCIETATIS JESU,
ANNO MDCCLX.

DUM
ASSERTIONES
EX
UNIVERSA PHILOSOPHIA
IN ALMA,
AC
CELEBERRIMA
ARCHI EPISCOPALI
SOCIETATIS JESU
UNIVERSITATE TYRNAVIENSI

Anno Salutis M. DCC. LXI. Menſe Auguſto, die
publice propugnaret

ILLUSTRISSIMUS, REVERENDUS, AC PERDOCTUS DOMINUS

FRANCISCUS DE PAULA L. B. DE RÉVA, Perpetuus in Sklabina, & Platnicza, Ung. e Com. Thurocz. AA. LL. & Philoſ. Baccalaureus, ejusdemque pro ſuprema Laurea Candidatus, Semin. Mariano-Szelepcséniani Convictor, Archi-Diœc. Strigonienſis.

EX PRÆLECTIONIBUS

A.R.P. LADISLAI HEGEDŰS, e Soc. Jeſu, AA.LL. & Philoſ. Doctoris, ejusdemque Prof. Publ. Ord.

A.R.P. MICHAELIS HORVÁTH, e Soc. Jeſu, AA. LL. & Philoſ. Doctoris, Ethices Profeſſ. Publ. Ord.

A.R.P. JOSEPHI KENYERES, e Soc. Jeſu, AA. LL. & Philoſ. Doctoris, Matheſeos Prof. Publ. Ord.

AUDITORIBUS OBLATI.

CELSISSIMO

S. R. I. PRINCIPI

PAULO

ANTONIO

ESZTERHÁZI

DE GALANTHA,

AUREI VELLERIS EQUITI,

PERPETUO COMITI IN FRAKNO,

Inclyti Comitatus Soproniensis Supremo, ac Perpetuo Comiti, utriusque Sacræ Cæsareæ, & Regiæ Apostolicæ Majestatis Consiliario Actuali Intimo, Generali Campi Mareschallo, unius Regiminis Equestris Ordinis Hungarici Colonello, nec non Cubiculariorum Regalium per Hungariam Magistro, &c. &c.

MECŒNATI

AC

PATRONO

BENIGNISSIMO.


CELSISSIME

S. R. I.

PRINCEPS,

MECŒNAS & PATRONE

BENIGNISSIME!



Ndulgebis, opinor, pro TUA *Facilitate,* CELSISSIME PRINCEPS, *ut me hodie potissimum præcone boni omnes exploratum intueantur, quis, quantusque semper vixeris; vixeris autem? immo hodiedum, Superum favore, vivas, qui Philosophicas Positiones meas vita, si ita loqui fas est, nobiliore animas, dum illas Nominis* TUI *amplissimis dignaris honoribus. Et quamvis Avita Excelsi animi* TUI *decora nemo unus facile sit, qui ignoret; jure tamen præcipuo ad me pertinere videtur, ut Majorum* TUORUM, *qua possum, percenseam Ornamenta; quippe, qui & omnem pene*

pene ætatem beneficentia TUA *egi*, *Domi* TUÆ *Adolescens Avorum* TUORUM *Ceras demiratus*, *subinde Ephœbi vice Legatum secutus Neapolim*; *ac etiamnum jam adultior beneficiis* TUIS *vivam. Quamquam qui percensebo ornamenta* TUA *&* *pulcherrima & plurima? Majora illa sunt*, *quam ut intra arctos adeo limites constringi queant*; *ampliora*, *quam ut exigua hac dictione concludantur. Ne tamen penitus taceam & gratitudo in* TE *mea*, *quam per omnem vitam profitebor*, *&* TUA *in me Pietas*, *Beneficentiaque exigunt.*

Atque ut de Majoribus TUIS, *& vel ideo de* TE IPSO *eloquar*; *satis dixero*, *si dicam*, *quod ora omnium loquuntur: Majores* TUOS *semper Maximos fuisse*; TE *vero Magnis* TUIS *Majoribus & Christiana*, *spectatissimaque Pietate*, *& belli gloria*, *& pacis studio*, *ac incredibili in omnes comitate ac mansuetudine*, *omnibusque virtutibus præclarissimis parem esse. Vivunt in* TE *illi*, *fulgent in* TE; *videntur in* TE *dum aspiceris*, *laudantur*, *dum laudaris: Adeo Pietatis Illorum in Superos*, *in Regem*, *in Patriam vivam fers Effigiem. Felicia sane tempora*, *dum in* TE *ea redeunt*, *quibus Progenitores* TUI, *Magni Patriæ Patres*, *Numinis Maximi gloriam*, *Regum*, *ac Regni salutem ad insigne Posteritatis exemplum summa cum laude procurarunt. Sed hæc fortasse non ita* TIBI *Uni propria sunt*; *ut non quædam etiam*, *universa* ESZTORADUM *Domus latissime omnino diffusa*, *& in omni Republica mire effulgens sibi vendicet. Sunt alia non pauca*, *quæ* TUA *Unius sunt ante cæteros. Atque*

impri-

imprimis dum DEI Immortalis gloriam pulcherrimo Majorum TUORUM *exemplo auctam abs* TE, *amplificatamque commemoro, illam intelligo sincerissimam pietatem, qua & rebus divinis opportunitatem facis maximam, & viros provehendæ Religioni destinatos mira beneficentia complecteris. Loquuntur istud, ut ne nimium vetera præcellentis istius studii* TUI *adferam monumenta, loquuntur illi, quos nuper in præcipuam Principatus* TUI *sedem incredibili miserorum gaudio, ingenti certe omnium approbatione intulisti,* TUIS *ibi augendos, & ornandos beneficiis. Quis vero non prospicit, quæ inde in omne hominum genus redundatura sint commoda, qui fructus subinde consecuturi? omne certe, quod inde in miseros promanabit beneficium,* TE *prædicabit Authorem,* TUAM *Principis Pietatem celebrabit, nihilque* TUIS TE *Majoribus egisse minus, omni Oratore facundius, feliciusque comprobabit. Non erat* TIBI *satis, quod summa in egenos esses Clementia, & miseratione; ut alii item sint veluti Pietatis* TUÆ *simulacra, sapienter non minus, quam pie providisti.*

Rei vero divinæ opportunitates, quis ita TUIS *in rebus hospes esse potest, qui nesciat sumptuosissime abs* TE *fuisse procuratas? Enimvero etsi ipse* TUÆ *Modestiæ potius, quam meis in* TE *studiis obsecutus, silentio prætercam insignes* TUOS *in ornandis rebus divinis conatus; illud prodigiis omni Ungaria celeberrimum Magnæ Dominæ Sacrarium, quod Paterna assiduo foves beneficentia, & ii ipsi, quorum curæ commendasti, singularem* TUAM *in cælum liberalitatem deprædicabunt. Atque ita existi-*

 mo,

mo, neminem has Gratiarum Divinarum Sedes aditurum, cui continuo in mentem non veniat: ESZTORADUM *flagrantissimæ Pietati potissimum deberi, quod veneranda illa Angelorum Reginæ Effigies ad tantam omnium Gentium Religionem inclaruisset. Nimirum neque hic concedere Majorum* TUORUM *virtuti fas esse ducebas. Qui ardentissimum hunc in Magnam Ungarorum Dominam amorem ita Genti Suæ proprium effecerunt, ut merito Magni Magnæ Matris Cultores omnium ore celebrentur. Missa facio alia sanctissimi illius ardoris argumenta nunquam satis celebranda; cum eum* TE *esse norim, cui non laudari a factis, sed laude digna facere in votis semper fuit.*

Jam TUA *in Regem, in Patriam studia tanta, tam illustria sunt, ut merito dubitare possimus, an in Toga, vel Sago majora pro utriusque salute edideris facinora. Provincia, cui summa cum potestate praees, bene in se factorum non potest non meminisse. Neapolis quoque testis, in qua Legatus* AUGUSTISSIMÆ DOMINÆ, *quantum rebus ejus emolumentum addideris, quantamque exquisito ad omnem Pompam apparatu Nomini Hungarico pepereris gloriam, infimi juxta, ac summi grati hodiedum recordantur. Quantus sis* AUGUSTISSIMÆ DOMINÆ *Judicio, testatum ipsa fecit, quæ* TE *& negotiorum suorum arbitrum, & Intimorum Consiliorum conscium esse voluit. Bello autem quanta, quam gloriose gessisti? Certe Superioris Borussici Belli sine novo dolore neque sustineremus memoriam, nisi illius felicissime confecti gloriam multa sui parte* TE *quoque respicere*

com-

compertum haberemus. Quo vero sive gratitudinis sive laudationis genere prosequemur, singularem illum TUUM *in Regem, & Patriam amorem, quo incitatus, fortissimam æque, ac florentissimam Equestrem Legionem* TUIS *impendiis suscitatam velut cumulum ad ingentia* TUA *merita adjecisti? Quidni hæc aliaque comprobent priscam illam in* TE ESZTORADUM *vigere virtutem? quidni fortissimorum Patriæ Pugilum omni laude dignissimum esse* TE *æmulatorem? Quidni dignissimum Tantis Nepotem Majoribus? Ita nempe res nostræ habent,* CELSISSIME PRINCEPS: *Nunquam Heroum excelsæ virtutes latere possunt.*

Verum & illud, quod res meas propius attingit, palam hodie faciendum superest: Mirifica videlicet illa in clientes Benevolentia, quam, missis sexcentis aliis, in me solo, nisi summa esset, prope eras exhausturus. Gentilitia hac veluti CELSISSIMÆ DOMUS TUÆ *virtute ita singulorum, aut levandis incommodis, aut commodis etiam provehendis subvenire soles, ut si alia in* TE, *quanquam id fieri omnino nequeat, desideraremus argumenta, hoc unum Excelso Nomini* TUO *ad immortalitatem transmittendo apprime suffecturum videretur. At injurius sim Munificentiæ* TUÆ, *si id silentio præteream: me nempe id prope unum, quod vivam, Genitoribus meis tribuendum perbene nosse; cætera vero vitæ melioris seu adjumenta, seu ornamenta* TUÆ *unius Benevolentiæ semper debiturum. Quod ut pro viribus meis, quas quidem pro tantis in me beneficiis exiles esse, & prope dixero nullas, non diffiteor, magis*

etiam

etiam magisque faciam testatum, TIBI, *Inclytorum Heroum non minori Nepoti*, CELSISSIMOQUE *Nomini* TUO *Ottomanicam hanc Historiam*, TUORUM *multo & ampliorem Gestis, & Illustriorem Sanguine, sacratam esse & optavi, & benignus indulsisti. DEUS O. M. incolumem* TE *in seram ætatem pro Religionis, Regis, ac Regni emolumento, Clientumque* TUORUM *felicitate præstet.*


ITA VOVET

CELSITUDINIS

TUÆ

Infimus Cliens

FRANCISCUS DE PAULA L.B. DE RÉVA.



EX LOGICA.

I. IDea est repraesentatio, ac imago quaedam objecti. Ideae Intellectuales non distinguuntur a Perceptionibus, nisi solum ratione nostra. Illae dum reipsa simplices sunt, falsae esse nequeunt. Complexae & verae & falsae esse possunt. II. Judicium non componitur ex ideis attributi & subjecti, convenientiaeque vel disconvenientiae eorum; sed est actus simplex distinctus mentis, quo ea assentitur, vel dissentit; neque est actus voluntatis, verum Intellectus. III. Intellectus, quando illi solum convenientia vel disconvenientia attributi cum subjecto proponitur, non pendet a voluntate quoad speciem judicii. Quando vero & convenientia, & disconvenientia ex diversis rationibus eidem suadetur, pendet quoad speciem judicii a voluntate. Propositiones aliquid contingenter futurum enuntiantes sunt in se determinate verae vel falsae. IV. Datur apud homines multiplex scientia. Criterium veri cum Leibnitzio recte triplex statuitur: Evidentia nempe Intellectus, evidentia sensuum, evidentia Authoritatis. V. Methodicum Cartesii dubium, seu per illud intelligatur dubium serium ac positivum, seu suspensio judicii ad tempus, non est necessarium Philosopho universim ad aquirendam scientiam: primo modo acceptum saepius nec assumi potest.

EX METAPHYSICA.

VI. PRaeter Omnipotentiam DEI tanquam externam rerum possibilitatem, datur earundem possibilitas etiam interna; quae consistit in concordia attributorum essentialium. VII. Existentia rerum ab essentia actuali in re non distinguitur, sed sola nostra cogitatione; neque ab essentia pure possibili quoad rem; distinguitur tamen quoad statum. Omnia accidentia sunt solum modi substantiarum. Hinc nulla dantur accidentia absoluta. VIII. Potentia agendi convenit etiam proprie entibus creatis. Atque etiam causae materiales proprie agunt; sed solum ut causae instrumentales. Hae simpliciter nequeunt agere in subjectum distans. Actiones causarum nec consistunt in entitate aliqua, nec in respectu resultante ex entitate causae, actu primo proximo, & prima effectus existentia; sed in diversis pro diversa actionum ratione. IX. Creatio causis creatis nec quidem, ut instrumentalibus causis convenire potest. Neque eductio ullius entitatis ex mente scholasticorum illis est tribuenda. X. Mundus est ex nihillo productus a DEO in tempore; ideoque non est aeternus. Habet is omnem perfectionem ad finem a DEO intentum necessariam; hinc secundum se, & in suo genere est perfectus. XI. Duratio est continuata & permanens rei existentia. Tempus saltem apparens & relativum est ordo & series successionum. Locus corporum internus & absolutus est spatium ab ipsis occupatum. Locus vero secundarius & relativus est certus situs & respectus corporum ad alia corpora. XII. Spatium omni omnino corpore destitutum vacuum dicitur. In mundo hoc non datur actu vacuum coacervatum; neque est possibile naturaliter; extraordinaria tamen DEI voluntate fieri potest, ut illud detur. Vacuum vero disseminatum multo probabilius est dari in hoc universo. XIII. Existentia Angelorum certa est ex Sacris Literis. Angeli tam boni, quam mali aliquid potestatis in res mundanas obtinent; inde dantur vere Energumeni, Spectra, Magiae. XIV. Mentem in nobis existere, quae sit Principium cognitionum & volitionum, certum est. Mens humana substantia mere materialis esse non potest; sed est spiritus, sive substantia excellentior omni corpore, intelligens, & volens, ac naturaliter indefectibilis immortalis. XV. Unio animae cum corpore, atque commercium non recte explicatur in systemate Occasionalistarum, aut Malebranchiano per corpus, Animam & legem a DEO sibi impositam affectiones certas efficiendi in alterutro occasione affectionem alterutrius. Neque in Systemate Harmoniae praestabilitae Leibnitzii. Verum in hoc commercio admittendus est influxus physicus corporis in mentem, & mentis in corpus ea ratione, ut mens in corpore producat, efficiatque omnes motus voluntarios: corpus vero animam determinet ad certas affectiones aliquo modo reapse. XVI. Ideae innatae menti neque si pro actuali rei notione sumantur, neque si per eas formae ac imagines rerum a perceptionibus distinctae intelligantur, admittendae sunt. Verum Ideas omnes sibi efformat Mens ipsa partim dependenter a sensu, & phantasia, partim dependenter ab attentione, reflexione supra ideas prius habitas, consociatione, divisione, conjectura, ratiocinio. XVII. Mens non sentit in singulis membris, sed in solo cerebro; ac sentit impressionem in cerebro factam immediate percipiendo. Sensus communis est facultas mutationes omnium sensoriorum prout in communi quodam sensorio conveniunt, cum discretione earum, percipiendi. Locus sensorii communis probabiliter est pars callosa cerebri. Atque in hac parte praecipua sedes est Animae; non vero in alia; neque in toto corpore. In Anima humana extat libertas a coactione, simulque indifferentiae. XVIII. Bruta vera cognoscendi facultate praedita sunt, motus suos spontaneos habent, affectibus aguntur; aliquo etiam imperfecto ratiocinio, obvia ex obviis inferendo pollent: idcirco anima spiritualis, imperfectior tamen multo ex natura sua animabus humanis, defectibilisque illis est tribuenda. XIX. Existentia DEI, Ejusque unius argumentis plurimis evincitur.

EX PHYSICA GENERALI.

XX. ESsentia corporis physici universe spectati non potest constitui in actuali impenetrabilitate, nec in trina extensione, nec in ordine ad materiam, nec in divisibilitate, nec in mole quantitativa, nec in sensibilitate per accidens; sed essentia ejus, prout illud nobis notum est, recte videtur

posse constitui in eo: quod sit substantia exigens naturalem impenetrabilitatem. XXI. Principia sensibilia prima corporum sunt elementa physica; secundaria vero sunt 5, elementa chemica. Insensibilia denique corporum principia sunt materia prima & forma. Materia prima in sensu physico accepta sunt corpuscula exilissima, impenetrabilia, & quoad entitatem probabilius homogenea. Forma autem ea ratione considerata apte reponitur in certa particularum combinatione, plexu, temperatione, ac motu, ex quibus diversus status sensibilis, diversæ qualitates, & operationes resultant. XXII. Quantitas corporum est ipsa actualis illorum extensio ab ipsis corporibus non nisi modaliter distincta. Vis inertiæ, seu virtus quædam peculiaris innata corporibus, qua in statu motus aut quietis se conentur conservare, & causis externis ex eo statu deturbare nitentibus resistant, non datur ulla. XXIII. Vis attractiva, si accipiatur pro phænomeno ipso accessus ad se corporum; non recte causa effectuum statuitur; si autem pro aliqua actione causæ ignotæ; per eam non redditur causa phænomenorum, nihilque penitus explicatur; si pro vi aliqua interna & pro actione vera profecta ab illa vi; explanantur effectus per eam ita dilucide, sicut aliquando per qualitates & vires occultas explanabantur. XXIV. Gravitas corporum, quæ omnibus telluris nostræ corporibus competit; nón recte explicatur per vim gravificam corporibus ex natura inditam; neque per atomos hamatas & uncinatas Gassendi e terra erumpentes; neque in sententia eorum Newtonianorum, qui contra ac Newtonus senserit, vim proprie se attrahendi corporibus tribuunt; neque per motum vorticosum materiæ cælestis ab occasu in ortum; neque per pressionem rectilineam ætheris, sive a peripheria versus centrum, sive a centro versus peripheriam; adeoque per nullam materiam secundum leges nobis adhuc notas agentem. XXV. Probabile est cohæsionem firmorum oriri ex contactu immediate in majusculis superficiebus molecularum varie inter se plexarum, & permixtarum, & ætheris jugi in eas pressione: Cohæsionem autem fluidorum ab exili molecularum contactu, ætherisque in illas pressione. XXVI. Elasticitas corporum habetur præcipue ab æthere inter particulas corporum moderate duras, rigidas; & flexiles compressione, aut tensione constricto, tum vero cessante vi externa motu suo se partem in omnem expandere nitente. XXVII. Motus corporis est ejus de loco in locum fluxu continuo facta migratio. Motus omnis inchoati causa vel immediata vel mediata est spiritus. Motus vero continuati in corporibus non est vis inertiæ; sed impulsus ille, qui corpora ad motum determinat, ita ut ad motum suum prosequendum corpora accepto semel impetu nulla alia causa secunda opus habeant. XXVIII. Causa motus refracti est major aut minor medii, quod corpus oblique subit, resistentia. Reflexi motus causa non est solus ille impulsus sive impetus, quo in obicem impingit corpus; sed in perpendiculariter reflexis est sola elasticitas vel corporis impingentis, vel obicis, vel utriusque; in oblique autem reflexis elasticitas & motus directus. XXIX. Communicatio motus aliis legibus peragitur in elasticis, aliis in non elasticis. Motus in corporibus nobis notis communicatur successive. Impedimenta motus præter corpora firma sunt resistentia medii, & affrictus. Corpora gravia quamcunque ponderis ac massæ ad se invicem habeant rationem: In vacuo Boyleano pari velocitate decidunt, gravia in minoribus ad minus distantiis habendo motum suum accelerant, ut progressionem numerorum imparium ad sensum proxime æmulentur, causa hujus accelerationis repetitur ex gravitate, & natura motus. XXX. Vires centrales dicuntur, quæ corpus in gyrum actum vel repellunt a centro motus, vel ad illud compellunt; vis centrifuga in corporibus habetur a quantitate motus ipsis a potentia movente versus certam plagam communicata. Vis vero centripeta ab obice, corpus in plagam, ad quam determinatum est, moveri prohibente, aut etiam motu suo versus centrum repellente. Ad mechanicam opus est scientia staticæ. Hæc dividitur in geostaticam & Hydrostaticam. Machinæ omnes vel pertinent ad vectem, vel ad planum inclinatum. XXXI. Fluida ponderosa premunt sibi subjectas partes æque deorsum, sursum, ac ad latera. In vasis uniformibus perpendiculariter erectis premitur tota basis a toto fluido, pars vero baseos a columna directe sibi incumbente. In differentibus vasis si fluida sint homogenea, pressio vel est in ratione altitudinum, vel basium, vel in ratione composita basium, & altitudinum. In heterogeneis spectanda est gravitas fluidorum, basis, & altitudo. Componunt se fluida tum homogenea, tum heterogenea ad æquilibrium at diversis legibus. XXXII. In tubulis capillaribus ascensus fluidorum supra libellam videtur repeti posse ab adhæsione ad latera vitri, & minori aliqua aeris in tubulum pressione, & quadam etiam actione ætheris. Suspensio vero mercurii in barometris fit per æquilibrium columellæ aereæ in eandem cum mercurio basim prementis. Corpora solida, demersa in fluidum componunt se ad æquilibrium cum partem fluidi ejusdem secum gravitatis extrudunt. Hinc sunt libellæ hydrostaticæ. Ad motus intestinos pertinet rarefactio, condensatio, putrefactio, fermentatio, effervescentia, solutio, præcipitatio, fusio, incinerato &c. Rarefactio habetur ab ingressu, aut motu corpusculorum vi aliqua impulsorum, quæ suo motu moleculas a se separant, dividunt, sicque majus volumen efficiunt. Condensatio ab omni vi motuque corporum moleculas contra se invicem urgente, particulas intra se constringente. XXXIII. Calor corporum, ut est in objecto, situs est in motu celeri vibratorio in omnem partem, ac expansivo exilissimarum insensibilium partium. Frigus vero in quiete respectiva partium minimarum insensibilium corporis frigidi. Glacies non fit per particulas salinas, & nitrosas corpus glaciatum suo ingressu figentes; sed per quietem respectivam majorem molecularum se invicem contingentium. Fluiditas corporum per particulas exilissimas sphæricas vel quasi sphæricas, dissociatas, se nonnisi in exilibus punctis contingentes. Humiditas per particulas mediocriter viscosas, & tenaces, aut etiam per particularum fluidarum aptitudinem ad subeundos poros, & adhærendum corporibus: siccitas per contraria. XXXIV. Sapor, ut est in objecto situs est in particularum præcipue salinarum corpus sapidum constituentium humore salivæ solubilium certo motu: & actione. Odor ut est in objecto, positus est in effluviis subtilissimis præcipue sulphureo mercurialibus ablatis per aerem a corporibus, quæ, ubi cum eo, tanquam vehiculo, narium cavernas subeunt, harum fibrillas nerveas variis modis impellunt, & commovent. XXXV. Sonus, ut est in corpore sonoro positus est in motu tremulo exilissimarum & insensibilium partium corporis sonori. Ut vero sonus est medio, consistit in tremulo ac oscillatorio motu aeris analogo motui tremulo corporis sonori. Propagatur sonus ea lege, ut æqualibus temporibus æqualia spatia percurrat. Magnitudo soni in ipso medio habetur a pluribus aeris particulis motu tremulo motis, & a majoribus earum vibrationibus. Echo habetur per reflexionem soni directi ab aliquo obstaculo. Augeri potest sonus condensatione aeris, radiorum sonororum reflexione, ipsorum obstaculorum egregia elasticitate. XXXVI. Lux sita est in motu rapido, & concitato, quo particulæ corporum subtilissimæ a centris ad peripheriam creberrime oscillant: Lumen non consistit in effluviis quibusdam substantialibus e corpore lucido emanantibus; sed in motu vibratorio rectilineo ætheris a vibrationibus partium exilissimarum corporis lucidi effecto. XXXVII. Diaphana corpora sunt per eam

par-

partium dispositionem, qua luminosos pulsus per poros rectilineos aut per ipsas particulas sive immediate sive mediante æthere transmittere, atque transferre queunt. Opaca sunt, quæ hac dispositione carent. Reflexio fit ea lege, ut angulus reflexionis æqualis sit angulo incidentiæ. Hinc diversæ leges reflexionis sequuntur, tum in speculis concavis, tum convexis. Refractio fit ea ratione, ut e medio rariore in densius oblique incidendo lumen deflectat ad perpendiculum: e densiore autem in rarius veniendo a perpendiculo. Refractiones variis legibus peraguntur in vitris planis, aut convexis, aut concavis. Distractio luminis est aberratio radiorum a linea recta circa corpora opaca. Causatur per atmosphærulam corporibus circumfusam. XXXVIII. Color ut est in objecto, consistit in certa magnitudine, figura, situ, ac textura molecularum pororumque certa dispositione. Ut est in medio consistit in varia radiorum luminis vibratione, & pulsu a corporibus coloratis effecto. Color albus habetur ab omnis generis radiis luminosis in oculos reflexis. Medii colores non consistunt in combinatione motus circularis particularum & motus recti. Neque in varia mixtione lucis, & umbræ. Neque in simplici radiorum reflexione; neque in particulis, quæ in se sint determinati coloris, & efficientes tantum perceptionem certi coloris: sed congrue explicantur colores hi per hoc, quod particulæ corporis certo modo dispositæ a luce incidente in proprium sibi motum oscillatorium excitentur, tum similes motus & pulsus ætheri communicent.

EX PHYSICA PARTICULARI.

XXXIX. IN Systemate Tychonico phænomena physica, & astronomica omnia explicantur, at multa faciliori via in Systemate Copernici. Planetæ omnes sunt ad sensum figuræ sphæricæ. Sol constat partibus heterogeneis, potissimum tamen igneis. Cæteri planetæ sunt corpora densa, opaca, suum lumen a sole habentia. Maculæ solis sunt exhalationes illius. Maculæ perennes Lunares sunt partes Lunæ planiores reflectendo lumini minus idoneæ. Variabiles maculæ videntur esse umbræ montium. XL. Ecclipsis Solis fit per interpositionem diametralem globi lunaris inter Solem ac terram, solumque in ea parte horizontis, in quam umbra, vel penumbra Lunæ incidit: neque fit nisi in novilunio. Lunæ autem ecclipsis fit per hoc, quod ipsa in umbram terræ incurrat. XLI. Stellæ fixæ sunt corpora lucida soli similia, propria luce fulgentia. Asterismi nunc numerantur 76. De magnitudine, distantia, numero fixarum nihil definiri potest. Cometæ sunt probabilius stellæ errantes mundo coævæ. Cauda cometarum sunt subtiles quædam exhalationes ex nucleo eorum per solis radios incalescente erumpentes, atque in partem a sole aversam propulsæ. Astra non influunt in sublunaria præterquam actione suæ lucis. XLII. Globus terraqueus est circumdatus Atmosphæra complectente præter aerem diversos vapores, & halitus. Causa ascensus diversorum corpusculorum in atmosphæram est ipsa impulsio & motus constans ætheris, aeris, levitas specifica molecularum attenuatarum, adhæsio earum ad particulas aereas, expansio ipsarum, & majuscula superficies, ignes centrales. XLIII. Hæc atmosphæra, ac fluidum, in quo vivimus, secundum sensum vulgarem solum aer est. Purus aer est corpus a congerie vaporum & exhalationum distinctum, egregie fluidum, subtile, constanter elasticum, multum porosum, pellucens, vehementer compressibile. Aer non tantum impurus, sed & purus gravis est. Ventus est fluxus aeris concitatior; causa ventorum est turbatum æquilibrium aeris, quod efficiunt: Sol sua actione, nubes præcipitatæ, effervescentes halitus, incendia, ignes subterranei, erumpentes e cavernis halitus. XLIV. Ignis elementaris est corpus subtilissimum, fluidum, per omnia diffusum ab æthere probabilius indistinctum. Vulgaris ignis est congeries particularum sulphurearum, & aliarum ab igne elementari motu vibratorio vehementer exagitatarum. Præcipuum hujus principium est sulphur. Fulmina, ut plurimum in nubibus generari solita, Fulgura, Bolides, Stellæ cadentes, trabes ignitæ, Dracones, columnæ, stipulæ, ignes fatui oriuntur ex diversis halitibus, ac particulis sulphureis, salinis, bituminosis condensatis effervescentia inflammabilibus. Tonitru est vehemens impulsus, & tremor multiplex aeris a fulmine effectus. XLV. Auroram Borealem probabilius efficiunt tenuiores quædam, ac rariores exhalationes in superiore Atmosphæra fermentantes, effervescentiaque facile inflammabiles, Iris, seu arcus coloribus prismaticis distinctus in nube roscida apparens fit per radiorum solarium refractione separatorum in oculos nostros rflexionem. XLVI. Aqua sunt corpuscula exilia majora particulis ignis elementaris, minora aereis non compressis, lævia, rotunda, rigida, figuræ suæ tenacissima; hinc secundum suas particulas probabilius nulla vi mechanica est compressibilis. Nebulæ, Nubes sunt congeries halituum, & vaporum potissimum frigore, aut aliis ex causis condensatorum. Pluviæ, ros, pruina, nix, grando oriuntur maxima parte ex vaporibus collectis, diversis tamen rationibus. XLVII. Terra constat probabiliter particulis cubicis, aut ad cubum acedentibus. Figura telluris nostræ saltem ad sensum rotunda est. Hanc propius superficiem constituunt: præter aquas, terra varia, succi diversi, mineralia. Causa motuum terræ est subita vehemens inflammatio diversorum halituum sulphureorum, bituminosorum, salinorum, expansio, ac refractio ingens aeris, ac vaporum in cavernis & meatibus subterraneis. XLVIII. Electricitas corporum tum Idioelectricorum tum symperielectricorum habetur a fluido quodam subtilissimo per omnia corpora diffuso; quod videtur esse ignis ipse elementaris particulis sulphureo-acidis permixtus, qui pro varia in corporibus dispositione ad motum effluxumque varie concitari possit. Phænomena Electricitatis utcunque explicantur per effluxum materiæ illius Electricæ, refluxumque ejus aut repulsionem. Lapides multi magna cum metallorum parte corpora mundo coæva sunt. XLIX. Fontium diversorum diversa est origo. Alii ex pluviis, nivibus solutis, ac vaporibus copiosis deciduis, alii ex maribus ortum suum ducunt. Aquæ salsæ item minerales spirituosæ & corporeæ evadunt per particulas salium, metallorum, semi-metallorum, succorum macrorum, & pinguium abrasas, aut ope caloris, effervescentiaque solutas, & moleculis aqueis permixtas; dum per ductus salinos aut metallicos, aut alios fonticuli decurrunt. Plantarum semina probabilius efformantur in ipsis plantis. L. Animalia sunt substantiæ corpore organico vivente principioque sentiendi, appetendi, motus corporis spontaneos efficiendi præditæ. Nullum animal ut ut vile nascitur ex putri; sed animalia omnia oriuntur ex ovis animalium fæcundatis.

EX ETHICA.

I. EThica est facultas dirigendis, & perficiendis moribus instituta, cujus ortum non ad socratem, sed ad Authorem naturæ, atque adeo ad ipsa conditi hominis initia referre debemus. II. Id autem disciplina hæc suis præceptionibus spectat, ut hominem ad eam, quam viribus naturæ assequi possit, beatitudinem perducat. III. Hæc duplex est: alia objectiva, formalis alia. Illa neque in bonis corporis, aut fortunæ, neque in bonis animi constituti potest; IV. Sed in solo DEO collocari debet. V. Ista cognitionem DEI, & amorem complectitur. VI. Perfecta beatitudo in hac vita haberi nequit, sed confecto duntaxat vitæ mortalis curriculo obtingit. VII. Norma, ad quam actiones suas exigere debet, qui beatus esse cupit, recte constituitur in voluntate Dei necessario aliquid præcipiente, aut prohibente, prout hæc per congenitum rationis lumen nobis innotescit. VIII. Lex porro istius modi mutationem aut dispensationem non admittit. IX. Principium cognoscendi, num hæc vel illa actio sub hujus legis imperio comprehendatur, non est socialitas; X. Verum infinita DEI perfectio. XI. Officia hominis ad tria potissimum capita revocantur: ad ea scilicet, quæ DEO, quæ sibi ipsi, quæque aliis hominibus jure naturæ quisque debet. XII. Officia hominis erga DEUM sunt actiones ex debito conformandæ legi naturæ præcipienti Religionem erga DEUM, quantum quidem naturalibus eam viribus consequi valemus. Porro cum actiones humanæ interiores aliæ, aliæ sint exteriores, utrisque homo DEUM religiose colat, oportet. XIV. Itaque tum internus tum externus DEO cultus jure naturæ debetur. XV. Genera autem officiorum hominis erga se ipsum tam sunt varia, quam variæ sunt partes, quibus ille componitur, & quam variæ facultates, quibus partes hominis singulæ instructæ sunt. XVI. Omnia tamen ad duas classes revocari possunt: ad conservationem videlicet bonorum a DEO sibi concessorum & rectum eorundem usum. XVII. Hinc excolendus primum intellectus, tum etiam voluntati opera commodanda. XVIII. Conservanda item vita, sanitas, & integritas corporis. XVIX. Contra nefas est se ipsum occidere, famam, & facultates projicere. XX. Licita tamen est indirecta sui occisio. XXI. Duellum honoris tuendi causa susceptum juri naturæ omnino adversatur. XXII. Officia erga alium nituntur jure, quod habet ille ad assequendum finem suum. XXIII. Nemo igitur lædendus in vita, corpore, fama, & facultatibus. XXIV. Jusjurandum per se licitum est, adjectumque promissioni parit obligationem religionis. XXV. Mendacium, & restrictio pure mentales pugnat cum lege naturæ.

THEOREMATA EX MATHESI.

I. IN proportione Geometrica facta extremorum, & mediorum; in Arithmetica summæ æquantur. II. Quartus terminus æqualis est in geometrica quoto, qui oritur ex facto secundi in tertium diviso per primum; in arithmetica differentiæ, quæ relinquitur, si ex summa secundi ac tertii primus subtrahatur. III. Quadratum radicis Binomiæ constat ex quadrato utriusque termini & ex facto dupli primi in secundum. IV. Cubus binomii componitur ex cubis utriusque termini & ex factis tripli quadrati cujusvis termini in alterum. V. Anguli ad verticem oppositi, alterni, externus & internus ad eandem partem sibi mutuo æquantur, interni pares sunt duobus rectis. VI. Omnes trianguli anguli simul efficiunt duos rectos, externus internos oppositos adæquat. VII. Duo Triangula sunt æqualia, si vel 1°. habeant omnia tria latera æqualia, vel 2°. duo latera cum angulo intercepto, vel 3°. Unum latus cum angulis adjacentibus. VIII. In triangulis æquiangulis latera homologa sunt proportionalia: & si in aliquo Triangulo basi ducatur parallela, secat latera proportionaliter. IX. In Triangulo rectangulo demissa ex angulo recto perpendiculari fiunt duo Triangula minora sibi & toti similia. X. Diameter ad chordam perpendicularis secat eam, & arcum bifariam. XI. Angulus ad centrum duplus est anguli ad peripheriam. XII. Parallelogrammum quodvis per diagonalem dividitur in duo triangula æqualia. XIII. Parallelogramma, aut Triangula eandem, aut æquales bases habentia inter easdem parallelas æquantur. XIV. Quadratum hypethenusæ æquale est quadratis cathetorum. XV. Superficies Polygoni regularis æquatur Triangulo, cujus basis æqualis sit perimetro hujus polygoni, & altitudo perpendiculari. XVI. Circulari area est omnium Isoperimetrarum capacissima. XVII. Quæ Generalia Architecturæ Civilis Theoremata.

PROBLEMATA.


XVIII. DAtis tribus terminis Geometrice aut Arithmetice proportionalibus quartum invenire. XIX. E quadrato aut cubo perfecto radicem extrahere. XX. Erigere aut demittere perpendicularem: parallelam rectæ ducere. XXI. Rectam in duas æquales partes dividere: per tria puncta non in directum jacentia circulum describere. XXII. Dato arcu circulum perficere: datis tribus rectis quartam; datis duabus mediam proportionalem invenire. XXIII. Magnitudinem anguli polygoni cujusque, aut angulorum summam invenire. XXIV. Distantias locorum accessas, vel inaccessas indagare. XXV. Investigare aream, quam totam seu liceat, seu non liceat pertransire.

O. A. M. D. G.


F A C U L T A S
R. P. PROVINCIALIS.




Go IGNATIUS LANGETL Soc. Jeſu per Provinciam Auſtriæ Præpoſitus Provincialis, poteſtate mihi facta ab Admodum R. P. Generali Noſtro LAURENTIO RICCI, facultatem concedo, ut *Imperatores Ottomanici a capta Conſtantinopoli*, *cum Epitome Principum Turcarum*, a P. Nicolao Schmitth e Societate Jeſu concinnati, atque a tribus memoratæ Societatis Patribus de more reviſi, & approbati, typis mandentur. In quorum fidem manu mea ſubſcripſi, & conſuetum officii Sigillum appreſſi. Poſonii 9. Martii 1760.



Idem, qui ſupra.



PRÆFATIO AD LECTOREM.



Istoriam Ottomanorum scribere, ac eorundem potissimum bella dicere aggredior, qui ex Asia in Europam transgressi, everso primum vastissimo Græcorum Imperio, ad omnis subinde Europæ dominationem animos adjecerunt; tanto quidem confidentius, quanto se validiores militum copia, provinciarum amplitudine, armorum peritia, & quod miréris, nautica re, finitimis Principibus existimarunt. Ex quo facile, opinor, intelliges, quantum sanguinis datum, haustumque ab his Christiani orbis terroribus, quantis cladibus fatigata Europa per tria, & amplius secula, dum dominandi libidine succensi, nunc terra, nunc mari dimicantes, suum Imperium magnarum urbium, provinciarumque accessione, in immensum auxerunt; nondum tamen votorum summam consecuti. Æstuanti adeo cupiditati, qui potissimum populi obstiterint? quæ vires, tantæ potentiæ nonnunquam nervos inciderint? quibus in locis? quorum auspiciis, vel ductu? qua fortuna pugnatum? partium securus, atque medius, narratione, e Scriptorum monumentis eruta, complectar.

 Isthoc

Iſthoc opus molientem, amici ſæpius admonuerunt: ingentis laboris, tædiique me rem ſuſcepiſſe. Ottomanicum Imperium ut longe, lateque diffuſum, ita frequentibus bellis, domeſticis tumultibus involutum; apud alias gentes Martem peregrinari, ac bella circumferre; apud hanc unam civitate donatum, & ſtatum armorum domicilium habere. Vix futurum, tantum otii ut aliquando nanciſcar, quo infinita extera, civiliaque hæc bella, continenti narratione in unum volumen colligerem. Adhæc cogitarem etiam, atque etiam; omnium prope Europæ gentium Hiſtoriis, atque Annalibus opus eſſe, e quibus veluti ſinceris fontibus geſta Imperatorum haurienda forent. Denique hoſtium Chriſtiani nominis victorias ſtylo perſequi, & Chriſtianos Principes rurſum in triumphum ducere; nec decori, nec utilitatis quidpiam præferre. Vereri ſe, ut cœpto labori unquam exitum optatum habeam.

His rationibus perſtrictus prope erat, ut manum de tabula moverem, opuſque rudibus lineis adumbratum damnarem. At ubi firmato ad quævis tædia animo, nihil a conſtantia remiſi, continuo ſenſi amicorum anxiam ſolicitudinem plus umbræ, quam ſolidi in medium attuliſſe. Quippe eam ſupellectilem Scriptorum in iis domiciliis A), quæ Superiorum meorum voluntate incolui, ſum nactus, ut eorum copia, delectuque ſatis inſtructus, ſcriptionis meæ argumentum proſequi valuerim. Quanquam unus Sagredo B) perdiligens Scriptor rerum Ottomanicarum, quique hunc pari induſtria continuavit Ricautius, C) me omni cura conſulendi alios, atque alios ſui ævi Hiſtoricos liberaſſent, niſi ipſos fontes, e quibus purius rivi ducuntur, adeundi animus fuiſſet. Hos clariſſimos Scriptores, cum minime ignorarem in omnium ore, atque manibus eſſe, non dubitavi eorum veſtigia inſiſtere, eaque in rem meam mutuari, quæ ad pertexendam Hiſtoriam Byzantinam, plurimum lucis adferre poſſent; certus me nullam injuriam hac mea ſcriptione facturum pulſis, aut oppreſſis Principibus, quod alioquin ſiniſtri bellorum exitus publicis monumentis inſerti, me etiam altum tacente, legerentur.

Imo, ut animi ſenſa apertius detegam, haud parvam Defenſoribus Europæ, Chriſtianæque Reipublicæ commendationem additum iri ſperavi; ſi ea publici juris iterum fierent, quæ illi tot currentibus annis adverſus communem hoſtem ſuſcepere. Neque enim fortuna, campi Domina, adeo ferrea in eos fuit, ut perpetuo victi, præter *grandia buſta*, *cineresque ſuorum*, nihil ab Hiſtoria expectare poſſint. Certe non minus forti, quam conſtanti manu, belli aleam frequenter jecerunt; atque ut carptim pauca expendam; vidit Turcia ſuas vires aliquoties acciſas, cladesque cladibus cumulatas, Joanne Hunniade, Mathia Corvino, aliisque rerum in Hungaria potientibus.

In-

A) Poſonii, Viennæ, Tyrnaviæ. B) Joannes Sagredo, Italo ſermone Hiſtoriam Turcarum e tenuibus initiis creſcentium, exorſus eſt, & ad Ibrahimum I. perduxit. C) Ricautius Anglus, obitis legationibus Aſiæ, Africæ notus, eandem continuavit.

Infudit Barbarus non ſemel Orientis robur in viſcera Hungariæ: Budam, caput regni, obtinuit, & quo latius exporrigeret Imperium, omnia præſidia, ſi Comaromium demas, ingenio loci, & artis munita ſubegit. Firmaſſent ſuum Imperium Byzantini, niſi Reges Hungariæ incubuiſſent ſtrenue, ad retrudendum intra ſua latibula alienæ libertatis invaſorem, ad regnum nuper florentiſſimum a barbara ſervitute vindicandum. Quantis vero exercitibus opus erat, dum poſſeſſione diuturna dejicerentur victores? quoties aut navigiis Iſter, aut equitum, peditumque legionibus Pannoniæ campi oppleti fuere; atque cæſis his ingentibus copiis, vis major undique gentium comparata, in eandem arenam, Heroum ſanguine nobilem, advolavit, ut vel una Buda, altera Hungariæ Troja, non decennio, ſed uno fere, & altero ſeculo, terra, & aquis petita, potentiſſimo hoſti eriperetur?

Hos Regum Hungariæ conatus pulcherrimos, imitandos ſibi duxit Sereniſſima Reſpublica Veneta, & jam inde a capta Conſtantinopoli (ruina nempe vicini parietis perculſa) in Aſia juxta, atque Europa cum Ottomano, ſi non viribus, certe animis ex æquo decertat. Peloponneſus primum utramque gentem acri æmulatione commiſit: ademptis vero armorum vi, quæ poſſederant in ea provincia Veneti, præſidiis, inveterata odia, parentum iræ, animique ad ſeros Nepotes tranſiverunt. Inde non interrupta ſerie, fatale bellum immenſis curis, ſumptibusque trahebatur compluribus annis. Sed nunquam luculentius orbi prodidit Reſpublica, quanta & conſtantia, & fortitudine ſuſtinuerit Ottomanicæ potentiæ impetus, atque dum oborto Cretenſi bello, quinque & viginti annos, ſuo plerumque ære, milite, claſſibus cum in Aſia, tum Europa frontem obvertit, quoad exhauſto ærario, deletis exercitibus, merſis claſſibus, neceſſitati ultimæ cedere coacta eſt.


Nobiliſſimi Equites A) S. Joannis Hieroſolymitani ab exordio ſui inſtituti, quoties cum barbaris manus conſeruerint? quot victorias retulerint? vel compendio recitare longum foret. Id pronum dictu: nullum in Aſia ſuſceptum bellum, in quo illi fortem operam non poſuerint, nullam victoriam reportatam, quam illi ſuo ſanguine non ſignarint. Ptolemaide, ſubinde Rhodo dejecti, quod Meliten Inſulam, Italiæ, Siciliæque ſcutum, obtinuerint, beneficio Caroli V. Imperatoris debent; quod etiamnum ſtationem illam poſſideant, ſuæ virtuti bellicæ.

Sed non eſt animus hic loci catalogum texere Bulgariæ, Albaniæ, Hiſpaniæ, Perſidis, Poloniæ, Moſcoviæ, earumque Gentium, quas Europæ libertas, aut ſtudium Religionis in barbaros arma-

A) Florentiſſimi hujus Ordinis ſplendor ſæpe acciſus eſt, quando exilia complura vel invitus ſubivit. Ac primum communem procellam ſenſit, cum e Palæſtina MCLXXXVII. anno, & rurſus MCCXCI. Ptolemaide deportari debuit. Subinde inſulam Cyprum, tum & Rhodum incoluit. Hinc quoque depulſus Melite in Inſula, magno Europæ bono, ac ornamento conſedit.

mavit. Evolventi hæc folia, fortium Principum & facta, & nomina alioquin adeo frequentia occurrent, ut facile confecturus ſit, omnium Europæarum nationum, aut armis, aut pecunia, certe conſiliis, animiſque adlaboratum, quo præliares conatus Ottomanorum refringantur. Hæc, atque alia id genus, communi Scriptorum, & famæ commendatione olim probata, ſi typis exſcripta de integro vulgentur, certus animi confido, adeo nulla injuria, nullo dedecore aſperſum iri Chriſtianos Principes, ut potius hac qualicunque opella mea, ſummas laudes a Lectore relaturi ſint.

Hæc talia prolocutus, duo Te, quis quis hæc noſtra in manus ſumere non gravaberis, monitum volo: alterum; me minime contentum nuda locorum nomina Hiſtoriæ inſeruiſſe, ſed eorum figuram, poſitumque brevibus verbis ad calcem paginæ nonnunquam adjeciſſe. In tanta varietate Scriptorum (nam aliis, atque aliis Geographicis chartis uſus fui) ſi quid imprudens, aut alienæ fidei confiſus, alicubi errore lapſus ſum, a Te gnaro videlicet ejusmodi tædioſi laboris, condonationem flagito. Alterum; me obſidiones, expugnationes urbium, pugnas terreſtres, maritimasque, nunc perbrevi, nunc uberiori ſtylo deduxiſſe, quo nimirum legentium tædia levarem. Denique addidiſſe me Epitomen Turcarum Principum, aliorum potius, quam mea voluntate. Plura perſequi in aditu, feſtinatio prohibet, ut ea explicem, quæ pollicitus fui.



EPITOME
TURCARUM PRINCIPUM
ANTE CAPTAM
CONSTANTINOPOLIM.



Caſpiis A) faucibus evoluta gens Turcarum, parva primum manu, clandeſtinisque excurſionibus Perſiam, Arabiam invadere cœpit; tum aggregante ſe in ſpem rapinarum egentiſſimo quoque, eo minacior arma ſemel arrepta tractavit, quo magis Saracenorum vires per ea tempora mutuis diſſenſionibus attenuatæ fuerunt. Cum domi numero hominum, opibusque in dies creſceret, longe, lateque nominis ſui terrorem diffudit, atque ſubacto Perſarum regno, B) cui Saraceni dominabantur, Græcanici Imperii provincias, Conſtantino Monomacho rerum potiente, juſtis exercitibus divexavit. Nondum tamen uni Principi paruit, ſed in tribus diviſa varias, variorum Ducum auſpicia ſequebatur. Inter hos poſt plures annos cum æquitate, tum armorum gloria eminuit ORTHOGULES, qui primus tyrannidem occupavit.

Paternis veſtigiis inſtitit non deneger filius OTTOMANUS. C) Prolata populatione in minorem Aſiam, Ducem Andronici Palæologi Muzalonem fundit, agrumque Nicomediæ infeſtus percurrit. D) Viſa ubertate regionis, ac magna inprimis per hyemen temperatione cœli, bello non ante abſtinuit, quam Pruſam E) in ipſis viſceribus Orientis Imperii per Orchanem filium ſuum fame in deditionem cogeret. Urbem ingreſſus cum victricibus copiis, ita militem ab injuria civium, rapinis, incendiis continuit, ut ad ſervandam civitatem, non capiendam veniſſe videretur. F) Eo loco potitus veluti per otium vicina oppida ſubegit, Pruſamque in Regiam novi Imperii delegit. Majora molientem mors occupavit, poſtquam octo, & viginti annis rebus Turcarum præfuit, filio Orchane, paterni odii in Chriſtianos, & victoriarum hærede relicto. G)

A) Rem apud Hiſtoricos controverſam hic nolim decidere. Opiniones variæ produntur de origine Turcarum. B) Anno 1048. C) Anno 1289. Hic Ottomanus in Annalibus Turcicis Oſmanes, apud Georgium Pachymerem Græcum Scriptorem Atmanes legitur. D) Pachymeres I. IV. E) Pruſa capta ab Ottomano 1327. Errat igitur cum multis aliis Ludovicus Tubero Dalmata, dum ſcribit Lib. VI. Orchanem expugnaſſe Pruſam, eaque in urbe Regiam collocaſſe. F) Annales Turcici. G) Anno 1328.

ORCHANIS Principatus Nicææ Bithyniæ urbis expugnatione nobilitatus fuit. Cinxerat eam gravi obſidione, dum Andronicus Junior A) in Michaelem Bulgarum moveret. Cum lentius procederet obſidium, quam præfervidus Orchanis ardor ferre poſſet, ſæviſſima populatione Bithyniam hauſit. Andronicus pace confecta cum Bulgaro, omni exercitu in Aſiam trajecto, Nicæam iter acceleravit. Eam occaſionem haud negligendam ratus Orchanes, relictis ad obſidionem pauculis, inſtructis copiis Andronico obviam procedit. Velitationibus mutuas vires experti, quas Græci plerumque ſecundas fecere, tandem in aciem deſcendunt; poſt atrox plurium horarum prælium, vulnus Imperatori ſagitta impactum Græcis fugam, & cladem attulit. Pars Philocrenen maritimam urbem cum Andronico petiit, pars nocte ingruente conſcenſis navibus Byzantium trepide fugit. Direpto caſtrorum apparatu, Nicæam B) rediit Orchanes, quam biennio poſt, fame prope enectam ſubjugavit. Vetuſti codices, ſacra ſupellex ſub haſta vendita, ſatis ſuperque avaræ gentis ingluviem expleverunt. His proſpere actis, Philadelphiam, & Nicomediam munitiſſimas urbes circumſedit. Cum cives acerrime repugnarent, & Andronicus præterea oblatis muneribus amicitiam quæreret, haud difficilis obſidionem ſolvit. Pax ea conditione coaluit: urbes obtinerent Turcæ, quas jure armorum occuparant: Nicomedia reducerent copias, neve oram maritimam deinceps incurſarent. Sed inquies Orchanes otium ferre non potuit. Degebant in Aſia Principes Turcici ſanguinis, qui nulli obnoxii, libertatem ſuam tuebantur. Hos Orchanes mira felicitate partim oppreſſit, partim provinciis ejecit. Mox turbidus in Bithyniam regreſſus, Byzantii capiendi conſilium agitavit. Comparata claſſicula, militem ſuum in Thraciam transvexit. Imperator, & Cantacuzenus animadverſo urbis diſcrimine, ne terra, marique clauderentur, partiti inter ſe copias in Turcas feruntur. Utrique favit fortuna. Imperator mari, terra Cantacuzenus triumpharunt, C) quod oppidanos in ea rerum calamitate ingenti lætitia perfudit, quam tamen inſequens annus Nicomedia capta penitus extinxit.

Multo gravior tempeſtas ſubinde Byzantinos exagitavit Andronico Imperatore fatis erepto. Dum enim Anna Imperatrix, Joannis Cantacuzeni potentiam (tutor is erat impuberum filiorum Andronici) ſuſpectam habet, clandeſtinisque machinationibus tutoria dignitate exuere cupit: hic ex adverſo copiarum robore ſuccinctus, ſpem obtinendi Imperii alit, dici non poteſt, quam funeſtis factionibus, bellisque Byzantina aula pluribus annis laborarit. Conſumpto domeſtico milite, utraque pars Turcarum auxilia imploravit. Et Anna quidem temerarii conſilii pœnas dedit. Nam Sarchanus Lydiæ Princeps, adductis in Thraciam copiis, ubi videt ſtipendia infra ſpem minora procedere; incendiis, rapinis omnia permiſcuit. Cantacuzenus Orchanis amicitiam amplexus, tradita ei in conjugem ſuamet filia Theodora, D) ac celebri pompa in Aſiam transvecta, tanto validius factionem ſuam firmavit, quanto magis Turcarum potentia Byzantinis terrori fuit. Non multo poſt Stephanus Rex Serviorum, Albaniæ, & Macedoniæ parte occupata, Theſſalonicam vallavit. Cantacuzenus, quo hoſtem victoriis elatum retruderet, ab Orchane Genero ſuo auxilia poſtulavit. Accurrit celeriter Solymanus Orchanis filius, cum exercitu viginti millium, fugatisque Serviis, Mœſiam omnem incredibili furore evaſtat, ac raptis multis mortalium millibus in Aſiam rediit. E) Sed recrudeſcente bello in Thracia rurſum Solymanus Cantacuzeno ſuppetias tulit, cæſoque Joannis Palæologi, Serviique, & Bulgari Regis exercitu, ampliſſima corraſit ſpolia, inſeſſaque arce,

A) Laonicus Chalcocondylas L. I. ut habet Editio Pariſina, & Veneta; aliis Chalcondylas, ut Editio Baſil. in folio anni MDLVI. quam ſequor. B) Gregoras L. IX. ad annum 1329. C) Idem L. XI. ad annum 1337. D) Idem L. XV. ad annum 1346. E) Anno 1350. Annales Turcarum nihil de auxiliis per Cantacuzenum petitis memorant: ſed Solymanum clam ratibus trajeciſſe Helleſpontum: mox cum ſuis Caſtellum Zemenicum, alibi lego Chiridocaſtron, cepiſſe. Videndus de primo Turcarum in Europam tranſitu Laonicus L. I. pag. 10.

arce, Tzypen appellata, in Europam A) dominationem transtulit, Græcorum dissidiis in immensum augendam.

Multum agebat Cantacuzenus apud Orchanem, ut memor amicitiæ, affinitatisque, Europam hoc metu liberet, præsidium in Asiam deducat: jamque numeratis decem aureorum millibus, Orchanem perpulit ad arcem tradendam. At Solymanus proferendi imperii cupidus, quive tum pro Principe domi, forisque omnia administravit, non arcem modo retinuit; sed & Calliopolim, aliasque maritimas urbes, terræ motu afflictas, suæ potestatis effecit. Languescente Byzantio, Vucassinus Serviæ Rex, in Solymanum arma corripuit, propeque fuit, ut in Asiam repelleret rapacissimam gentem. Uno, & altero prælio fusus Solymanus novas copias arcessit, ac juxta Adrianopolim metatus, Servios nihil hostile reformidantes ad internecionem concidit. Victoriæ præmium erat Adrianopolis, & Philippopolis vastissimæ urbes deditione captæ. Hunc felicem rerum successum mors inopinata abrupit. Ad Calliopolim, dum feras exagitat, equo collapsus cervicem fregit. Solymanum duobus post mensibus B) secutus est Pater Prusæ, ut Annales memorant, Amurathe filio superstite.

AMURATHES I. ut per Solymanum parta tueretur, continuo in Europam iter accelerat, ac Adrianopolim, armorum, imperiique Europæi sedem constituit. Principem curam impendisse videtur disciplinæ militari. Eum in finem adolescentes bello captos summo studio delegit, quos in Asiam deportatos, tum sermone Turcico, tum assidua armorum tractatione erudiri jussit, dein bellicis laboribus aptos legionibus peditum admisceri. Hoc robur militiæ Turcicæ, parque Macedonum phalangi, multas per Europam victorias confecit. Author est Laonicus, Ottomanum ordinem Janicsarorum instituisse; verum angustis adhuc dum domi rebus, tenue initium hujus militiæ fuerit, quam tandem Amurathes multo favore ornavit, auxitque. Stabilito hunc in modum Turcarum imperio in Europa, arma vertit in Bulgariæ Regem Susmanum, quem nullo impendio victum in suam clientelam accepit, ducta in conjugem illius filia. Eandem fortunam subiit Joannes Palæologus Imperator, coactus ceu satelles castra Amurathis sequi in Asiam; ubi turbarum quidpiam obortum inter Ottomanicos Principes. Plerosque solo terrore nominis in ordinem redegit, ferociores repugnare ausos & provinciis, & vita exuit. C)

In Asia commorantem tristis nuntius perculit. Mosi D) filio res Europæas commisit. Is societate inita cum Andronico Joannis filio, a Patre defectionem molitus est, elatoque signo ingentem præsertim nobilium adolescentum numerum, in suam factionem pellexit. Diditus rumor intestini belli Amurathem in Europam retraxit. Adolescentes eadem levitate animi, qua fidem jurarunt Mosi, a signis diffluunt, & factionem nondum adultam suamet fuga evertunt. Moses Didymoticum elapsus cum quibusdam Græcis, dum defensionem parat, fame ad deditionem compellitur. Hic Amurathes præter morem crudelitatem exercuit: nam filium oculis orbavit, Adolescentes vero Didymotici interceptos, a suismet parentibus jugulari jussit. Andronicus ferventi aceto excruciatus, oculorum aciem non penitus amisit. Extincto hunc in modum domestico malo, ad Christianos perdomandos copias educit. Constantinus Dragases E) nuper devictus, cum se in libertatem asserere vellet, cum aliis Regulis captivitatem tulit. Albaniæ quoque, & Græciæ arma illata. Joannes Palæologus Byzantio suo metuens, Italiæ Principum aulas sedulus, at nullo operæ pretio circumcursavit. Unus Lazarus Bulkovichius, qui ad Senderoviam, sive Semendriam, Belgradumque imperitavit, cum Vucco Brankovichio, F) victori obsistere ausus, in apertum, patentemque campum Merularum prodivit. Jam utraque acies educta, signum prælii expectabat; cum quidam e Serviis transfugam mentitus, Amurathem

A) Anno 1353. B) Annales Turcici ad annum 1357. Laonicus L. I. ait Orchani extincto Solymanum filium successisse. C) Anno 1368. D) Laonicus Sauzen hunc appellat. E) Laonicus L. I. pag. 15. F) Hæc nomina legere est apud laudatum Laonicum pag. 21. satis corrupta.

rathem accedit, veluti suorum consilia proditurus, utque erat hasta armatus, adeo dextre latus Amurathis hausit, ut continuo exanimis corruerit. Principis casu nihil perturbati Turcæ, Bajazethem filium, bellicosæ indolis virum, sibi præficiunt, interfecto Jacupe Bajazethis fratre, cœptoque certamine Servios profligant. Despotes captus, in conspectu Bajazethis minutatim conciditur. A) Græci Scriptores ab Annalibus dissident: Narrant illi, fugato Lazaro in ipso victoriæ cursu Amurathem cecidisse, quos alii Historici passim sequuntur. B)

BAJAZETHES I. insigni victoria potitus, eodem impetu Scopiam, Vidinum subigit: Albaniam, Bosniam, Valachiam populationibus divexat. Deductis coloniis in Europæ provincias, validoque præsidio adversus Illyros, aliasque gentes nondum perdomitas, relicto; mira celeritate in Asiam delatus, Lydiam, Jonium, Phrygiam, Cappadociam, Armeniamque suo imperio adjecit. Pulsi Principes ad Tamerlanem petitum auxilia se conferunt. Redux in Europam rursum Macedoniam, & Illyricum diripit. Tum fulguris c) instar in Peloponnesum provolat, regionem multo sanguine Christianorum tingendam, eamque magnam partem incendiis defœdat, Patras, urbem maritimam, cum aliis capit. Manuel Imperator unius prope Byzantii limitibus conclusus, cum domi ærarium exhaustum, tenue præsidium, classem neglectam cerneret, Principes Europæos ad opem in tempore ferendam per Legatos convenit. Sigismundus Imperator, & Rex Hungarorum, primus Hungariam in barbaros armavit, effecitque ut Rex Galliarum Carolus VI. delectas copias jungeret. Ad Nicopolim uterque exercitus constitit. Triumphassent Christiani, si Galli ardorem pugnandi temperassent. Nam dum præcipites in pugnam ruunt, circumfusi a barbaris, equis desiliunt, peditesque certamen extrahunt. Hungari visis Gallorum equis sine sessoribus, rati barbarorum armis cecidisse ad unum omnes, incompositi fugam capessunt. Instat turbatis Bajazethes, luctantesque ad ripam Istri, partim cædit, partim in flumen præcipites agit. D) Post eam victoriam in Valachiam irrupit; at Myrxes illius provinciæ Dominus, adeo omnes aditus viarum intercepit, ut abiisse ex hostico sine clade in lucro habuerit.

Inter hos armorum fragores Byzantini ultimam perniciem suæ urbis otiosa fronte expectarunt. Ea decennio E) obsessa, Tamerlani, F) (Græcis Scriptoribus Temiri) suam salutem debuit. Hic Scythicus Princeps, cognomento Magnus, velut ex machina Deus erupit, & Bajazethis fortunam non stitit modo, sed memorabili prorsus exitu afflixit. Perside per fraudem occupata, infinitas prope copias Assyriæ, Mediæ, & Ægypto infudit. Ad Syriæ limites præsto habuit Principes a Bajazethe proturbatos. Egit per Legatos: provincias vi extortas ut iis redderet, neve pro libidine in omne genus mortalium ferro, & igne grassaretur. Sed Bajazethes impotens animi non sine ignominia legationem rejecit. Fastum hominis ulturus Tamerlanes, Sebastiam in Cappadocia expugnat, jugulatis civibus, & Orthobulæ Bajazethis filio; tum in Asiam minorem progressus juxta Ancyram castra posuit. Eo contendit & Bajazethes cum numeroso exercitu, speque victoriæ manus conserit. Tartari spoliis legendis, quam pugnæ statariæ aptiores, primi pugna excedunt; hos secuti Asiatici Turcæ. Sustinuit certamen Janicsarorum globus cum Bajazethe. Ad extremum Mustapha cæso, & hi disjecti Bajazethem in æstu prælii destituunt. G) Victus, captusque spectaculum sane amarum Asiæ præbuit, dum ferreæ inclusus caveæ, victoris castra comitari

A) Annales Turcici ad annum 1390. Ex quo corrigas Drechsleri Chronicon, qui Amurathem trucidatum prodit anno 1373. B) Daniel Hartnaccus in Conspectu Bellorum, quæ Christianos inter & Turcas gesta sunt, ad annum MCCCLXXIV. hæc literis commisit: aucta est potentia Turcica regno Bulgariæ fere toto, idque deleto Marco Crajevicho Bulgariæ Rege cum universa nobilitate. C) Ob celeritatem agendi Gilderun, id est fulmen, a suis nominatus. D) Annales, & Laonicus ad annum 1396. Antonius Bonfinius Dec. III. L. II. E) Obsidium adeo diuturnum plerique Scriptores literis prodiderunt. Crediderim hyemis tempore retractas Turcarum copias fuisse; unde Byzantini & terra, & mari annonam, cæterumque apparatum belli comparare potuere. F) Tamerlanis res gestas fuse enarrat Petrus Perondinus Pratensis, tum Laonicus, Phranzes. G) Pugna hæc memorabilis anno 1402. commissa est.

tari debuit. Asia subinde direptioni data militibus, incendiis, rapinis, prope interiit. Ne Europa hoc turbine involveretur; Indiæ Regis in Perfidem irruptio impedivit, cui occursurus Tamerlanes, iter celerrime relegit, rapto in triumphum Bajazethe, qui mœrore animi confectus, in Lydia vitam finiit, quarto supra millesimum quadringentesimum annum.

Quinque liberorum superstitum pater fuit Bajazethes, Solymani, Isæ, aliis Josue, Mosis, Mahometis, & Casanis. Hi duodecim annis varia fortuna inter se bella gesserunt, quoad tandem Mahometes viribus superior principatum sibi, posterisque suis vendicaret. Ex quo intelligas, cur Scriptores rerum Turcicarum, jam hunc, jam illum imperitasse commemorent, nominaque multum depravata lectori obtrudant. Primi fraterno bello initium dederunt Isa, & Moses. Hic Asiam, ille Europam in sui defensionem concitavit. Favit fortuna Mosi, ut victo, jugulatoque Isa A) afflictas parentis provincias unus occuparet. Verum dum Prusæ otio diffluit, a Solymano, qui privatas res eatenus Amasiæ curabat, omni Asia proturbatus, imperio eodem adhuc anno excidit. Neque Solymano diuturnum regimen erat. A Mose bello appetitus, & profligatus, in quodam ignobili oppido prope Byzantium ab incolis trucidatur. B) Secundum jam rerum potitus Moses, iram, furoremque in Christianos effudit, quos Solymano favisse didicit. Vidino, Semendria sub jugum missis, Byzantium adeo arcta premebat obsidione, ut nemini civium portis egredi liceret. C) Interea Mahometes Bajazethis quartus filius, fœdere icto cum Manuele Palæologo, contractis undique copiis, in Mosem evertendum incubuit. Superato navigiis Palæologi, Hellesponto, Thraciæ signa intulit. Moses post unam, & alteram pugnam a suis non minus, quam fortuna desertus, dum fugam molitur, collapso equo in cænosa palude latitans occupatur; ac in tentorio Mahometis obtorta gula præfocatur. D)

MAHOMETES hujus nominis I. civili, maximeque cruento bello composito; res Ottomanicas moderari cœpit. Sub hoc Principe Byzantini jam ad incitas redacti respirarunt; quod Manuel Imperator provido sane consilio fœdus percusserit ante cum Mahomete, quam victor summam dominatus indeptus esset. In Caramanum Principem expeditio prospere suscepta est, qui fervente bello fraterno, Asiam minorem populabundus percurrit, Prusamque ad ictum destinavit. Ferocientem oppressurus Mahometes ad Iconium metatur. Collatis signis Caramanus inferior, parte ditionis mulctatur. Inde Adrianopolim reversus, exercitum proficisci jussit in Valachos, qui Mosen nuper sectabantur, eosque tributarios fecit. Sed Asia turbarum ferax, rursum Mahometem ex Europa revocavit. Cineites gente Ottomanus, Smyrnæ Dominus, principatum suum longe, lateque diffundere perrexit. Supra fortunam elatum debellavit Mahometes, E) vinctumque ad gerendam Nicopoleos præfecturam misit, brevi majores turbas daturum. Subinde repentinum bellum exarsit, inter Venetos, F) & Turcas. Redierant forte aliquot naves Venetæ Trapezunte, mercibus onustæ, & seu tempestate, seu piratarum metu in Bosphoro Thracio substiterant. Has barbari aggressi continuo diripiunt. Respublica suorum civium injuriam ultura, quindecim triremes armari jubet, Petrumque Lauretanum Archithalassum nominat. Hic prospera navigatione Ægæum mare ingressus, ad fauces Hellesponti infestam classem Turcarum reperit. Conserto prælio, & numero navium, & peritia nautarum prævaluere Veneti. Majora, minoraque hostium navigia, septem supra viginti capta, tria Turcarum millia cæsa. G) Hac clade affectus Mahometes bellum pace commutavit, tanto quidem promptior, quanto gravior tempestas in Asia oborta.

A) Annales Turcici ad annum 1404. B) Anno 1411. C) Annales Turcici D) Ad annum 1414. Annales Turcici, Laonicus L. IV. E) Anno 1418. F) Venetorum potentia, quæ, quantaque fuerit ea tempestate in Asia, & Europa, multis verbis commemorat Laonicus laudatus eodem L. G) Joannes Sagredo, & Scriptores Græci ad annum 1418. Annales Turcici nihil meminere de hoc prælio.

Mustaphas Burgluzas e vilissimo genere ortus, quo licentius alienas fortunas diriperet, peculiare vitæ institutum comminiscitur, multosque ex ultima fæce hominum in suam factionem pertrahit. Cinctus ingenti manu facinorosorum, in Joniam impetum facit, bellique securam torrentis instar pervadit, ac omnia evastat. Smyrnæum deinde Præfectum inter fauces montium prope sinum Jonii maris deprehensum, internecina clade delet, & Alibegum Lydiæ præpositum, bellum reparare ausum, pari felicitate in fugam avertit. Patratis victoriis ferocior, cum Amurathe Mahometis filio temere confligit, a quo post cruentum certamen victus, diro supplicio interiit. Alter Mustaphas cognomento Dusmes, haud minorem tumultum concivit. Ferebat se is Bajazethis primi filium, sparsoque rumore scenici Principis, Purpurati juxta, ac vulgus avide ad res novandas convolabant. Cineites inprimis, cujus nuper meminimus, serendis turbis aptissimus, operam suam large addixit. Collecto milite ex agrestibus, qui certatim accurrerant, circa Thessalonicam armati consident. Uno prælio attriti, & in sua mapalia dilapsi, Mustaphæ partes Thessalonicam Græcis obnoxiam fugientis damnant. Leontarius urbis Præfectus, profugum non modo hospitio excepit, sed & vim ostentavit, si copias urbi admoveret Mahometes. Forti stomacho hanc Leontarii, & Manuelis Imperatoris audaciam; nam & is Mustaphæ spes clanculum alebat, concoxit, & annuo stipendio Mustaphæ decreto, nihil adversus fœdera, in Byzantinos egit. A) Altero post anno inter venandum, hemiplectico humore prostratus, Adrianopoli supremum vixit.

AMURATHES II. præferocis animi adolescens, ut primum gubernacula adiit, Mustapham, imperii æmulum, Græcorum levitate armatum, debellavit. Adnitente potissimum Joanne, Manuelis Palæologi filio, cum turbatore Cineite Calliopolim devectus Mustaphas, urbem terra, marique obsedit; Turcis perinde, ac Græcis ad novum Principem confluentibus. Monuerat jam antea per Legatos Amurathes, ut ne se Græci turbis his civilibus miscerent, neve se rebus domi alioquin prolapsis novo bello implicarent: sibi constitutum Patris fœdera, quoad vixerit, sancte servare. Sed jam classis Græcorum Calliopolim appulsa, bello initium dedit. Urbs deditione civium capta, Mustaphæ, Græcorumque animos multum inflavit. Rapto exercitu Adrianopolim adversus Bajazethem armorum Præfectum, quem Europæ præfecerat Amurathes, principem urbem in potestatem redigunt, exercitum levi impendio disjiciunt. Imperio Europæo minime contentus Mustaphas in Asiam trajicit, ubi Amurathes ad propulsandum æmulum copias legit. Haud procul Prusa uterque exercitus castra fixit. B) Confecturus bellum sine sanguine suorum Amurathes, de industria spargit: se pacem inivisse cum Manuele: Hellespontum proxime occlusum iri. Ea re perterritus Mustaphæ miles, dilabi a castris cœpit. Cineites ipse clam Smyrnam profugiens, seditionem male cohærentem penitus præcipitavit. Mustaphas, festinatis profectionibus in Europam revolans, bellum protrahere potuisset, nisi Joannes Adornus (si fides Historicis) Phocææ pro Repub. Genuensi administer, auro corruptus, omnem exercitum Amurathis c) navibus in Europam transvexisset. Calliopoli occupata, Adrianopolim progressus, Mustapham strenuus persequitur, quem denique captum nervo ad collum injecto strangulavit. D)

Sublato hoc obice, Byzantinam urbem Mustaphæ fautricem, tribus, & amplius mensibus obsidet. E) Equidem Manuel semel, atque iterum Legatos miserat pacem oratum. Nihil pacati a barbaro impetrari potuit; quin imo Demetrius Cantacuzenus, Mathæus Lascaris, Angelus Notaras legationis prima capita, in vincula conjecti. Urbs quarta, & vicesima Augusti non uno loco impetita, anceps certamen in mœnibus vidit. Barbari amissis circiter mille in castra repulsi. Hunc in modum pressus Manuel ad ciendas

novas

A) Anno 1420. B) Annales Turcici, Laonicus L. V. c) Sic Ducas. Laonicus ait: Genuensium maxima navi copias transmisisse Hellespontum. D) Anno 1422. E) Anno 1423.

novas turbas operam convertit. Degebat in aula Caramani Principis, Mustaphas Mahometis filius, quem Eliefes quidam Turca Amurathis furori subtraxit. Hic literis Manuelis excitatus, Mustapham in publicum produxit; ad cujus nomen, & gratiam, miles facile concurrit. Prusa oppugnata Amurathem cœptis desistere coegit. Hyeme transacta, in Asiam properat Amurathes, Nicææque commorantem Mustapham improviso obruit, ac jugulat. Partitus deinde copias, partem in Smyrnæum principatum, partem in Peloponnesum immittit. A) Cineites Smyrnæ invasor, cum omni familia captus, turbarum, transfugiique dedecus capite expiavit. Peloponneso post depopulationem pax indulta per fœdus cum Manuele ictum. Sequentibus annis Valachia, Servia aliquoties in solitudinem redacta.

Crescente in dies Amurathis fama, variarum gentium Oratores Adrianopolim venerunt amicitiæ petendæ causa. Accepta inprimis erat Joannis Imperatoris, qui Manueli successit, Rhodiorum, Valachiæ, Serviæ Principum, insulæque Chii Domini e Catelusiis legatio. Haud perinde grata fuit Venetorum, quod Thessalonicam præsidio Veneto munitam, tradere cunctarentur. Res ad arma devenit. Urbs omni apparatu circumsessa, seu proditione civium, seu Turcarum fortitudine subigitur. Cives in diversa loca deportati, fortunas suas colonis Turcicis relinquere debuerunt. B) Biennio post Alis Purpuratus ad infringendam Albaniam, quæ retro actis temporibus sæpe Turcarum repressit ferociam, animum intendit. Eo deductæ copiæ, ob montium asperitatem, & incolarum in repugnando constantiam, nihil operæ pretii fecerunt, insuper in receptu ad Herzegovinam fugantur. Felicius rem gesserunt Sinan, & Turchanes Præfecti, quorum ductu Albania in potestatem venit, Joannis Castoriæ Principis filio Georgio, vulgo Scanderbego, obsidis loco Adrianopolim ablato. c) Otium pertæsus, ipse in Asiam profectionem suscipit cum exercitu, ubi Caramanum Principem repentina invasione adeo perturbavit, ut iniquissimam pacem multo auro redemerit, filiumqne calamitatis hæredem in Mahometis aulam mittere coactus fuerit. Secundum Asiaticam expeditionem in Serviam, & Hungariam ferro, igneque grassari cœpit. D)

Georgius Brankovichius Serviæ despota, ut perniciem a sua provincia averteret, Mariam filiam e Comnena susceptam, miræ pulchritudinis fœminam, in conjugem cum non modica parte Serviæ Amurathi offert. Delinitus barbarus hac offa, potestatem dedit Georgio arcis Semendriæ extruendæ. Vix monumentum saxeis operibus cinctum steterat, repente Tyrannum metus incessit; ne Turcicis rebus aliquando Semendria obicem ponat. Igitur regionem hostili animo ingressus, arcem recens extructam machinis quatit, & trium mensium spatio expugnat. E) Tum toti provinciæ vastitas illata. In Daciam jam anno superiori ductore Draculio, homine facinoroso irruperat; at ubi Cibinium pervenit, a fronte, a lateribus impetitus, re nulla memorabili gesta trans Istrum se recepit. F) Pupugit Amurathem sinistra expeditio, idcirco majoribus longe copiis belli molem in Hunagariam vertit. Belgradum, arcem Hungariæ limitaneam, terra, Danubioque claudit. Certatum sex integris mensibus, dubio Marte, donec elusis cuniculis, septemdecim hostium millibus trucidatis, Hungarorum virtus Amurathem, tædiosa, cruentaque obsidione depulit. G) Hanc cladem altera excepit. Isacus Begus, dum inconsulto suos in aciem promovet adversus Joannem Hunniadem, uno prælio copias amisit. Sed luculentiori plaga Meziten affecit in Transylvania idem Hunniades. H) Cæsis viginti barbarorum millibus ipsum Ducem interemptum vidit. Huic victoriæ alteram addidit

A) Anno 1424. B) Ad Annum 1431. c) Anno 1433. Vide Familiam Castriotorum Caroli du Fresne, Domini du Cange in Illyrico veteri & novo C. XVIII. D) Anno 1435. E) Anno 1438 Laonicus L. V. Bonf. Dec. III. L. IV. F) Laonicus narrat: Meziten copiarum Ductorem ictu majoris pilæ ad Cibinium occubuisse; unde perculsos Turcas fugam ad Istrum arripuisse. Annales Turcarum memorant sex castella ab Amurathe capta. G) Quo anno hæc obsidio intentata Belgrado, Scriptores variant. Annales Turcici ad annum 1439. referunt; P. Timon e S. J. in sua Chronologia Hungariæ ad annum 1442. H) Anno 1443.

didit Schachi Abedinis exercitu deleto. Utramque cladem magnam fuiſſe, Annales Turcarum fatentur.

Uladislaus ea tempeſtate Hungariæ Rex, tam illuſtribus Hunniadis victoriis accenſus, maxima alacritate in hoſtes movit. Ad ſalſum lapidem trajecto Danubio, recta Sophiam proficiſcitur, eamque urbem diripiendam militi concedit. Mox ad Moravam amnem Ottomanos cæde illata fugat. Hunniades cum delecta manu ultra flumen progreſſus, triginta hoſtium millia cædit, quatuor millia capit. A) Hac reportata victoria, Bulgariæ oppida ſe in fidem Hungarorum dederunt. Ad Hemi montis clauſtra aliquoties dimicatum, Amurathe cum totius exercitus robore juga inſidente. B) Cum autumnus præcipitaret, & commeatus in dies rariores fierent, Uladislaus victorem exercitum in ſtativa reducit. Hungarorum veſtigia premebant præcipui barbarorum Ductores; Chaſanes, Turchanes, Carambæus: ſed omnes Hunniadis invicta fortitudine aut cæſi fuerunt, aut capti. Eodem fere tempore in Peloponneſo, Albania, Caramania, Amurathi bellum eſt motum. Tot malis circumventus, per Georgium Deſpotem quæſtuoſam Chriſtianis pacem obtulit, ac in decennium tabulis ſolemnibus inſtauravit, his opimis conditionibus: Servia Georgio cederet: Valachia, Moldavia, juris ut antea Hungarici fieret: neutri partium fas eſſet trans Iſtrum populationes inferre.

Pannonico bello evolutus, Aſiam intravit cum numeroſo exercitu, & Caramaniæ Principem, finitima loca identidem carpentem, ad tributum pendendum adegit. Satur bellorum Amurathes, quam regnorum abdicationem diu meditabatur animo, exequi tandem, ac magna Aſiæ, Europæque parte exuere ipſe ſe ſtatuit: editurus ignotum Ottomanis exemplum, ut, cum poſſet, imperare deſiſteret; niſi pœnitudine ductus, rurſum imperium arripuiſſet. Itaque Mahometem filium ſuum diffuſis late regnis tum imparem, ſucceſſorem inſtituit: qui adoleſcenti in adminiſtrandis rebus adeſſent, Chelilen Vezirium, & Chuſronem, bellicæ diſciplinæ peritos nominat. Curarum fluctibus jam liber, in Aſia privatus quieti indulſit. c) Sed canentia per Bulgariam, atque Thraciam Hungarorum ſigna, Amurathem tot retro annis armorum ſono aſvetum, facile in arenam traxerunt. Cauſæ infelicis hujus belli hæ erant. Valida claſſis Chriſtianorum fauces Helleſponti occupaverat, Aſiæ copias ab Europæis ſecluſura. Ea de re adferuntur ad Uladislaum Hungariæ Regem litteræ Franciſci Cardinalis armatæ claſſis Præfecti, quibus Hungari ad bellum in Thraciam deportandum ſtimulabantur. Recitatis in Senatu literis pudor inceſſit univerſos, quod deſertis ſociis pacem cum Amurathe confecerint. Joannis Imperatoris Legatus, ut pacta reſcinderent, opportunitatem rei gerendæ, multis verbis expoſuit, Græcorumque reliquias Hungarorum dextris commendavit. Flammas addidit Julianus Eugenii IV. Pontificis Legatus D) jam in arma pronis.

Igitur decreta expeditione in barbaros, cum quindenis non amplius millibus præcipitante æſtate in hoſticum abit Uladislaus. Nicopolim præſidio vacuam diripit. In Thraciam profectus Cavarnam, Macropolim, Callacium, Galatam, Varnam ad mare Ponticum urbes capit. Amurathes fragore belli excitatus, Aſiaticas vires ad Helleſpontum rapit, more veteri juxta Calliopolim trajecturus. Anguſtiis a fœderata claſſe occupatis, feſtinatis itineribus verſus Pontum Euxinum contendit, navibusque repertis, ſexaginta millia armatorum Europæo litori exponit. Chriſtianæ claſſi ob adverſam tempeſtatem in anchoris hærendum erat. Decima Novembris de ſumma rei certatum eſt. Hunniades cum Michaele Nigro utrumque cornu Turcarum aggreſſus, poſt accerrimum prælium campum obtinet. Media acies Janicsarorum, cui Amurathes præfuit, immota ſtetit, impetumque Hungarorum ſuſtinuit. Rex intempeſtivo æſtu abreptus confertos Janicsarorum ordi-

A) Bonf. Dec. III. L. V. B) Laonicus L. VI. ſolicitudinem Amurathis multis exponit. c) Annales Turcici ad annum 1444. D) Hac de re lege ſis Propugnaculum Reipub. Chriſtianæ Partis II. c. V.

ordines perrumpit, Amurathem ferro petiturus. Dum militem potius, quam Ducem agit, equo forte prolapso, in terram effunditur, simulque suo casu exercitus fortunam præcipitat. Unus e Janicsaris Chefer nomine luctanti obsistit, vibratoque non molliter acinace, caput aufert. Summo hastili imposito in terrorem primum, mox in fugam conjiciuntur victores. Hunniades cum reliquo milite per Istrum in Valachiam, dein Hungariam pervenit. A)

Amurathes victorem exercitum sine mora in Peloponnesum abduxit, ubi Constantinus, & Thomas fratres, Manuelis Palæologi filii, Isthmiis muris instauratis, urbes aliquot Turcis eripuerunt. Venientis fama perculsi Peloponnesii, ad muros defensandos trepide accurrunt. Sed admotis majoribus machinis, cum ingenti hiatu procumberent muri, vim expectare non ausi, stationibus decedunt. Ita reperto in Peloponnesum aditu, Peninsulam prope omnem pervasit, & veteri libertate exutam, ad pendendum annuum tributum coegit. B) Inde in Albaniam versis signis, quam Georgius Castriotus vulgo Scanderbegus (cui olim Mahometano e ritu circumciso Alexandri Begi nomen est datum) C) ante biennium sibi, libertatique asseruit, vires oppugnandæ Crojæ frustra applicuit. D) Propugnantium virtute fractus, cum præterea hyemis intemperies sæviret, re infecta Adrianopolim discessit, datoque Imperio Mahometi filio suo, iterum se in solitudinem Asiaticam recepit. Brevi tamen redeunte dominandi prurigine, Adrianopolim clam advolavit, & Chalilis Vezirii opera Regiam cepit, Mahomete feras agitante cum suis. E) Post unius anni quietem Crojam, regionis caput, rursum invadit. Dum adhæret ad urbem, fama in castris percrebuit, Joannem Hunniadem in Bulgariam festinare cum exercitu. Ita enim inter Castriotum, & Hunniadem conventum erat, ut barbarum a tergo, & fronte aggrederentur. Amurathes soluta obsidione contracto immani exercitu frontem obvertit Hunniadi. In campo Merularum ad limites Bulgariæ uterque castra locavit. Hungaris annonæ penuria, in evastata regione necessitatem pugnandi fecit, nondum ex Albania movente Castrioto. Triduo, Marte dubio dimicatum fuit. Hungari postremum Turcarum numero pressi, campo excesserunt. Feruntur quatuor, & triginta hostium millia, Hungarorum octo millia occubuisse. F) Represso in hunc modum Hunniade, ad Crojæ oppugnationem rediit. G) Verum ingravescente ætate eodem adhuc anno, triumphos meditantem, mors occupavit. H) Res Ottomanica Mahometi II. obvenit, maximo malo Byzantinorum, ut jam narrabimus.



A) Philip. Callimachus de clade Varnensi, II Libros conscripsit. B) Laonicus L. VII. ad annum 1445. C) Marinus Barletius Scodrensis, qui XIII. Libris hujus Castrioti res gestas complexus est. D) Laonicus ad annum 1446. E) Idem L. VII. F) Bonfi. Dec. III. L. VII. ad annum 1448. Hanc expeditionem Hunniadis diffuse habet Laonicus loco laudato. G) Annales Turcici, Laonicus. H) Anno 1450. Annales. Hæc pleraque suis locis in Byzantina Historia Imperatorum Orientis reperies, quam Vir cl. R. P. Franciscus Borgias Kéri e Soc. Jesu, ab anno Christi 306, ad annum usque 1453. felici calamo conscripsit, mihique stimulo fuit, ut Imp. Ottomanicorum res gestas prosequerer.

A. C. 1451.

MAHOMETES II.

IMPER. OTTOM. I.



Maligna febri extinctus Amurathes a) successorem reliquit filium Mahometem, hujus nominis II. Hic a metu securus ut imperitaret, fratres suos insigni crudelitate sustulit. Tursinen, agentem unum, & alterum annum, aquis hauriendum dedit. Calapinum vero (hoc nomen alteri fratri erat) ab Hali Purpurato proditum, ac desertum, obtorta gula jugulavit. Sunt, qui asserant, alterum, nescio quem, Ministrorum opera substitutum, Calapini sortem subivisse; hunc vero felici astu Constantinopolim translatum, postque urbem subactam, Venetias primum, deinde Romam jussu Pontificis Callisti III. deductum: inde sacris orthodoxis probe imbutum, Friderico Imperatori missum, honoribus, quoad vixit, cumulatum: finem denique vivendi in Austria fecisse. b) A cæde fraterna auspicatus Imperium Mahometes, odium, quod cum hæreditate acceperat, in Christianos continuo patefecit, dum bellum paternum magnis conatibus prosecutus est adversus Georgium Castriotum, sive Scanderbegum, Epiri, Albaniæque Regulum. Sed ne initium sui regiminis, ex quo cæterarum rerum cursum Principis sui, metiri assuevit vulgus, sinistro eventu fœdaret, ductu Amesæ militum Præfecti, exercitum Albaniæ immisit. Castriotus hostium motibus suo more intentus, paucis militibus stipatus Croja excedit, atque improviso fessos, somnoque graves aggressus, adeo feliciter disjecit, ut septem millibus cæsis, ipsum Ducem expeditionis interceperit. c) Haud meliori fortuna bellum redintegravit Ibrahimus cum quatuordecim millibus Turcarum. Vix enim ad manus deventum erat, Scanderbegi virtute fractus, celeri fuga campo, Albaniaque excessit. De utraque victoria Europæos Principes certiores fecit Castriotus, auxiliaque ex fœdere postulavit. Alphonsus id temporis Neapolitanus Rex magnam annonæ vim deportari jussit in Albaniam, crebris barbarorum populationibus exhaustam: Respub. Veneta auro, argentoque subvenit, quo novis operibus Croja d) muniretur. Ne vero deinceps una Croja ad ictum destinaretur, edito monti arcem imposuit Castriotus, quæ hostem in Albaniam irrupturum prima exciperet.

1452. Altero anno longe graviori discrimine defuncta est Albania. Cæteros inter Duces Castrioti, tum familiaritate apud Principem suum, tum rei militaris peritia eminebat Moses. Hunc ut suas in partes attraheret Mahometes, aureum hamum adhibuit. Auri fulgore perstrictus homo levissimus, contra datam fidem ad hostes cum nonnullis suorum deficit; raptisque sub signa quinque & viginti millibus pugnatorum (tantum tribuit transfugæ promissis) non multo post in Albaniam fertur. Scanderbegus perfidiam Mosis ulturus, ad arcem recens eductam, venientem instructa acie excipit, contractoque certamine, ferocissime pugnantem fundit. Observatum fuit ab Albanis, Mosen raro alias pertinacius extraxisse prælium, ostensurus, opinor, quantum virium accreverit Turcis, suo, suorumque accessu. Adrianopolim

a) In Historiis Musulmanis lego, Adrianopoli vita functum Amurathem. Idipsum volunt Annales Turcici interprete Joanne Gaudier, & Chronicon Carionis. At Joan. Sagredo, Marinus Barletius ajunt, eum in castris obiisse, dum Crojam impugnat. b) In Codice Antonii Verantii Archi-Præsulis Strigoniensis (de quo alibi) lego, Amurathi sex filios fuisse Achmetem, Alin, Mahometem, Hasen, Urchanem, & Achmetem minorem; addit: præter unum Mahometem omnes ante Patrem funere elatos. Altum tacet de iis, quos neci datos alii scribunt. c) Marinus Barletius L. VII. d) Croja, olim Antigonia, Urbs Albaniæ non tam operibus, quam defensore suo memorabilis, a morte Scanderbegi Turcis cessit.

lim A) redux proditionis, ac quarundam molitionum ſuſpectus, cum Mahometem nulla ratione placare poſſet, eadem levitate ad ſuos rediit, qua nuper deſeruit, fortibusque factis turpe transfugium eluit. B) His cladibus licet attritus Mahometes, Conſtantinopolis capiendæ conſilia cum Purpuratis agitavit, quo Græcorum Imperium unius urbis limitibus circumſcriptum funditus evertat, Ottomanicæque genti Imperatoriam dignitatem inferat. Ea de cauſa Adrianopoli profectus cum copiis, ad Boſphorum Thracium arcem, c) Græcorum negligentia in ruinas abeuntem firmat, tres turres in altum eductas, omni telorum genere munit, quibus naves ultro citroque commeantes certis ictibus infeſtas, marisque dominatum haberet. Perculit non mediocriter Conſtantinum Palæologum Imperatorem operis formidoloſi inceptum; facile etenim animadvertit, eo propugnaculo ſemel extructo rebus ſuis ultimam perniciem imminere, civesque ſuos intra mænia prope obſeſſos teneri. Antequam munimentum ſtaret, per Oratores, fœderum admonet Mahometem; neve in alieno ſolo præſidium, plurimum Byzantinis obfuturum, ponat, precibus agit. Amica legatione nihil motus, incœpto operi adeo ſtrenuus inſtitit, ut ſuprema manus validiſſimæ arci impoſita fuerit intra ſpatium trium omnino menſium.

A. C. 1452.

Cum videret Conſtantinus accerrimum bellum ſibi illatum iri, neque res Græcorum eo in flore eſſe, quo Mahometis furorem reprimere poſſet, Principum Chriſtianorum opem adverſus communem hoſtem per celeres nuncios flagitavit. Nicolaus V. Summus Pontifex, Respub. Veneta, Principes Italiæ, vicino adeo diſcrimine excitati, communi conſilio, impenſisque claſſem in defenſionem urbis mittendam decernunt. Urgebat præprimis ſubſidium iſtud Nicolaus, tum quod extrema calamitas Orientis Eccleſiæ impenderet, tum quod Legati certam ſpem oſtenderent, Græcos ad concordiam cum Latinis, ſuperioribus annis incaſſum toties tentatam, redituros. Propterea Iſidorus; quem alii Sigiſmundum Ruthenum vocant, e Purpuratororum Collegio, Byzantium a Pontifice legatus abiit, Concilii Florentini decreta perlaturus, & pro poteſtate in concordiam recepturus Græcos. Conſtantinus cum Senatu, pauciſque aliis ſine mora Romanæ Eccleſiæ acceſſit. D) Verum major pars civium cum magno Duce Luca Notara, Monachis, concordiam illam cum ſtomacho rejecit; neque ſpes erat inconditam turbam vel afflictiſſimis rebus ad ſaniora traducendi. Dum ſic domi mutuis odiis certatur, ac in dies Græcorum Imperium labaſcit, claſſis ſuppetiis deſtinata lente admodum proceſſit, nec tantum temporis adfuit, quo annona, milite, cæteroque apparatu bellico, pro periculi magnitudine inſtrueretur. Neque cæteri Principes, quos locorum ſpatia ab imminentis belli procella ſemoverunt, operam præſtiterunt; ſive Græcorum perfidiam, gentisque levitatem veriti, ſive alienam calamitatem ad ſe nihil pertinere rati. Joannes quidem Hunniades cum valida Hungarorum manu adfuturus dicebatur; at celeritate Mahometis præventus, ante oppreſſum intellexit Conſtantinum, quam ex Hungaria moveret. Id literis proditum: Joannem Juſtinianum Venetum navigia duo quadringentis militibus armata in auxilium adduxiſſe, portamque Romanam, ſive Latinam appellatam, fortiter tutatum.

1453.

Mahometes interea cupiditate gloriæ, odioque accenſus, nulli pepercit operæ, quo Conſtantinopolim ſub jugum pertraheret. Hoc aſſiduo verſabat animo, huic rei adeo omnem curam impendit, ut frequenter dulcem ſoporem vincendi ardor excuteret, noctesque inſomnes bellicis deliberationibus obrutus, transmitteret. Ingentem pecuniæ vim Majorum ſuorum

A) Adrianopolis, urbs Thraciæ, vel ut aliis placet, Romaniæ, pone Hebrum fluvium, Adriani Imperatoris opus. A Solymanno I. capta Anno 1352. ſub Amurathe I. Regia Turcarum effecta eſt. B) Barletius L. VIII. C) Hanc arcem Græci Læmocopiam, Neo-Caſtron appellarunt, Latini Turres nigras, leuca una Conſtantinopoli diſſitam. In adverſo litore arx Natoliæ, ſive Aſiæ priſcis temporibus viſebatur. Gallicus interpres Laonici, lapſus eſt, dum ſcribit: Mahometem II. arcem ædificaſſe in ora Propontidis. D) Leonardus Chienſis Mitylenæus Archi-Epiſcopus, qui præſens aderat, & obſidionis tempore Byzantii verſabatur.

A. C. 1453.

rum victoriis partam, in apparatus bello gerendo necessarios effundit. Frumentum undique convehi jubet: Adrianopoli machinæ murales mirandæ magnitudinis fiunt, usus solerti opera cujusdam Daci A) Orbani nomine. Hic stipendia fecerat olim apud Græcos; sed inopia rei familiaris, nempe quod Græci præsentem pecuniam numerare nollent, aut non possent, Mahometi hujusmodi machinatorum perquam studioso, operam addixit. Copias provinciarum Præfecti ex Asia, Europaque summo studio sub signa ciebant; nulli ab armis cessatio impertita, nisi otium capite vellet luere. Classem præterea formidabilem multarum navium, in portubus Asiæ ædificari jubet: Europa universa in expectationem tanti apparatus erecta. His Adrianopoli constitutis, partem exercitus, Martio mense exeunte anni MCCCCLIII. Byzantium dimisit Saratia B) Bego Ductore, machinis bellicis partim jumentorum, partim hominum immani fatigio illuc devectis. C) Paucis post diebus, nempe initio Aprilis, Mahometes ipse Zogano, Hali, supremi ordinis Ductoribus, & delecta Janicsarorum manu stipatus, ad mœnia Constantinopolis consedit, tentoriis per sex fere leucarum spatium, longe, lateque explicatis. Europæi Turcæ sinistram; dextram Asiatici occupavere, Zogano cum septuaginta armatorum millibus ad Galatam excubante. Quantus numerus omnium copiarum fuerit, inter Scriptores illius ævi haud convenit. D) Sunt, qui scribant, supra ter centum, & amplius millia ad eam oppugnationem venisse. Neque istud a vero multum abfuerit, cum constet, Mahometem ex omnibus, quas amplissimas possedit, provinciis militem coegisse, & gentem Ottomanicam spe prædæ allectam, sponte sua in castra convolasse.

In urbe obsessa longe alia rerum facies. Præter ærarium exhaustum, exiguus propugnatorum numerus aderat. Græcorum sex, Genuensium, & Venetorum tria millia censebantur, tenue profecto præsidium E) vastissimæ urbis, decem milliaria ambientis. Classis urbana pessime affecta e paucis navibus constabat. In ea rerum difficultate Joannes Justinianus, cognomento Longus, ob corporis proceritatem, loco nobili apud Venetos natus, cum duabus navibus, ac quadringentis militibus opportune advenit; immortali gloria dignus, nisi fortissimus Heros finem corrupisset, & prope in portu naufragium fecisset. His copiis instructus Constantinus Byzantium propugnare statuit, ultima experiri certus, quam turpi fuga semet subducere. Strenui certe Imperatoris munia toto obsidionis tempore sustinuit, tantaque sapientia, fortitudine defensavit urbem, ut Mahometes ferocissimæ indolis juvenis, fortunæ suæ diffidens, conclamatis vasis discessionem pararet. Sed aliter visum est Divino Numini, ut tandem sub jugo Turcico pervicaciam priorum temporum, Romanæ Sedi irrogatam, severissimis pœnis luerent. Constantino in defendenda urbe commilitones fuere e Græcis Theophilus, & Nicephorus Palæologi; Demetrius Cantacuzenus, Lucas Notaras Dux magnus, pluresque alii. Ex Italis Joannes Justinianus, Theodorus Caristus, Franciscus Toletus, Nicolaus Molinus, Joannes Lauretanus, F) & complures e Venetorum præsertim nobilitate, quique mercium causa, aut virtutis bellicæ, Constantinopolim appulerunt.

Rebus in hunc modum comparatis, Mahometes extructis aggeribus, circa vicesimum Aprilis diem muralibus tormentis mœnia quatere juxta portam Romanam occœpit. Machina illa prægrandis, quam supra diximus a Daco fusam, terrore perculit Byzantinos, cujus os duodenas patebat spitamas, saxumque G) ejaculabatur ter centum librarum tanto cum impetu, atque fragore, ut urbs ipsa succussa, ruinam minaretur, & machinæ horrendum

A) Laonicus pag. 210. B) Hujus nominis Ductorem fuisse Laonicus habet. Alii Jaratiam appellant. C) Machina molis maximæ, quinquaginta jugis boum, & duorum millium agrestium opera Constantinopolim pertracta est. D) Leonardus Chiensis pag. 319. E) Byzantina Historia meminit a Phranze initum defendentium numerum, nec septena millia reperta; Ducas octona millia fuisse ait. F) Joannes Bapt. Verus Patavinus rerum Venetarum Scriptor hunc Jacobum nominat L. II. G) Saxa nigri coloris erant e Ponto Euxino advecta, ut tradit Laonicus Chalcondy. pag. 120.

rendum murmur ad stadia quadraginta perciperetur. Singulis diebus septenis vicibus machina solvebatur, dumque sol diem referret, illius fragore, veluti militari classico, ad oppugnationem fortiter urgendam miles vocabatur. Forte accidit, ut plus nitrati pulveris tormento inderet machinator, cum ecce! vi maxima moles illa in partes diffracta, A) Mahometem spe de opere concepta dejicit, simulque animum Principis adeo confudit, ut veluti non levi clade mulctatus, dolorem vultu proderet, donec opera Præfectorum majoris formæ funderetur. Verum, ut eventus docuit, præter molem inusitatam nihil singulare operi inerat, nec quidpiam damni mænibus illatum. Nempe QUÆ MODUM excedunt, speciem magis, quam usum habent. Itaque minoribus machinis exteriores muri, turresque impetitæ, multo celerius conciderunt, ac viam barbaris in urbem aperuerunt. Propugnatores contra intra mænia aggeres, valla certatim attollere, per ruinas eluctari ausos acriter repellere, pertinaci pilarum grandine submovere, paucitatem suam incredibili fortitudine invictam reddere. Neque cuniculis, metalli fossoribus e Rhodo acceptis, feliciorem successum habuit. Centurio quippe Justiniani, rem odoratus; igne, sulphure, aliaque urente materia hostem abegit: una nihilominus turris in præceps e fundamentis acta.

A. C. 1453.

Protracta in plures dies oppugnatione, tandem classis B) Ottomanica triginta supra ducentas navium, e diversis Asiæ litoribus appulsa est, sicque urbs terra, marique obsideri cœpta. Constantinus ut extra ictum, Byzantinorum navigia forent, in portum, qui urbem inter, & Galatam erat, deduci, & prægrandi catena muniri ab Acropoli c) ad pontem usque Galatæ jussit. Hostium classis non ausa prope mænia navigare, ad oram Propontidis in anchoris hæsit, nonnunquam finitima oberrans litora, ne quid subsidii peregrinæ naves obsessis inferrent. Genuensium tamen triremes mercede conductæ, & una Imperatoria, frumento onustæ, elusis custodiis jam prope oram Byzantinam legerant. Has oppressuri classiarii Turcæ, solicitatis remis fugientes insequuntur, ac magno animo pugnam capessunt. E vicino litore Mahometes qua voce, qua signis pugnandi ardorem suis subdidit. Verum cum naves Genuensium tormentis instructæ, assiduo fulminarent in classiarios, succensis, mersisque aliquot navigiis hostium, navali victoria superiores erant Christiani. D) Phlantanelas Archithalassus nemine suorum desiderato, vulneratis nonnullis, præcipitante jam sole, portum subiit non sine fausta acclamatione civium. At Baltogles, Turcicæ classis Præfectus, infelicem pugnam capite luisset, nisi gravi vulnere in fronte perstrictus, oculoque orbatus, in mitiora consilia animum Principis flexisset.

Lætitiam Byzantinorum temperavit audax, & nisi patratum literis prodidissent Scriptores, apud posteros vix fidem habiturum Mahometis facinus. Animadvertit is, nisi Ceratino maris sinu Græcos dejiciat, non fore Constantinopolim ab omni parte clausam; neque navibus sinum occupari posse ob catenam prætensam, navigiaque inter se harpagonibus, ferreis vinculis, supra quam dici potest, arctissime colligata. Ergo e Bosphoro Thracio, consilio cujusdam Christiani, ut opinatur Leonardus Chiensis, E) in sinum modo nominatum, naves terrestri itinere promovere decernit. Nec militum animos ab hoc arduo sane, atque difficili opere alienos repe-

 rit;

A) Leonar. Chiensis. B) Idem. Laonicus pag. 120. c) Vide Carolum du Fresne in Constant. Christiana L. I. C. VI. ubi de catena; & C. III. ubi de sinu Ceratino. D) Ita Phranzes pag. 94. & Leon. Chiensis. M. Antonius Sabellicus rerum Venetarum Scriptor Dec. III. L. VII. typis editus Anno 1482. eodem loco meminit, Pontificem Nicolaum V. cum Repub. Veneta & Alphonso Rege multum deliberasse de subsidio Byzantinis ferendo. Idem Pontifex anno MCCCCLI. vaticinatus est, Græcorum Imperium evertendum. Verba ipsius Gennadius Patriarcha Constantinopolitanus recitat apud cl. Virum Antonium Sandinum in Vitis Pontif. Roman. Seculo XV. „ Optime cuncta novimus, sed toleramus in JESUM respicientes sempiternum Sacerdotem, & Dominum, qui sterilem illam ficum usque ad annum tertium jussit asservari, agricola jam ad excidendam arborem se accingente, quia nullum fructum ferebat. „ Posthabitæ prædictionis meritas pœnas luit Palæologus. - - - Sic Græci, Divino numine ulciscente multiplicem eorum defectionem ab Ecclesia Romana, in servitutem Turcarum redacti sunt, quam ad hodiernam diem instar Hebræorum patiuntur. E) Pag. 317.

A. C. rit; seu Principis sui imperio adacti, seu gloriæ stimulis incitati, manum
1453. alacres admovent, dejectisque montibus, & vallibus æquatis, terra perpetua tignorum serie constrata, supra Galatensem urbem in Ceratinum felici ausu, septuaginta naves pertrahunt, ut ipsæ operæ vix fidem haberent sibi, tanti laboris opus se vel aggredi ausos, ne dum perfecisse. Ad hæc pons duorum millium passuum longus Ceratinum penitus domuit, viamque ad muros exteriores expeditam fecit. Byzantini rei novitate attoniti, & pontem, & naves exurendi consilium capiunt. Joannes Justinianus, & Jacobus Cocha Venetus, delectos e præsidiariis, tribus navigiis imponunt, antelucano tempore hostem invasuri. Res prodita cladem attulit. Nam ut primum Cocha navim suam impulit in hostilem, e majori machina emissum saxum, Cochæ navigium diffregit. Vectores in mare effusi; plures gurgitibus hausti, quam capti; qui subinde Mahometis jussu ad unum omnes jugulati. Hanc crudelitatem ultus est Constantinus quadraginta supra ducentos captivis Turcis e muro suspensis. Sic utraque pars non viribus modo, sed & mutuo furore cladem cumulavit. A)

Ut animos obsessorum exploraret Mahometes, ultimane experiri vellent? an urbem certis pactis dedere? Ismaelem, Sinopes B) Gubernatoris filium ad Imperatorem ablegat. Hic gravi oratione habita, postremo Constantinum admonuit: *videret ne se, suosque cives perditum eat: ferro, & igne, exhaustam alioquin urbem, vastandam, ni mature rebus suis consulat. Mahometem æquas fœderum conditiones haud negaturum, modo Oratores in castra dimittat.* Censuerunt omnes caduceatorem mittendum, non magni apud Græcos nominis; qui Ismaelis ductu facile Mahometem convenit. Hic ingentem pecuniæ summam Græcis imperat, quot annis pendendam: aut, quod mallet, incolæ desertis domiciliis, agrisque suis, urbem Ottomanis tradant. C) Neutrum placuit Byzantinis. Seu sincera, seu ficta fuerit isthæc legatio Mahometis, inter Scriptores non convenit. Id certum; Mahometem gravibus curis agitatum, postquam rumor castra pervasit, classem ab Italia plenis velis appellere: Joannem Hunniadem D) grandi cum exercitu Hungarorum terra adventare. Qui rumor etsi incertis authoribus diditus, & falsus, Mahometem formidine adeo oppressit, ut desperato successu (mensis enim integer oppugnationi impensus fuit) reditum adornaret Adrianopolim, nisi Zogan increpita inconstantia, a præcipiti consilio eum revocasset, monuissetque urbem disjectis mænibus haud dubie captum iri, modo signum irrumpentibus daret. Hæc eadem sententia Thorcanis, cæterorumque Ducum, retinuit Mahometem in castris, designataque ad invasionem urbis nona, & vicesima die Maji, terrestribus perinde, ac maritimis copiis jejunia, precationes indicta fuerunt a Mufftio. Præterea Mahometes, quo flammam adderet suis ad fortiter audendum; pollicetur se triduo populandi urbem facultatem victoribus daturum, nihilque sibi, præter unam gloriam, ex hac amplissima victoria decerpturum. His talibus accensi, insultum poposcerunt tam valido clamore, ut propugnatores ad rei insolentiam stupescerent. Halis Vezirius, seu revera Byzantinorum amicus, seu æmulorum fortunam præcipitare volens, quorum authoritate magis, quam ratione decreta est invasio, rem Constantino per literas aperit. Eo rumore per urbem latius manante, ingens puerorum, matronarumque turba ad ædes D. Sophiæ confluxit, seris lachrymis suum infortunium deflentium, ubi Constantinus in conspectu omnium, ritu Romano Eucharistia communitus, mox milite per stationes distributo, Imperatorio prorsus animo ad urbis defensionem accurrit.

Nondum depulsis tenebris, Turcæ suis sub Ductoribus aggressionem moliuntur. Pontem e navibus confectum, & Ceratino sinui impositum litori admovent, egressique in terram scalas certatim mænibus applicant. Mahometes prætoriana cohorte stipatus, Romanam portam veluti certus victo-

A) Hæc Leon. Chiensis: numerum tamen Turcarum silet. B) Sinope urbs ad mare Euxinum, ubi haud procul Halys fluvius in mare præcipitat. Eam Rex Mithridates pro Regia sua habuit. C) Laonicus. D) Leonar. Chiensis. pag. 322.

victoriæ, invadit, atque ſtrato per ruinas acceſſu, contempta ſuorum jactu- A. C. ra, ſigna infert. Juſtinianus, vetus militiæ Dux, Mahometi oppoſitus, 1453. acerrime ſtationem propugnat. Non minus Cantacuzenus, Demetrius, Notaras, Theophilus, cruentam pugnam cum ſuis manipulis fecere, conſertaque in mœnium ruinis pugna, atque adeo mortis aut inferendæ, aut ſubeundæ neceſſitate coacti, tanto ardore dimicarunt, ut ad duas circiter horas, ancipiti eventu extracto certamine, hoſtem poſtremo loco moverint, nec dubiam retulerint victoriam. A) Sed eam in manibus infregit cum integra Janicſarorum legione Zogan, pleno jam die. Eo enim opem ferente, terra, & mari incaluit pugna, Græcis pro aris, & focis fortiter, ſi unquam alias pugnantibus. Hærebant itaque duo agmina implicita, coacervataque acceſſu aliorum hinc, & illinc accurrentium, obſtinatis uſque adeo utrinque animis, ut veſtigium ſemel captum, non niſi morte illata deſererent. Dum ſic cominus atrociſſime pugnatur, Juſtinianus, qui eatenus victoriam hoſtis cohibuit, vulnere admodum levi, ut perhibent Hiſtorici, perſtrictus acie excedit, Galatam petiturus vulneris curandi ergo. B) Conſtantinus providus Imperator, equo vectus celerrime advolat; hortatur, orat Juſtinianum, ne victoriam elabi ſinat, ne ſuos medio in certamine deſtituat. Sed incaſſum hæc talia canebantur. Genuenſes, ac Veneti, ceu ſpiritu Ducis pugnaſſent, languide arma tractantes, pedem paulatim retulere. Inſtant metu perculſis Turcæ, plumbeamque tempeſtatem tamdiu ſuſtinent, dum unus e prætorianis, cui nomen Chaſanes, in muro inter vulnera, & cædes commilitonum ſignum fixiſſet, ac capta ſtatione primus plenam fugam Genuenſibus intuliſſet. Propugnatores deſerto exteriore muro, per portam Latinam præcipiti fuga ſe ſe recipiunt, multis obtritis (NAM SINGULORUM feſtinatio omnium mora ad fugam erat) ut fere cadaverum ſtrues viam fugiendi interciperet. In hac rerum perturbatione barbari interiorem murum pariter ſuperant, omniaque terrore complent. Cantacuzenus, Toledus ad latus Imperatoris occumbunt; demum & ipſe numero, non virtute victus, acceptis in humero, & facie vulneribus cadit. C)

Eodem fere tempore hoſtis e maritima parte in urbem infuſus, ferro per vicos viam aperuit. In ædem S. Sophiæ, quo ſe imbellis multitudo receperat, feritate inaudita ſævitum; non hominibus, non Divorum delubris parſum eſt. Quadraginta millia cæſa, ſexaginta capta dicuntur, triſtem ſine dubio in ſolo natali ſubitura ſervitutem. Verſi deinde ad prædam victores, triduo ampliſſima templa, palatium Imperatoris, domos civium arcis effractis ſcrutantur. Congeſtis in unum locum ſpoliis, apparuit quam opulenta urbs ea fuerit. Nonnulli Turcarum adeo nummati redierunt ad ſuos, ut proverbio aſſerant etiam in præſentia, ſi quem nimiis opibus florentem videant: *cum direptioni Conſtantinopoleos interfuiſſe.* D) Galatenſes viſo ſociorum excidio, ne & ipſi pari calamitate involverentur, ſponte ſua deditionem facere decernunt. Sed jam Zoganus a Mahomete juſſus claſſem eo appellere, urbi vicinus erat. Cives hoſtem veniſſe rati, cæco terrore abrepti, naves ſuas inſiliunt, vela facturi in Italiam, aut Peloponneſum. Retracti e fuga in fidem accipiuntur; ne vero, ſi ab Italia ſubſidium veniret, defectionem molirentur, qui continentem ſpectarunt muri, e fundamentis ſunt diruti.

Parta hac non minus nobili, quam opulenta victoria; animo ſupra humanum faſtigium elato Mahometes, triumphantis inſtar urbem ingreſſus eſt, atque a victore exercitu non tam militari impetu, quam e Purpuratorum conſulto nova appellatione, & inter gentem Ottomanicam eatenus inuſitata,

A) Idem pag. 324. B) Inter Scriptores haud convenit, qua parte corporis vulnus acceperit. Laonicus dexteræ; Leon. Chienſis axillæ, Byzantina Hiſtoria cruri plagam illatam ſcribunt. Fere conſentiunt ſummam duntaxat cutem perſtrictam, ac in Lemno inſula hominem mærore animi contabuiſſe. C) Laonicus pag. 124. Alii volunt Imperatorem ad portam Romanam contritum; direptaque urbe caput illius Mahometi oblatum. D) Annales Turcici.

A. C. 1453. ſitata, IMPERATOR ORIENTIS ſalutatur, A) Quo vocabulo ſi & ego per decurſum Hiſtoriæ uſus fuero, veniam utique tanto facilius me impetraturum confido, quanto plura Scriptorum exempla, idem nomen repetentium, adferre poſſem. Delectatus præter modum hac ſuorum benevolentia, non diſtulit homo militaris, ardua oppugnatione feſſos recreare ludicris certaminibus, & exhibitis opimis menſis ſuam præſentiam legionibus commodare. Poſt dies feſtos, ſolenni ritu ad ædes D. Sophiæ edictos, pro incolumitate ſui Imperatoris, augmentoque Turcici Imperii, vota concipiunt: mox comeſſabundi, atque crapulis graves in omnem licentiam effuſi per devictæ, & direptæ urbis vicos incedunt; Mahometi Imperatori vitam, & victorias fauſtis vocibus acclamant. Tot inter lætitiæ ſigna, feritatem ſuam minime poſuit inſolens victor. Ter centum adeo captivi, ſummæ apud Græcos nobilitatis, conquiſiti, inter convivia, ac laute diſpoſitas menſas, ferro carnificum cecidere. Horum numerum maximæ inſtar cladis auxit Notaras magnus Dux. Erat huic filius nondum duodecimum annum egreſſus, cujus forma, ac lepore captus Mahometes, eum in aulam ſuam transferre voluit, perque internuncios voluntatem ſignificavit. Notaras obfirmato ad quodvis periculum animo, non ignarus videlicet, POTENTIUM deſideria armata eſſe, audacter obſtitit. Magnanimitatem Viri imperterriti, ſuam injuriam interpretatus Imperator, Patrem cum filiis (nam plures numeravit) in aulam raptari jubet. Ingemuerunt malo ſuo Adoleſcentes, utque ſupplex accideret irato, uberes inter lachrymas Patrem orarunt. At Notaras ſuæ dignitatis memor generoſa potius morte defungi, quam turpem ſervitutem inter adulatorum gregem perpeti, maluit. Itaque hoſtile ferrum primum filii, tum ipſe Pater ſumma pietatis, fortitudinis laude in ferali pegmate excipiunt. B) Eodem fato cecidit Orchanes, Bajazethis I. pronepos, qui crudelitatem Mahometis fugiens, apud Byzantinos exulavit. Adeo per eos dies nec luxuriæ quidquam crudelitas, nec crudelitati luxuria obſtabat. Venetorum, & Genuenſium melior conditio erat. In hos enim non deſæviit victor; in vinculis tamen detenti omnes, quoad numeratis ſeptem aureorum millibus C) a Lauretano, libertati redderentur. Non multo poſt opera Bartholomæi Marcelli pax inter Rempub. Venetam, & Mahometem coaluit, etſi Chriſtiani Principes ad recuperandam urbem arma ſociare voluerint.

Secundum hæc miſſis per provincias literis, Conſtantinopolim novas colonias evocavit, quo urbem incolis exhauſtam repleret. Domicilii cauſa quina familiarum millia brevi temporis ſpatio confluxerunt. His præter morem Turcarum, vectigal annuum, ſolvendum ærario publico, impoſitum erat ab Imperatore ob ampliſſimos domiciliorum fundos. Ea res vehementer perturbavit advenas, multique unde venerant, rediiſſent, niſi onere illo liberaſſet cives. Verum ubi rebus compoſitis numerum incolarum augeri videt, iterum ad ingenium rediit, impellente maxime Mahomete Purpurato, e Græcorum ſtirpe oriundo, tributumque tanto ſecurius exegit, quanto certior, guſtata ſemel ſoli dulcedine, non facile abituros. Et quanquam nova vectigalium ratio non leves turbas conciverit Byzantii; tamen armatus, victorque, ac nullo ab hoſte ſolicitus nihil movebatur; hodieque cenſus ſingulis ædibus pro fortunarum amplitudine imperatus ærario Imperatoris providet. Eadem adhuc æſtate in amæniores Natoliæ, D) ſeu minoris Aſiæ campos receſſit quietem capturus. Sed Martius ille ardor, atque cupiditas Imperium dilatandi otium excuſſit. Rapto in Albaniam exercitu

A) Hartnaccus in ſuo Conſpectu Bellorum ait: expugnabat, diripiebatque Mahometes II. Conſtantinopolim, & finem imponebat imperio Orientis, quod MCXX. annis a Conſtantino Magno ad Conſtantinum Palæologum ſteterat; Mahometes itaque non jam Rex Turcarum, ſed Aſiæ Imperator. B) Laonicus. Alii ſcribunt Notaram trucidatum, dum Mahometi theſauros, quos ampliſſimos poſſedit, obtulit; veluti barbarus eum avaritiæ, aut perfidiæ arguere voluerit, quod in ſalutem patriæ eos non impenderit. C) M. Ant. Sabellicus Dec. III. L. VII. D) Natolia, ſive Aſia minor, vulgo Levante.

citu adverſus Caſtriotum, editis varia fortuna pugnis, Sphetiam, A) ſive A. C. acutam arcem ſuæ ditioni adjeciſſe fertur.

Fatum Conſtantinopoleos, non expectata vi, ſecutæ ſunt pleræque 1454. urbium, jugumque Ottomanicum ſeros in annos duraturum, acceperunt. Cum in hunc modum omnia ad votum cederent, mortalium omnium feliciſſimus erat Mahometes, ſi partis per quietem frui, quam ætatem omnem curis militaribus, ad aliena invadenda convertere maluiſſet. Nemo potentiſſimi Principis arma irritare, nemo in Aſiam transmittere, aut terra bellum, non laceſſitus, inferre auſurus fuiſſet. At immenſa illa dominandi libido, vix confecto Græcorum bello, iterum in novam armorum tempeſtatem Adoleſcentem Imperatorem abripuit. Finitimas Europæ provincias, Albaniam, Serviam, Bulgariam, Dalmatiam, Valachiam, Hungariæ obnoxias, victoriis ſuis deſtinavit: Hungariam deinde ære, & viris validam ſubacturus. Qua ſi potiretur, nullas jam vires, & opes putabat, quæ victoriarum curſum per Europam interrumpere poſſent. Et erant tum temporis Mahometi florentiſſimæ copiæ, ſub Amurathis diſciplina multum exercitæ, & ante Byzantium expugnatum vincere aſſuetæ, quarum fortitudine gentes Europæas domitum iri ambitioſe exiſtimavit. Ergo vaſtis deſideriis velificaturus, Serviam, B) amicam regionem, armatus ingreditur: ſæviſſima populatione agros, oppida vaſtat: Georgii Deſpotis fodinas occupat: Novigradum c) muralibus tormentis fractum, in fidem accipit: bello captos ad metalla, quibus regio illa abundat, damnat: paucos Byzantium mittit. Deſpotes multo inferior viribus, non auſus acie decernere, Hungaros adit auxilia petiturus, quos noverat in belli ſocietatem facile venturos.

Ottomanorum progreſſus ut reprimerent Chriſtiani Principes, 1455. Nicolaus V. & Calliſtus III. Pontifices maxumopere laborarunt. At pulcherrimos conatus Nicolai, mors fatali neceſſitate interrupit: Calliſti vero indefeſſo ſtudio privatæ Principum diſcordiæ, ac bella multum obfuere. Sola Hungaria, quam vicinorum clades exterruit, arma ſumpſit, Deſpotique in ultimo naufragio tabulam prenſanti, opem, & operam tulit. Joannes Hunniades, multarum palmarum Dux, ad tutandas inferioris Hungariæ provincias authoritate Regia miſſus, Albam Græcam D) omni apparatu bellico quam diligentiſſime munit, curasque belli cum Joanne Capiſtrano partitus, veteranum, ac ſpectatæ virtutis militem ſub ſigna cogit: claſſe centum ſexaginta navium Iſtrum firmat: omnes denique Imperatorias artes ea accuratione rebus parandis impendit, nemo ut de victoria ambigere poſſet.

Neque Mahometes rebus ſuis indormiit. Noverat enim, ſibi cum 1456. bellicoſa Hungarorum gente ferro decernendum, quorum Legati, tres ante annos, bellum indixere, ſi Byzantinos infeſtare pergeret. Certus præterea, ex oppidis, arcibusque extractum præſidiariorum robur, certamen, veluti decretorium patriæ libertatis, Hunniade non minus forti, quam felici Duce in limitibus Hungariæ initurum. Propterea & ipſe e ſuis provinciis, exercitum centum, & quinquaginta millium Adrianopoli contrahit. Jumentorum maximum numerum adduci jubet, ad ſubvehendum E) metallum fundendis bellicis machinis delectum. Quippe inuſitatæ magnitudinis, ac formæ tormenta in fruſta diffringi imperavit ob itineris difficultatem: mox ubi in Serviam ventum eſt, ad Chryſonicum F) iterum refuſa, ſuæque naturæ reddita. Claſſem inſuper ducentarum G) navium Iſtro impoſitam, adverſo flumine provehi juſſit opera potiſſimum Janicsarorum. Facto itinere per Serviam pacatis agminibus (nam Lazarus, qui Stephano Patri ſucceſſerat, im-

A) Sphetia, Barletio Sphetigradum, octo, & quinquaginta leucis Croja diſſitum. Hanc arcem a Mahomete ſubactam non meminit Barletius; multa tamen certamina contracta ductu Præfectorum, in quibus Scanderbegus plerumque ſuperior. B) Servia, Mœſia inferior, illius temporis Scriptoribus. c) Laonicus L. VII. pag. 130. vocat Novigradum Neopyrgum, quod idem eſt Græcis. Anton. Bonfinius Italus, elegantior, quam ſincerior rerum Hungaricarum Scriptor, Dec. III. L. VIII. Novum montem Raſciæ appellat. D) Alba Græca, ſive Belgradum, Taurunum. Vide infra illius deſcriptionem. E) Laonicus L. VII. F) Bonf. Dec. III. L. VIII. G) Laonicus L. VII. pag. 131.

A. C. 1456. bellis Princeps precario pacem inierat) tandem duodecimo Junii ad Belgradum consedit.

Urbs est in angulo sita, ubi Danubio Savus miscetur. A Septentrione Danubio, ab occasu Savo alluitur. Arx monti præsidet, loco, & arte munitissima. Ad radicem montis in utriusque amnis ripas civitas effunditur, crassiori muro, fluminibusque firmata. A continente duplici vallo, & mænibus tuta. Nostra tempestate machinatorum ingenio, operum firmitate ab Augusto Cæsare, & Rege Hungariæ Carolo VI. est aucta adeo, ut sine invidia omnibus præsidiis per Europam fundatis, palmam eripere videatur. Ut omnem spem suppetiarum oppidanis intercideret Mahometes, exercitum bipartite divisit. Savum custodiendum committit Caraziæ A) Europææ militiæ Præfecto; ipse præter Danubium cum classe Vidino B) advecta diligenter excubat; cætera multitudo per campos diffusa, planiciem omnem insedit. Jam plures dies ignibus missilibus præsidiarios fatigavit hostis, machinarumque majorum ope mænia tam fœde disjecit, ut res ad supremam aggressionem spectare, nihilque superesse videretur, quam ut undequaque assiliret, & propugnaculum totius Hungariæ uno impetu occuparet. Sed hoc malum solertia Hunniadis avertit. Cum collega enim suo Capistrano classem Hungaris, & Cruce signatis prævalidam, quorum permultos amor Christianæ Reipubl. in Hungariam, Turcici belli theatrum, acciverat, secundo Danubio in barbaros movit. Hi, quo celerius, ut opinabantur, victoriam conficerent, occurrere ausi, navali prælio vires exerunt. Christiani quadrato agmine utramque Danubii ripam legebant. Hunniades dextrum; sinistrum Capistranus regebat cornu: utrumque gravioris armaturæ equitatus protegebat. Postquam ad manus deventum, ferreis vinculis, harpagonibus navigia colligantur: minoribus fistulis, frameis acerrima pugna committitur. In eo certamine plane incenso, memorabilis fortitudo, atque peritia dimicandi, Hunniadis emicuit. In primo agmine versatus, præsentia, voce, exemplo animos militi facit: quoquo se verterat, stragem certissimam infert. Denique in prætoriam navim generoso saltu semet præcipitat; Ducem sequuntur ferocissimi peditum: obsistentes partim trucidant, partim Danubio mergunt, vel capiuut. Ipse fluvius iram Hungarorum indutus, Turcarum naves adverso cursu impellens, aperta fuga cedere cogit, multis celeritate nostrarum navium occupatis, mersisque. Patefacto ferro aditu, Hunniades victor urbem Belgradi ingreditur: integros, recentesque sauciis, ac morbis confectis substituit: præsentia sua omnium animos ad urbem defensandam incendit.

Ad nuncium hujus cladis expalluit quidem Mahometes; cum tamen major copiarum pars ferro intacta foret, & certamenférociter a Præfectis posceretur, urbem assidua verberatione fractam, assultu tentare statuit. Dissuaserant istud amicorum præcipui, qui sub Amurathe septem integris mensibus, ad eandem urbem frustra adhæserant. At Carazias ad ingenium sui Principis factus, quo magis acueret animum alioquin ferocis, & victoriæ cupidi; Byzantinam urbem munitionibus firmam, atque propugnatorum pervicacia defensam, nihilominus victricibus armis nuper perdomitam, non sine triumphi spe magnificis verbis commemorat. His talibus incitatus, exustis navigiis, ne usui forent Hungaris, majori animo, quam fortuna impressionem molitur. Militem suos in ordines ita partitur, ut fessis continuo integri succedant; quo genere dimicandi præsidiarios superatum iri non dubie sibi persuasit. Igitur octavo Idus Augusti illucescente die, c) signo irruptionis dato, summis viribus Belgradum invaditur. Ruunt vesani, ac truces barbari in semiruta mænia, pars ferro, pars scalis aditum rimatur: atrocissimum certamen variis in locis exardescit. Oppidani visa per campos in immensum diffusos succedentium in pugnam multitudine, non jam

A) Fortassis Saratiæ. B) Vidinum, alias Viminacium, urbs Danubio adsita a Turcis munita.
c) Laonicus laudatus ait: antelucano tempore assiliisse Turcas, & nocte prælium diremptum; Bonfinius quatuor, & viginti horis ad urbem, & in campo pugnatum scribit.

jam de victoria, ſed morte ſtrenue obeunda cogitarunt. Ut ne inulti caderent, Hunniades non minus factis, quam verbis unumquemque incitat. Promptiſſimi Turcarum, qui primi Chriſtianos loco moverunt, effuſa tempeſtate minorum glandium cum Carazia ſternuntur. Succedunt alii, atque alii, haud meliorem experti fortunam. Hunniades, ubi confertiſſimos hoſtes videt, eo cum veteranorum robore accurrit: conſilio, manu laborantibus adeſt: optimi Imperatoris, militisque muniis ubique fungitur. Mahometes contra inter cadavera cæſorum inſtare, militibus polliceri præmia, timidos in pugnam retrahere, & fugam circumſpectantes quandoque ferro cedere. Vario Marte eo die pugnatum fuit. Turcæ ſemel, atque iterum ſe in urbem penetrant: at toties ingenti ſtrage repulſi. Ancipiti victoria cum prælium extraheretur, unum ſupererat vaferrimo Mahometi, ut dolo præſidiarios circumveniret. Eam in rem validiſſimas cohortes deligit, fortunam eatenus adverſam poſtremum tentaturus. Hos, quæ fieri vellet, paucis edocuit. Irent quam audaciſſime per ruinas murorum. Si Chriſtiani occurrerent; ſimulata fuga recederent, incautosque in patentes campos prolicerent: advolaturum ſe ex inſidiis cum equitatu, ac longius progreſſos omni reditu in urbem excluſurum. Quod ſi vero præſidiarios ſtationibus dejicerent; ſuſtinerent tantisper impetum, dum auxilia e vicinis caſtris affluerent.

His legibus inſtructi, per cadavera ſuorum commilitonum ad ruinas contendunt, atque uno curſu in urbem feruntur. Jam forum tenuerunt, jam vexilla turribus infixa triumpharunt. In hoc rerum diſcrimine Hungarus, & Turca (placet enim fortium nomina a fortibus auſis non ſejungere) omni poſteritate pulcherrimum ſpectaculum ediderunt. Vexillum Mahometis loco conſpicuo fixurus Ottomanus, quo ſociis captam urbem ſignificaret: ſumma celeritate in altiſſimam turrim nititur. Hunc pari celeritate aſſecutus Hungarus, cum Lunam ſuam obſtinato conatu defigere vellet, neque Hungarus prohibere poſſet, niſi vitam poneret; capto audaci conſilio, ſemet cum hoſte robuſtiſſimis brachiis arrepto, e faſtigio turris præcipitem dedit. A) Sed duorum fato, minime refrixit univerſum certamen. In foro concurſum eſt infeſtis armis tanto pertinacius, quanto certior ſpes victoriæ, utriusque partis animos erexit. Interim Hunniades accitis Michaele Szilagyio, Ladislao Kaniſaio, & Sebaſtiano Rozgonio, Hungarorum Ductoribus, cum globo veteranorum ex arce erumpit, hoſtemque multa dimicatione feſſum, & foro, & urbe proturbat. Mahometes, ut vidit victoriam e manibus extortam, fugam cum ſuis arripit, quo victores in inſidias præcipitet. Fugientium tergis Cruce ſignati alacres hærent, poſtremumque agmen, occupatis etiam Caraziæ caſtris, impigre carpunt. Capiſtranus detectis Turcarum inſidiis, continuo in urbem ſuos revocare contendit. Verum ardore vincendi longius provecti, & ob cadentium clamorem, tormentorumque ſtrepitus, ſignum receptui datum percipere non poterant. Jamque equitatus B) Turcicus, qui a tergo latuerat, laxatis frænis in Cruce ſignatos ire juſſus, levi impendio e caſtris victores ejecit. Ne cædem ſpargeret inter perculſos, Hunniades effecit. Nam captis aggeribus Turcarum, machinas partim clavis infixis inutiles reddidit, partim in Mahometem direxit, atque hac via iterum victoriam obtinuit. Ferunt in hoc poſtremo certamine Mahometem ſecundum pectus, luculentum vulnus accepiſſe, ſeminecemque deportatum in tentorium ſuum, aliquamdiu ſine mente jacuiſſe. Redditum ſibi: audito præcipuos Purpuratorum cum Haſſane c) Vezirio occubuiſſe, adeo ad cladis magnitudinem, & fugæ dedecus ingemuiſſe, ut non aliter, quam hauſto veneno dolorem abſtergere poſſe putarit. At amici mori volentem

A) Hoc facinus, Heroum ſpectacula attribuunt Bohemo militi; at Patrii Scriptores Hungaro. B) Ita quidem Bonfinius narrat. Laonicus vero pag. 133. ait: ab Haſſane Vezirio equitatum omnem temere ad vaſtandum agrum dimiſſum: ſed revocatum calente jam pugna. De inſidiis altum tacet. c) Laonicus hunc ferociter ruiſſe in pugnam ſcribit, ut Mahometem placaret ob equitatum longius dimiſſum; ſena tamen millia in tempore rediiſſe.

A. C. lentem prohibuerunt. Adeo MAGNIS MENTIBUS amor gloriæ
1456. est inditus, ut vitæ potius, quam gloriæ jacturam facere malint. Tot adversis fractus Imperator, sexto, & quadragesimo die obsidionis, videlicet sexto Augusti, quem summus Pontifex Callistus III. festum deinceps haberi voluit, urbem metu absolvit, motis castris Adrianopolim versus. Hunniades, & Capistranus tam nobili victoria potiti, Rempubl. Christianam metu dejectam non mediocriter recrearunt: uterque ab Historicis illius ævi summas laudes consecutus. Prior gloriæ, atque victoriarum satur sicca morte A) fungitur, quem toties hostili cruore perfusum, mors aggredi ausa non erat: alter non multo post laboris, præmiique socium secutus.

1457. Constantinopolim reversus cum exercitu satis afflicto, anno uno, quod mireris, ab armis quievit. Appetente vere provinciarum, urbium Præfectos cum majori copiarum parte Adrianopolim excivit, ut publicæ solennitati interessent, quam in circumcisione Bajazethis, & Mustaphæ filiorum, B) in amplissimis campis Adrianopoleos instituit. Convenerunt ex omnibus provinciis summi Ottomanorum frequenti numero, ludicris spectaculis, ferculorum lautitiis, multis postea diebus detenti. Equestres ludi c) omnium oculos, inprimis rapuere. Ferocissimis equis erecto corpore insistentes, concitato cursu ad metam ferebantur. Funambuli, sive Schœnobatæ miris mæandris spectatores tenuerunt; hodieque pene omnibus gentibus hac arte præstant, præcipue Hebræi, quibus Turcica Asia pro patria est. Neque istud silentio prætereundum. Adolescentem terræ alte defossum, ceu funere elatum, fictis lachrymis complorabant: subinde variis quæstionibus ad vocem edendam urgebant. Cum circumfusa multitudo extinctum conclamaret; repente copioso cespite disjecto, Adolescens alacer prosiliit, nullo iu vultu palloris vestigio deprehenso. Hujusmodi ludis festi dies transmissi, Mahometem, cæterosque mira voluptate cumularunt. Pompæ huic magnifice adornatæ, finem imposuit Mahometes aulæ Præfectus, oblatis Imperatori, filiisque maximi pretii muneribus. Erat Mahometes iste paterna stirpe Triballus, materna Græcus. Ad Semendriam D) ab equitibus Turcis admodum adolescens captus, ad summos deinde dignitatis gradus pervenit cum Murate, e Palæologorum prosapia orto. Plures Byzantio expugnato in aulam Mahometis translati, militari scientia insignes, res Ottomanorum provexerunt. Nempe usitatum est Turcis Christianorum ingenio, & dextris uti, ad evertendam Christianam Rempub. Quamquam id temporis nec vi adigendi, nec auro emendi fuerint, qui suam sive patriam, sive Religionem labefactarent, quando ipsi Principes Græcæ gentis sponte sua ad ejusmodi perniciosa obsequia ruebant, ut jam narrabimus.

1458. Infelices Græcorum reliquiæ in Peloponneso supererant Demetrius, & Thomas, Constantini Palæologi fratres, sed odiis plusquam fraternis dissidentes, mutuas vires in suprema calamitate multum attriverant. E) Missæ illuc copiæ a Mahomete, ut concordiam stabilirent, annuumque tributum exigerent; neutrum perficere potueruut, quod Demetrius parem, Thomas superiorem pati nollet, uterque Imperium Byzantinum speraret. Turcæ ea ambitione irritati, ne vacui e regione opulenta pedem efferrent, Peloponnesi majorem partem populantur, plurima oppida in deditionem prona suis præsidiis firmant.

1459. Ne omni Peloponneso dejicerentur hoc anno calamitosi Principes, suscepta in Serviam, atque Hungariam expeditio præpedivit. Ducto exercitu ad Semendriam, quæ nondum Turcici juris erat, Mahometem Purpuratum cum octo millibus equitum Istrum versus exploratum dimisit, num Hungari, aut Cruce signati bellum molirentur? intellecto omnia pacata in limi-

A) Bonf. Laonicus vulneratum fuisse Hunniadem afferit; eoque mortem acceleratam. B) Laonicus pag. 156. Annales Turcici solum Bajazethis meminere. c) Laonicus hos ludos enumerat pag. 137. D) Semendria, Chalcondylæ, aliisque Historicis, Senderovia & Sphenderovia septem leucis Belgrado dissita, ad Danubii ripam, olim appellata Singedonium, seu Singidunum. E) Laonicus L. IX.

limitibus regni esse, Semendriam de improviso obsidet, & capit. A) Reli- A. C. 1459.
qua oppida, nullis munitionibus defensa, militi diripienda concedit. Mo
tis inde castris Sirmiensem agrum incursat, atque amænissimam regionem
cædibus, incendiis deformat. Michael, & Petrus Szilagii, notæ virtutis
ordinum Ductores, prædatorum agmina adorti, spoliis omnibus exuunt,
ac in fugam compellunt. In Transylvania equestres copiæ perinde male
mulctatæ a Pongraczio, fortunam Mathiæ Regis metuere cœperunt. B)

His procursionibus ad plenam victoriam pervenit alibi Mahometes. 1460.
Demetrius, & Thomas, inquieti Principes, Peloponnesum alioquin discordiis funeste scissam, in dies majoribus turbis involverunt sibi juxta, atque aliis infesti. Modum positurus inveteratis odiis, cum ingentibus copiis e Macedonia, Thessaliaque adductis, adfuit Imperator, & ne quid spatii perculsis fratribus relinqueret, Corintho, nobilissimæ urbi, exercitum admovit. C) Præerat loco Lucanes e civitate Spartana oriundus, qui pari patientia eandem propugnasset, si miles animum Ducis induisset, & FAMEM corporum non minus, quam animorum expugnatricem, ferre diutius didicisset. Equidem Asanes Demetrii Præfectus, præsidiariis fame laborantibus Nauplia D) solvens, quidpiam frumenti urbi intulit; sed arctius conclusi, deficiente annona se, urbemque victori tradidere. E) Urbs altera, cujus nomen Laonicus subticet, repugnare ausa, longe tristiorem exitum habuit. Conjecerant se in eam permulti e Græca nobilitate, libertatis suæ retinentissimi, extrema ante subituri, quam jugum accepturi. Generosos spiritus aquarum penuria præter opinionem celerius infregit. Ad urbis opera fons unicus erat, ex quo incolæ aquam quotidie hauserunt. Eo occupato ab hostibus, nondum pervicaciam posuere. Jumenta cædere aggressi, sanguine farinam subegerunt, panesque ad sedandam famem pinsuerunt. His consumptis, necessitate compulsi, Oratores in castra proficisci jubent, qui æquis legibus deditionem facerent, raris interea per mænia vigilias agentibus. Ea opportunitate arrepta barbari, silentibus signis muros superant, eodemque calore urbem diripiunt.

Cum Asanes per invalidum, imminutumque exercitum, sui Principis fortunam erigere desperaret in campo, urbem Tegeam F) fossis, triplici muro, aliisque operibus probe communitam, pro viribus defendendam suscipit, certus ad illud præsidium oculos, animumque adjecisse Mahometem, quo si potiretur; res Græcorum multum attritas, nulla vi, nullis armis, secuturis temporibus erigi posse sapienter confecit. Non secus, ac senserat, evenit. Nam Mahometes, ut spe omni exueret Palæologos recuperandi Orientis Imperium, Tegeam, quæ una Græcorum genti animos sufficere posset, primo quoque tempore subjugare constituit, eaque domita, omni Peloponneso proturbare Principum stirpem. Antequam urbem quatere occœpit, viros delegit aliquot expertæ fidei, qui apud Tegeæ populum, odio ardentem in Demetrium, & Thomam, Principes suos, de pace, deque urbis deditione verba sererent. Asanem pariter per Legatos admonuit, festinata deditione ut iram victoris leniret, Principum rationem præ oculis haberet. Daturum se iis regionem, civium frequentia, & ubertate frugum non inferiorem Peloponnesi portione. Cum hæc talia ferociter rejicerentur, ad convellenda mænia, & mænibus duriorem Asanis animum, prægrande tormentum admoveri jussit. Molem machinæ vel inde conjicias, quod lapideos, ferreosque globos septingentarum librarum evomuerit, eosque violenta vis per quatuor, & decem stadia rapuerit, horrendo usque adeo fra-

 gore,

A) Annales Turcici. Gobellinus vero hæc tradit: Stephanus Rex Bosniæ homo inconstantis animi, Hungariæ Coronæ dedititius, fœdus cum Corvino multa pollicitus iniit; insuper obtinuit, ut filio suo Senderovia adversus Turcas defendenda concrederetur, qui paucis post mensibus accersitis barbaris magno auri numero eam vendidit, quæ res Hungarorum animos valde fregit, quod locus esset, seu ad tuendam, sive ad impugnandam Valachiam perquam opportunus; hæc ille. B) Bonf. Dec. III. L. X. Chalcondylas. C) Corinthus præaltæ rupi imposita, ab ære suo Romanis celebrata. D) Nauplia, a Nauplio Palamedis Patre sic dicta, portu insignis. Urbs utraque Peloponneso securitati, & ornamento fuit. E) Laonicus pag. 140. F) Laonicus Tegeæ Muchlam urbem substituit Geographis ignotam.

A. C. 1460. gore, ut Peloponnesus ad tam ferales boatus convelli videretur. Forte aberraverat a scopo, dum muros verberat, hujus ignivomæ pestis machinator: globus in sublime evibratus, ac civitatem transvolans in Corinthiorum armamentarium decidit, facileque quatuordecim stadiorum viam confecit. Denique ea nonnunquam ædificiorum, ac mænium admirabilis strages secuta est, quam non aliter evenire potuisse quis credat, nisi quia evenit. A)

Hoc, aliisque machinis labefactatus exterior murus, viam & ipsis defensoribus aperuit in hostium castra. Unde eruptione crebrius facta, modo fœdam operum, modo luctuosam fortium virorum cædem edidere. Cum interea a Demetrio, Thomaque nihil suppetiarum veniret, & cives jam fame premerentur: magni in urbe tumultus fiebant inter cives, & præsidiarios, quod illi famem perpessi, desperata defensione fortunarum direptioni, liberorum, & conjugum securitati consulere satagebant: contra hi, quos sola gloria feroces, ac paupertas indemnes fecit, experiri ultima obstinaverant. Metropolites, qui sacris præfuit, Mahometem de civium erga se voluntate certiorem reddit, urbemque proxime dedendam. At Asanes locum suæ fidei commissum animo constanti tuebatur; militem hortatus, ne incœptum gloriæ plenum, turpi ignominia contaminaret. Postremo impar multitudini civium (quod in urbium obsidione plerumque metuendum, quando præsidiariorum vires infra potentiam oppidanorum habentur) deditionem festinantium; insuper interpellatus per eosdem dies a Mahomete de tradenda urbe, invito prorsus animo cessit. Porro conditionum prima capita hæc erant: Demetrius, & Thomas, tabulis rite confectis omni regione decederent, quam Imperator cum suis copiis emensus esset. Patris, B) Græcorum præsidium deduceretur: tributum a reliqua ditione quotannis Byzantium mitterent. Id temporis Demetrius, & Thomas intra regni sui fines inglorii hæserunt; incendia, vastationes urbium siccis oculis, discordibus animis intuentes. Asanes, & Lucanes Spartanus, qui pari fortitudine Tegeam defensabant, nunc legationis Principes, eo utrumque impulerunt, ut conditionibus quantumvis indecoris in ea temporum calamitate subscriberent, & verbis juratis fidem insuper obstringerent, se adversus Imperatorem nunqnam arma sumpturos. Dedita Tegea, & pace promulgata, Demetrius immemor veteris suæ prosapiæ, data in thori consortem filia Mahometi, signa Turcica secutus, in subjuganda Peloponneso perutilem operam navavit; atque ut stipendiarium barbarorum agnoscas, annis singulis aureos quingentos præter alia beneficia ab aula Byzantina accepit.

Thomas sive levitate animi, sive cupiditate angustos limites proferendi abreptus, pacem momento interrupit. Lucanes Principem ad arma pronum, perniciosis suis consiliis incendere non dubitarat, quod certo rumore accepisset, Corinthios conjuratione inter se inita præsidium Ottomanicum urbe ejecturos. Igitur e Græcis conflato exercitu, Peloponnesum, tristibus vestigiis deformatam, rapidus percursat, Turcarum loca temere infestat. Imperator e Thessaliæ, Ætoliæque finibus Chamusen cognomento Hiaracophorum cum copiis adversus Thomam proficisci mandat. Emensus regionem Elidis c) ad mænia Leontarii Græcos in aciem dispositos offendit. Januzes, equitatus Magister, Thomæ exercitum conspicatus, e fluctuantibus signis conjecit, eum fugæ, quam prælio paratiorem. Impressione facta, Thomas in fugam effusus, militem quoque hostium tela metuentem secum abripuit, ducentis solummodo in fuga trucidatis. Urbs vicina fugientium saluti erat, quam quidem Chamuses corona cinxit, verum peste exercitum depascente obsidionem solvere coactus, Januzem cum Demetrio, vecordissimo Principe, & modica manu militiæ, ad frænandam Thomæ ferociam, an levitatem? in Peloponneso reliquit. Metu liber, iterum funestissimum bellum est orsus, quo pulcherrima regio in manus Ottomanorum deve-

A) Laonicus p. 142. Inde colligere licet, portentosæ hujus machinæ structuram multo majorem fuisse, atque Byzantinam a Daco fusam. B) Patræ civitas Achajæ. C) Apud hodiernos Geographos raro Elidis nomen reperias. Belvedere nunc audit.

A. C. 1460.

devenit. Italorum A) copiis auctus Laconiæ provinciam barbaris ejectis tributariam facit. Urbs Mantinea B) felicem successum interrupit. In hoc armorum æstu consilii incertus, pacem a Mahomete petit, & impetrat. Sed cum tantam pecuniæ vim, quantam liberali animo addixit, solvendo non esset, ipse Mahometes in Thomam duxit. Partitus copias cum Zogano, afflictum Principem omnibus locis maxima celeritate exegit; urbes Achajæ partim vi admota, partim deditione acceptas suo milite insedit. In hac expeditione Demetrius manu, & consilio, multum adjuvit hostium conatus, nec ante a latere Imperatoris, ab armis avelli potuit, quam fratrem suum rebus omnibus eversum, inopem, & profugum videret. Et vero Thomas tanta bellorum mole oppressus, Pylum C) se recepit, incendio late fumantem patriam spectaturus; navigio parato, quo Italiam peteret, si vis hostilis ingrueret. Nec multo post Mahometes, fugitivi vestigiis inhærens, Pylum Veneti juris oppidum infestus petiit, belloque victum in Italiam solvere adegit. Summus Pontifex bellicosi magis, D) quam fortunati Principis calamitatem misertus, hospitio E) perbenigne accepit; & ne iniquiori loco res suas existimaret in aula Romana, quam frater Demetrius in Byzantina, sex aureorum millia quotannis eidem attributa fuerunt. At nec sic quidem Peloponnesi oblivisci potuit. Epidaurum suo præsidio firmatam Mahometi per Legatum obtulit, si e maritimis Europæ urbibus unam cederet. Legato in vincula compacto, intellexit Thomas sibi spem omnem dominandi ademptam. Romæ vita functus duos filios paternæ calamitatis hæredes reliquit Andream, & Manuelem; horum prior pensione Romana contentus, matrimonium inivit infra dignitatem suam, ac sine prolibus decessit. Alter Byzantium profugus, unius filii pater extitit, Mahometana superstitione infecti. Hoc modo discordia duorum fratrum nobilissima Græciæ pars unius anni spatio a Turcarum tyrannide absorpta fuit; futura multorum bellorum arena, & multo sanguine Christiano riganda.

1461.

Pacata Peloponneso, Trapezuntinis Principibus Græcanicæ stirpis, terra, & mari bellum intulit, classi centum quinquaginta navium præesse jusso Mahomete Purpurato. Hic per Pontum Euxinum prospera navigatione usus, descensione facta ad oram Paphlagoniæ, F) nulla hostilitate exercita ad Sinopes mænia metatus est. Præjacet hæc urbs Ponto Euxino, inque maris sinum ad viginti facile stadia procurrens, utroque latere mari cingitur. Ut militem oppugnandæ Trapezunti servaret, Ismaelem G) Sinopes Dominum (qui genus suum ad primos Turcarum Principes retulit) amicitia Imperatoris oblata a belli consiliis avertit, accitumque in colloquium ostenso validissimo exercitu eo perpulit, ut provinciam nobilem sine mora subdiderit, accepta Philippopoli cum annuo fructu. Imperator, qui Castamonam H) cum altera parte exercitus pervenit, collaudata Ducis sui industria, ratas habuit conditiones, ac relicto in Paphlagonia præsidio, Trapezuntem oppugnatum ivit. Sed ut recte decurrat narratio, altius nobis filum retexendum est.

Comnencia stirps jam inde ab Alexio Comneno Imperatore, serie non interrupta, rerum potiebatur Trapezunte, initisqne connubiis cum vicinis Principibus se, regnumque suum per affinitates maxime stabiliverat, donec

A) Meminit Laonicus p. 148. classem in Turcas ex Italia missam, nihil tamen memoria dignum egisse, & Thomæ opinione celerius e conspectu Peloponnesi vela vertisse. B) Mantinea urbs Arcadiæ. C) Pylus urbs Messeniæ. D) Mahometes quanti bellicosam indolem hujus Principis fecerit, ex isthoc encomio colligas licet: Veni in Peloponnesum: mancipia reperi plurima: nullum virum præter istum. Laon. p. 153. E) M. Ant. Sabel. Dec. III. L. VIII. ait: Romam venisse Thomam accepto D. Andreæ capite, ob idque Pontificem Pium II. usque ad Milvium pontem cum frequenti Clero obviam processisse: atque eo loco, ubi Apostoli caput primum veneratus est, marmoreum sacellum erexisse. Augustius aliud in Basilica D. Petri, ubi caput ipsum solenni dedicatione locavit. Vide etiam Gulielmum Burium, & Anton. Sandinum in Vitis Pontif. Seculo XV. F) Provincia Natoliæ, sive minoris Asiæ; mari Euxino adsita. G) Error irrepsit apud Laonicum, dum hunc Ismaelem e Tyriorum progenie ortum duxisse scribit. H) Historia Musulm. hac de urbe habet: Castomonæ sita est versus Sinopen. Tam Sinopes, quam Castamonæ nomina cum ipsis oppidis supersunt. Cedrenus Castamonem appellat, & in Paphlagonia locat.

A. C. 1461. donec diſcordiis domeſticis opes, & vires, veluti nervis ſolutis, paulatim exhauſiſſet. Alexius, qui priſca libertate Trapezuntinis jura dedit, complures liberos numeravit, Joannem, Davidem, Scantarium. Felix Pater, ſi filii a belli ſtudiis nimium abhorruiſſent. Odioſæ primum ſuſpiciones de matre Cantacuzena, Joannis animum occuparunt, quaſi cum Protobeſtiario minus pudice ageret. Iſto propalam cæſo, Alexium, & Cantacuzenam exuta omni reverentia vinctos detinet, ac regnum invadit. Cives metu calamitatum, quas fore prævidebant, ſupplices Joanni accidunt, orant, modum iræ ſtatueret, neve manus ſanguine parentum commacularet. Repugnare auſum in Iberiam ejiciunt. Tum ira in furorem verſa, Trapezuntem armatus rediit. Cum vi aperta Alexium patrem, legionum robore ſtipatum, aggredi non auderet, inſidiis incautum oppreſſit. Corruptis domeſticis, A) clam in urbem, aulamque admiſſi Joannis ſiccarii, alte ſtertentem, & ſui ſecurum cruentis vulneribus conficiunt. Tam atrocis facti invidiam, ut homo perfidus a ſe amoliretur, nocturnos graſſatores partim oculis, partim manibus mulctat; Alexio vero Regia magnificentia juſta perſolvit, cadavere Mauſolæo illato. Vix Joannes Imperium infami parricidio emptum adiverat, Zyches Artabiles Ottomanici agminis Ductor, Trapezuntinos infeſtare cœpit. Extincturus nondum adultas belli flammas, in hoſtem proceſſit Joannes cum claſſe aliquot navium; altera parte copiarum terra procedere juſſa, ut ſibi mutuo, ſi res expoſceret, opem adferre poſſent. Zyches fauces, Capanium dictas, inſedit, prælii copiam facturus, ſi Trapezuntini in aciem prodirent. Joannes præfervidæ indolis, belli aleam haud detrectare videbatur, quod re maritima Turcis præſtaret. Verum fœda tempeſtas adverſis ventis mare exaſperans, adeo potentiam illam maritimam afflixit, ut navium pleræque in altum abreptæ ventorum pervicaci furore, mutuo illiſu aut fractæ, aut certe in alias oras vadis, ſyrtibusque infames, compulſæ fuerint. Turcæ, furentes turbines adverſus Trapezuntinos adeſſe ſibi commilitones conſpicati, ſimul ab occaſione audaciores, raram, diſſipatamque claſſem adorti penitus profligant, cæſo Panſebaſto, ſive Auguſto copiarum Duce cum filio ſuo. Joannes cladi ſuperſtes, crebris, horrendiſque tempeſtatibus conflictatus, Trapezuntem redux obſidionem forti animo ſuſtinuit. Sed brevi poſt tempore urbs peſte correpta, atque incolis magnam partem exhauſta, a Præfecto Amaſiæ B) Chitere armis occupatur.

Hac rerum converſione vehementer perculſus Joannes, ut vel umbram Regiæ dignitatis retineret, Davidem fratrem ſuum fœderis ſanciendi cauſa cum ampliſſimis muneribus Byzantium ablegat ad Mahometem, qui diſſimulato in præſens odio, provinciam adminiſtrandam ei attribuit, impoſito onere, terna aureorum millia in annos ſingulos ærario numerandi. Poſt fata Joannis in Trapezuntinos dominabatur illius filius admodum adoleſcens, & viribus impar tantæ provinciæ. Hunc David perfidia Cabazitanorum throno dejicit, ictoque fœdere cum Chaſane Longo, vicinæ regionis Dinaſta, Legatos ad Imperatorem mittit oratum, vectigales ne eſſent inpoſterum Trepezuntini. Iſtud cùm urgerent contumacius in aula, quam ut rogare viderentur, Mahometes ira percitus, paucis reſpondit: *redirent, brevi ſe cum exercitu Trapezuntem venturum, & armatum querimonias, & lites de vectigali obortas ex æquo deciſurum.* C) Igitur, ut ſupra meminimus, Sinope in poteſtatem redacta, & expedita Trapezuntem claſſe, Imperator terreſtri itinere progreſſus, urbes plurimas Natoliæ, ſolo armorum terrore expugnavit. Chaſani Longo, intra Paphlagoniam aliquot oppidorum Domino, primum belli fulmen imminebat. Sed Matre Sara, D) quæ authoritate, gratia, dicendi venuſtate plurimum apud Mahometem potuit, preces

A) Laonicus hos appellat Cabazitanos pag. 146. Alibi Cabazitænos. B) Amaſia Gallatiam, Pontum, Cappadociam, Aſiæ minoris provincias complectitur. C) E Laonici L. VIII. & IX. hæc transumpſimus, qui perturbato ordine, Comnenorum non uno loco meminit. D) Laonicus nusquam, quod ſciam, nomen hoc prodidit. Apud Sagredo reperi.

preces interponente, in clientelam acceptus, fulmen illud effugit, atque in Davidem, cui fœdere, & ſanguine junctus fuit, torqueri vidit. Architha-laſſus enim Mahometes, iter maritimum accelerans, menſe uno celerius appulit Trapezuntem, quam Imperator, eamque ſuburbiis exuſtis, arctiſſima obſidione preſſit. Advenit ſubinde Mahometes ipſe, & ne diu tempus tereret, Georgium Protobeſtiarium, Davidis Patruelem Trapezuntem intrare jubet, ac commonere Davidem; intra urbem acciperet præſidium Ottomanicum; provinciam Byzantinis Imperatoribus obnoxiam traderet. Si protinus imperata faceret, daturum ſe operam, ut pacatiorem regionem (quemadmodum Demetrio Peloponneſi Principi) Davidi, liberisque ejus perpetuo jure in Europa attribuat. Principi a fortuna deſerto, atque armorum potentia undique circumvento, nihil erat facilius perſuadere, quam quod tacitis votis ipſe optaverat. Itaque poſt modicam deliberationem, admiſſis in urbem aliquot ſignis Janicsarorum, malis artibus quæſita dominatione decedit, ac cum conjuge Irene, liberis, opibus Byzantium, veluti in triumphum, deportatur, inde Adrianopolim. Trapezuntinos non impar calamitas excepit. Byzantium abrepti alii; alii legionibus adlecti. A) Non multo poſt tempore, literæ ſeu fictæ, ſeu reipſa datæ a matre Chaſanis (nam utrumque fama vulgarat) quibus ad tutandam Chaſanis provinciam evocabatur filius Davidis, aut Patruelis ejus Alexius Comnenus, Davidem cum ſtirpe ſua præcipitarunt. Cum liberis, & Alexio vinculis onuſtus, in foro Byzantino mortem imperterrito vultu tulit. Georgius, unus e filiis, Mahometanam ſuperſtitionem amplexus, par fatum habuit. Filiam venuſtior forma ſupplicio eripuit.

A. C. 1461.

Bellum hoc anno Mahometem excepit, quo non ſummis modo viribus, ſed & inſigni crudelitate pugnatum. Vladus, B) Draculæ filius, connivente Imperatore, Valachiam ſibi tributariam effecit. Ut ſine æmulis principatui præeſſet, brevi temporis ſpatio opibus, nobilitate florentes viros, ceu alter Tarquinius c) fictis criminibus ſuſtulit. Comparato exercitu, & in ſubſidium vocatis Hungaris, Turcis bellum indixit. Mahometes per inſidias Draculam e medio tollere ſtatuit, miſſis in Valachiam Cabolino, & Chamuſe expertæ fidei viris, qui tyrannum ſpecie amicitiæ Byzantium arceſſerent, atque in itinere improviſum opprimerent. Dracula iſtiusmodi artium non incallidus, fraudem ſubeſſe odoratus, de induſtria Byzantium verſus iter accelerat, paucis ſuorum comitatus. In loco inſidiarum, tela ſtringuntur, pugna committitur, qua utrumque fugatum capit, ac ſupplicio afficit. Palis præacutis infixa corpora, dirum ſpectaculum viatoribus exhibuere. Defectionem Draculæ, & Legatos interemptos graviter tulit Mahometes; irritatus inſuper denunciato bello, tantum exercitum legit miſſis per provincias Curſoribus, D) quantum Turcia nondum in campum eduxit, ſi eum demas, quo nuper Conſtantinopolis cecidit. E) Iſtro ſuperato Valachiæ infuſus, Draculam ad latus perpetuo incedentem cum ſuo exercitu habuit, neque auſus incendia ſpargere, aut prædas agere. Quos ſpoliorum aviditas longius ab exercitu avulſit, continuo a Valachis occupati in furcam agebantur. Cum exploratum haberet Imperator, nullas veniſſe ab Hungaria copias, in aperto campo metatus, vallis caſtrenſibus locum munire neglexit, Vladum denique infra vires ſuas habet, quo cum inſtructa acie manus conſerat. Dracula caſtra hoſtium ſpeculatus, ſub primam noctis vigiliam, cum ſeptenis millibus equitum in ſtationes impetum facit, Aſianos in fugam conjicit, omnia tumultu, tenebris metum augentibus, complet.

1462.

A) Laonicus pag. 157. ait: octingentos adoleſcentes Janicsarorum cohortibus immixtos. B) Vladus, in Hiſt. Muſul. dicitur Uladislaus. Inde Spondanus ait: Vladum idem eſſe, ac Uladislaum. Callimachus & Draculem, & Uladislaum hunc Vladum appellat. Annales Turcici ad annum priorem hæc referunt. c) T. Liv. Patav. Dec. I. Lib. I. D) Laonicus miram celeritatem curſorum, fortaſſis etiam mira hyperbole extollit. Verba illius ſubjecto: Ex Peloponneſo Adrianopolim, ſcimus Regios Præcones ſive Curſores veniſſe intra quinque dies. Hoc iter intra decem, & quinque dies, eques ægre peragere poteſt, etſi maxime feſtinet. Adi etiam Bonf. Dec. III. L. IX. de celeritate Curſoris. E) Imo Laonicus affirmare non dubitat has copias & armis & reliquo apparatu inſtructiores fuiſſe copiis Byzantio admotis.

A. C. 1462. Jam ad medium caſtrorum pervenerant, tentorio Mahometis certam cladem allaturi: ſed per tenebras errabundi in Iſaacum, prætoriani militis Ductorem, pugnæ accinctum fortuito incidunt. Evitato certamine in forum caſtrorum contendunt, eoque direpto, cum gliſcente hoſtium numero premerentur, albeſcente jam cœlo ſpoliis onuſti caſtris excedunt. Nocturno tumultu cautior factus Mahometes, caſtrenſia opera fieri juſſit, numerumque excubitorum augeri. Nempe HESTERNUS error, magiſter eſſe ſolet hodiernus. Dum Dracula Turcarum caſtris aſſidet, ditionis ſuæ principem urbem fere amiſit. Eam Moldaviæ A) Vaivoda, fœdere implicitus cum Mahomete, ſuis copiis ad extrema deduxerat. Raptis illuc aliquot legionibus Moldavum conatu ſuo dejecit. Interim Draculæ Duces, Principe ſuo ferociores, temere in hoſtem ducunt. Joſuffes Purpuratus hoſtem laceſſere juſſus, vix conſpectis Valachorum ſignis, præcipiti fuga abripitur. Oſmares B) (ducebat hic peditum cohortes) fœdam primi agminis fugam intuitus, ſuos feſtinanter in pugnam promovet, ac fugientes metu pannico perterritos in ordines cogit. Mox & iſti tanto validius in pugnam ruunt, quanto eluendæ coram Mahomete maculæ acrior ſolicitudo ſtimulabat. Fuſi, fugatique Valachi in montium abdita ſemet recipiunt. Dimiſſus in omnem partem equitatus, regionem incendiis, cædibus divexat, tantamque prædam in caſtra comportat, ut viginti millia jumentorum Iſtro transmiſſo recenſita fuerint. Exauthorato Vlado, fratrem illius, Valachiæ Principem dixit. Dracula inviſus alioquin Valachiæ populo, dum inquietus exilii locum alium, & alium quærit, a Mathia Hungariæ Rege, qui eo temporis ad limites Valachiæ tetendit, captus, Budamque deductus diuturno carcere ſcelera nec pauca, nec parva luit. C)

Ex Europa in Aſiam, Lesbi Dynaſta, Dominicus Cataluſius eadem adhuc æſtate revocavit Mahometem. Is interempto fratre majori natu, principatum ſcelere adeptus, cum Piratis ſocietatem inivit, quorum maritimis excurſionibus vicinorum inſulas infeſtas reddidit, mancipiaque e Turcarum provinciis vi abducta coemit. His admodum incenſus Imperator, ad aſperiora alioquin pronus, claſſe viginti quinque triremium præter centum minores in Lesbum navigat, Mitylenenque ad ictum deſtinatam, machinis bellicis, ſeptem, & viginti diebus acerrime verberat. Dominicus abjecti animi D) Princeps, legatione præpropera ad Mahometem inſtituta paciſcitur, inſulam dediturum ſe illico, modo, quibus reliquum vitæ more Principum tranſigat, redditus annui aſſignentur: neque detrectaturum ſe ſub Ottomanicis ſignis mereri. Firmato fœdere, incolas Mitylenæos tres in claſſes more ſuo diſpeſcuit Imperator; unam militibus ſuis accenſuit, alteram Byzantium abduci juſſit, tertiam ad colendum agrum Mitylenes damnavit. Piratarum ter centum, qui urbem intrarunt, diſſectis corporibus, quo acutiori dolore perirent, ad unum omnes mactavit. Cataluſius paucis poſt diebus cum Lucio Æni Principe carceri mancipatus Byzantii; ut leniret Mahometis odium, cum eodem Lucio exuta Religione, Mahometis deliria palam amplectitur. Redditus libertati, & gratiæ, dum ſe extra ictum fortunæ putat, capite truncatur. E)

1463. Hyeme in adornanda claſſe, ac delectu copiarum transacta, primo vere graviſſimum bellum Hungaris, & Venetæ Reipub. celerius intulit, quam vel tenuis rumor armorum percrebuerit. Adrianopoli feſtinato itinere promotas copias, nemine vim parante, torrentis inſtar Boſniæ infundit, Jaiczamque regni caput obſidet. Stephanus eo temporis provinciæ illius Domi-

A) Laonicus Moldaviam appellat nigram Bogdaniam. Principem vero urbem Valachiæ Chillum id eſt Kilium. Hungaris Kilye fejérvár. B) Ob hanc victoriam Theſſaliæ præfecturam obtinuit Oſmares. C) Ita Bonf. Dec. III. L. X. Chalcondylas narrat Vladum rebus deſperatis in Hungariam ſponte confugiſſe. Hunc, uti & Annales Turcicos ſequitur Spondanus. Vladi fratrem Mathias Rex in principatu confirmavit. D) Lesbum apud Cedrenum ſæpius Mitylenen leges, etſi Lesbus maris Ægæi inſula, Mitylene vero Metropolis Lesbi. Princeps iſte apud nonnullos Nicolaus legitur; at perperam: cum Laonicus eundem Kyriacon dicat. E) Inſpice L. X. Laonici.

Dominus, & cliens Mathiæ Regis Hungarorum, cum videret se imparem tantæ eluvioni, fuga dilapsus est Clissam, A) eminus spectaturus, quo res Jaiczensium evasura esset. Repentino Mahometis adventu territi oppidani, & a præsidio male instructi, celeri deditione libertatem pacti, ut liceret sibi patrio more vivere, ac urbana negotia tractare, urbem, arcemque subdiderunt. Ut plenam victoriam ea expeditione referret Mahometes, Vezirium cum Europæo exercitu Stephanum insequi jubet, Clissamque summis viribus impugnare. Urbs ea perennibus aquis septa, difficilem alias aditum præbet hosti, verum ea æstate paludes siccatæ, nullo negotio superari potuerunt. Vix barbari in conspectu urbis castra posuerunt, Stephanus mitiora consilia agitare cœpit. Blanditiis in castra allectus, regno, libertate, vita denique ipsa se spoliatum iri sero intellexit, etsi Vezirius jurata fide longe alia spoponderit. In castra arcessitus a Mahomete, postquam amaris salibus traductus fuisset, per summam crudelitatem pelle exuitur. B) Victoria e Bosnensi agro relata Turcarum vires magnopere auxit. Nam, ut fama est, triginta millia e capta Juventute suis peditibus (quos Janicsaros appellamus) adlegit. Atque sub hoc primum Imperatore ordo iste caput altius extulit, tantumque roboris exercitibus Ottomanorum addidit, quantum pedestris acies (Phalangem vocant) Macedonum militiæ. Equidem præcipuum istud apud Turcas sodalitium instituisse Amurathem II. C) accepimus, ejusque initia fere ad annum post Christum natum MCCCCXXIV. referri, quo Bulgari domiti; at nondum militari disciplina ad eum modum excultum, quo nostra tempestate signa sequi, ordines servare, glandium tempestatem sustinere, ferociter prælium inire, victoriam plerumque suo Marte præ equitatu conficere videmus. Unde processu temporis ob præclaram operam in statariis pugnis, in obsidionibus urbium navatam, & novis immunitatibus, & numero aliis, atque aliis militibus accensis, Janicsari creverunt, ut nimirum in eo veterum bellatorum consortio, Tyrones militaribus præceptis in spem veteranæ virtutis adolescant. Et vero evolventi hæc folia, non semel istorum bellica virtus occurret. Ex quo superbia, factorumque jactantia. Contumacia præterea in suos Ductores, ac ipsos Imperatores, quos levi de causa dignitatibus movent, aut pro libidine interficiunt. Denique creberrime Byzantium ipsum turbis, seditionibus, direptionibus exagitatum, ut nescias, hostesne ea in urbe licentius egissent, an Janicsari? Nempe IISDEM viribus, quibus Imperium augetur, sæpe vel labefactatur, vel evertitur. Sed ad nostra revertamur.

A. C. 1463.

Rex Mathias animadverso se solum flumine Savo, divisum a Turcis, transmisso Savo (quoniam in celeritate erat victoria) quinque dierum spatio iter emensus, Jaiczam cum copiis pervenit, urbeque, nemine repugnante, calendis Octob. potitur. Arx militibus, machinis, re frumentaria munitissima, restitit. Mathias non diebus, non noctibus intermisso labore, quatere muros, otium nullum obsessis dare, exitium ultimum præsidio minari. Harambegus, Regis ardore victus, etsi hyems tempestatibus fœda obsidentes perinde vexaret, arcem dedidit; ipse cum ducentis equitibus Turcis Mathiam D) secutus Budam, augurium majorum subinde victoriarum in Hungariam tulit. Post Jaiczæ deditionem, pulsis barbaris e Bosnia, quinque, & viginti oppida hibernanti militi obvenerunt. Dum hæc secundo Marte in Bosnia aguntur, Respub. Christiana in Peloponneso pene succubuit. Possederant ea in provincia Veneti, aliquot ad oram maritimam præsidia, navigantibusque in Asiam adversus Piratarum incursiones tutum iter præstiterant multis jam annis. Mahometes omni Asia exacturus Christianos, rupto fœdere civitatem Argos E) proditione capit. Hoc velut

A) Laonicus urbem Clitiam pag. 171. crebrius adfert; apud Geographos frustra eam quæsiveris, nisi corrupto jam nomine Clitia eadem sit cum Klucsa, aut Clissa. B) Sic Bonf. Dec. III. L. X. Laonicus ait: Stephanum capite mulctatum. C) Nonnulli institutorem hujus ordinis fuisse commemorant Amurathem I. & tunc numerum definitum fuisse 7. vel 8. mill. Nempe ut Phalanx Macedonum; quæ 8. millia peditum numeravit. Mart. Cromerus L. XXV. habet: Bosnia occupata, triginta millia e Bosnensibus, Janicsaris immista. D) Bonf. Dec. III. L. X. E) Argos urbs Peloponnesi.

A. C. classico excitati Veneti, ductu Petri Palmerii, irruptione in hosticum facta; 1463. oppidum haud magni nominis diripiunt. Paucis post diebus Bertholdus Æstensis, penes quem copiarum fuit imperium, Betinus Calcinatus, Leo Illyricus, pluresque alii, belli fragore audito, ad Methonen A) applicuere. Inde Neapolim B) omne robur militiæ traductum; Argos invadunt, capiunt, ac militi diripiendum objiciunt. Dux Venetus majora ausus, cum quindecim millibus armatorum per agrum Corinthiacum ad Isthmum C) accessit, & circa Saronicum sinum castra defigit.

Aloysius Lauretanus, rei maritimæ Præfectus, in eundem locum classem sat validam direxit. Conjunctæ copiæ opus profecto arduum aggressæ, miro studio, improboque labore spatium illud, quod Ægæum inter, & Jonium mare jacet, muro, & duplici vallo munivere, tanta festinatione operis, ut quindecim dierum spatio supremam manum imposuerint. Bertholdus firmato muro variis castellis, præsidioque militum, Corinthum adoritur. Stationibus suis depulsi barbari, ac intra urbem conclusi, haud dubie victoriam concessissent Venetis, nisi Bertholdus, dum militis potius, quam cauti Ducis munia obit, prægrandi saxo ictus vivere desiisset. Mærore defixi Veneti ob sinistrum Bertholdi casum, insequenti nocte cladem acceperunt. Turcæ enim eruptione tentata, per scopulosa Acro Corinthi latera stationarios fœde deturbarunt. Tot rebus adversis jam fractos, rumor Ottomanicæ classis obsidionem solvere coegit. D) Itaque Betinus Calcinatus, cui summa Imperii a fatis Bertholdi obtigit, Corintho, atque Isthmo sine præsidio relicto, Neapolim citato agmine abit. Barbari recedentes insecuti, infesso ad Neapolim vicino colle, urbi obsidionem inferre minantur. Veneti e tormentis ingentem vim telorum in confertos hostes effundunt; perculsis ad tot machinarum ictus, instant aliquot signa equitum, peditumque: frontem, latera impetunt strage ubique ingenti edita. Quina eo die millia cæsa perferuntur Turcarum. Ne rursum ad eam urbem male mulctarentur, in agrum Methonensem irrumpunt. Coronensem non absimilis tempestas corripuit, cæsis, aut captis Græcis, qui nuperum naufragium evaserant. E) His actis utraque pars in hiberna discedit, eandem arenam haud diu post lectura. F)

1464. Venetis, cum superiori anno minus prospere pugnatum fuerit, Victor Capellius, amplissimarum opum, ac magnæ inter suos authoritatis vir, utile consilium suggessit, nempe ut Mathiam Hungariæ Regem, cujus nomen a rebus gestis per Europam longe, lateque florescere cœpit, in belli societatem adsciscant, junctisque viribus in communem Religionis Christianæ hostem depugnent. Facile istud Patribus G) persuasit, qui Rempubl. suam, rem Christianam salvam voluere. Itaque e Senatus consulto Joannem Enum Oratorem ad Mathiam fœderis iciendi causa ablegant cum sexaginta aureorum H) millibus. Auxerunt hanc summam quadraginta alia millia, quæ Purpurati Patres post fata Pii II. Pontificis in ærario repererunt. Hoc subsidio recreatus Mathias, legiones veteranas in Bosniam dimittit Duce Emerico Deako, ad Jaiczam liberandam. Circumvallaverat eam Mahometes, ut primum licuit per sævitiem hyemis. Urbem, quam Hungari defensabant,

mura-

A) Methone, Corone, Pylus Nestoris, sunt urbes maritimæ Peloponnesi in provincia Messeniæ tunc juris Veneti. Plura de his ad annum 1499. B) Neapolis hæc, Geographis Napoli di Romania, veteribus Nauplia. Est & altera Neapolis, vulgo Napoli di Malvasia, alias Epidaurus. Utraque urbs in Peloponneso est. C) Isthmus, seu firma terra, qui Peloponnesum Pen-insulam facit, intra duo maria jacet, atque spatium quatuor millium passuum occupat. Isthmum hunc Xerxe dominante, Græci muro clauserunt, ut Veneti. Inde materiam ad educendum murum ad manus habuere copiosam. Constat Cæsarem Dictatorem, Caligulam, Neronem has angustias navigabiles voluisse reddere, incasso labore. D) Sabellicus Dec. III. L. VIII. Laonicus pag. 178. ait ob hyemis rigorem obsidium solutum. E) Consule laudatum Laonicum. F) Joannes Bapt. Verus compendio hoc bellum recitat. G) Laonicus Capellii orationem in Senatu habitam percenset, Mahometisque infestum erga Rempub. animum gravi narratione perstringit: occupata contra fœderis sanctitatem oppida enumerat. Id denique per decursum sermonis agit, ut Hungaris pecunia trajiciatur ad prosequendum bellum. H) Bonf. Dec. IV. L. I. Sabellicus Dec. III. L. VIII. scribit: Quinque & quadraginta aureorum millia fuisse missa pluribus annis. Laoni. Chalcon. Viginti millia aureorum collecta, & jam prælapso anno per Oratorem in Hungariam allata ait.

muralibus tormentis uſque adeo verberaverat, ut intra non multos dies muri magno hiatu procubuerint. Res ad aſſultum venit. Antequam in ruinas aſſilirent, Imperator militem ad diripiendam urbem amplis pollicitationibus invitat, promptiſſimos peditum tot in ordines diſtribuit, quot triduanæ invaſioni ſufficere viderentur. Signo invaſionis propoſito, omni ex parte inconditos inter clamores convulſa mænia petunt. Præſidiarii veluti ad ſupremam neceſſitatem confluunt, fortiſſimeque ferro, & igne ruinas tuentur. Prohibere tamen haud potuere, quin hoſtis repetito inſultu ſigna ſua cum ruinis, tum integris mænibus defigeret, animosque commilitonum ad victoriam conficiendam provocaret. Præſidiarios contra ſuperioris anni victoriæ, hoc loco reportatæ, memoria ad ſtationes recuperandas incitavit. Verſabatur ſingulis ob oculos Mathiæ Regis gloria, perpetua armorum felicitas, animusque vel ſtrenue occumbendi inter cadavera hoſtium, vel glorioſe vincendi in capta jam urbe. Ergo ad reportandam fortibus viris expoſitam palmam, ſummo ardore, ſumma vi connituntur: victores redintegrato certamine urgent: ſigna evellunt: locis omnibus proturbant.

A. C. 1464.

Clariſſimum facinus Hungari hoc loco minime præteriero; qui barbarum complexus ſigniferum, in cuneos hoſtium e præalta turri ſemet conjecit. A) Strages eo die tanto major illata Turcis, quanto ardentius in urbem provecti, ut erant conglobati, confertique, ictibus nusquam fallentibus feriebantur. Neque Hungaris incruenta ſtetit victoria. Multi cæſi, ſaucii fere omnes. Interea trepide nunciatur in caſtra: Mathiam Corvinum cum grandi copiarum numero jam Savum ſuperaſſe, obſeſſis auxilia laturum. Rumorem hunc Emericus Deakus aſtu militari ſparſerat, non neſcius FAMAM felicis Imperatoris ſæpe victorias legiſſe. Ad nomen Mathiæ, Mahometes expalleſcere, perturbate diſceſſionem ſuis indicere, munitiones, machinas deſerere, fugam etiam maturare in Macedoniam. Sic Jaicza libertatem adepta, Corvini gloriam longe, lateque diffudit. B) Verum, ut dubius eſt belli eventus, eandem obſcuraſſe videtur expeditio in Serviam C) ſuſcepta. Zoinichum oppidum, terreis operibus munitum, in alterum menſem Mathias fatigarat. Deakum interim equitum Præfectum, cum aliqua manu pugnatorum expedit ad Strevernichum, argenti ſecturis divitem locum, occupandum, qui impigre adortus defenſores, uno, & altero inſultu patrato, munimento potitur, lectisque ſpoliis ad Regem revertitur. Sed dum obſidioni ſtrenuus incumbit Deakus, ſagitta oculum percuſſus, ab impugnando oppido Regios avocare nititur, patefecitque non obſcure, ſe privato dolori altius indulſiſſe, quam ut communes ſuorum civium injurias ulciſci vellet. Rumor præterea primum tacite ſerpens, dein univerſa caſtra pervaſit, Mahometem cum quadraginta millibus proxime adfuturum. Tum enim vero Deakus ſpoliis ſuis male metuens, Mathiam re infecta in Hungariam retraxit. D) In hunc modum & Mahometes, & Mathias, alter alterius fortunam veritus, belli aleæ ſemet ſubduxere. Nempe Imperatores victoriis clari ſapienter imitantur præcautos aleatores, qui plurium horarum lucra, non utique uni jactui fortunæ committunt. Sed mors Pontificis Pii II. ſupra omnem cladem erat. In Concilio Mantuano agitari cœptam in Turcas expeditionem, ut felici exitu abſolveret, Anconam concedit, Principesque Chriſtianos ad ſumenda tandem arma multis ſtimulat. E) In conflando

A) Bonf. Dec. IV. L. I. Sub auſpiciis Hunniadis in defenſione Belgradi ſimile quid attulimus. B) Hiſtoria Muſulm. docet: Mahometem merſis machinis noctu obſidium ſolviſſe: Hungaros metu, neſcio quo, exanimatos fugiſſe, ac in ea perturbatione profligatos. Ex quo fonte iſtud hauſerit, ignotum mihi. Nemo Scriptorum, quod ſciam, calamo ſuo cladem affinxit. Annales Turcici ſilent de hac expeditione. C) Servia, Mœſia ſive Myſia ſuperior Bonfinio, & aliis Hiſtoricis eſt, uti Bulgaria Mœſia inferior. D) Laonicus expeditionis hujus meminiſſe videtur pag. 177. at anno priori. Inter cætera ait: Mathiam Regem exercitum viginti quinque millium trans Savum expoſuiſſe: ferro, & flamma in Mahometis oppida ſæviſſe, cum viginti millibus mancipiorum in Hungariam rediiſſe. Atque hic finem imponit ſuæ Hiſtoriæ. E) Petrus Juſtinianus rerum Venetarum Lib. VIII. de Pio II. ita ſcribit: magna vi mortalium ad famam piæ expeditionis ad eum in urbem confluente, Anconam venit: nec multo poſt adfuit illic ſedenti per literas evocatus Chriſtophorus Maurus Venetorum Princeps cum X. triremibus, militari, bellicoque apparatu egregie inſtructis.

A. C. 1464. flando hoc fœdere dum nervos omnes induſtriæ expromit, lenta ſebri depaſtus, maximo malo Reipub. Chriſtianæ finem vivendi facit. Ab obitu Pontificis Chriſtiani Principes res ſuas extra aleam poſuerunt, tantaque confidentia fœdus iſthoc neglexerunt, quaſi nubes Turcica primum e Caſpiis faucibus ſe evolveret. Quapropter difficillimi belli onera unis Venetis ſubeunda erant; Corvino per Bohemicum, Polonicumque bellum Religionis cauſa occupato.

1465. Victor Capellius, quem fortiter dixiſſe in Senatu Veneto meminimus, ut primum anni tempus navigabile mare aperuit, viginti quinque triremes probe armatas, prætervectus Maleæ promontorium in Eubœam appulit, atque in hoſticum profectus, Lariſſam, Aulidem, Athenas, A) nobiliſſima quondam oppida, Turcis eripuit. His victoriis incenſus, Corinthiacum ſinum acceſſit, ſpe urbis Patrenſis potiundæ. Fecerant eam Græcanici homines, quos Turcarum licentia in urbe illa agentium poſt illatas injurias in deſperationem egit. Proditione clam adornata, Capellium conſcii adeunt, aperiuntque jam pridem ſibi decretum, patrare aliquid in eo naufragio Græci Imperii, quod homines Chriſtianæ Religioni addictos deceat. Eſſe in urbe tenue Turcarum præſidium; poſſe illud levi impendio opprimi, modo Veneti non deſint. Portarum unam a ſe recluſum iri, quo tempore, qua occaſione condictum fuerit. Pro ſucceſſu nulla mercede ſe pacisci, generoſo facto contentos fore. Male cohærenti proditioni Jacobus Barbadicus Capellii Legatus præficitur. Hic militem pridie undis jactatum, feſſumque Patris admovet, adeo ſoluta caſtrenſi diſciplina, ut plerique ad diripienda vicina oppida a ſignis diſcederent. Ter centum barbari vagos, ac ſine imperio, ſine ſignis prædæ intentos maxima celeritate invadunt, momentoque toto campo propellunt. Barbadicus mulæ inſidens, dum militum fugam ſiſtere contendit, hoſtium telis obrutus, inter primos concidit. Illius corpus, paludamento, annuloque inſigne, in Patrenſem arcem ſublatum, palo affixere victores. Mille facile Venetorum eo die perierunt. Capellius eam cladem Barbadici ignaviæ imputans, univerſas copias ad impugnandam Corinthum ducit. Hoſtes commilitonum victoria feroces, antequam Veneti aggeribus caſtra munirent, urbe egreſſi, pugnam fortiſſime ineunt. Varia fortuna quatuor horas atrociter certatum fuit. Sed equites Veneti, dum in collem enituntur vicinum, unde in confertos barbari aſſiduo fulminarunt, ſtrenueque excepti, rejectique primi fugam ſuis intulerunt. Aciem inclinatam non arduum erat cædere; & reipſa internecione deleturi fuiſſent, niſi pulvis coortus proſpectum ademiſſet Turcis. Amiſſis in eo prælio amplius mille, reliqui præcipiti fuga naves petierunt. In Eubœam iter relegens Capellius, bis prælio victus, nunquam deinceps riſiſſe eſt viſus; tandem Chalcide mærore animum depaſcente contabuit. B)

1466. Cladem repenſuri Veneti, Nicolaum Canalem, (Joanni Bapt. Vero Canalium) copiarum Imperatorem in Eubœam feſtinare juſſerunt. Hic ut militis animos, clade ſuperioris anni dejectos, tantiſper recrearet, in Theſſalonicenſi agro villas, & vicos nullo obſiſtente depopulatur. Lectis ſpoliis copias utcunque firmatas in Peloponneſum, belli theatrum, traducit, ac in Patrenſi ſinu oppidum Lagoſticium bello gerendo opportunum, communire occœpit. Jam magna ex parte aggerem, foſſamque circumduxerat, cum repente duo millia Turcarum, operas incurſant. Relictis aliquot peditum ſignis, qui munitionem curarent, cæteros in hoſtem ducit Canalis, contentusque primum ſuſtinere impetum; ubi vidit ſegnius inſtare barbaros, dato ſigno procurrendi ſuis, tanta vi impetiti, diſperſique ſunt, ut victoriam non ſane contemnendam de iis reportaverit. Felix ſucceſſus acriores ſtimulos Duci perinde, atque militi dedit. In Imbrum appulſa claſſe, urbem Ænum

A) Lariſſa urbs Theſſaliæ. Aulis urbs Achajæ, portu quinquaginta navium capace inſtructa. Athenæ optimarum artium olim emporium, nunc ſedes ignorantiæ. B) Sabell. Dec. III. L. VIII. Joann. Bapt. Verus L. III. ad ſequentem annum hanc Capellii expeditionem refert. Annales Turcici nihil de hac.

Ænum circumſidet, admotisque ſub primam lucem ſcalis, mænia, nihil obſervantibus excubiis, ſuperat. Oppidani ſubito terrore fracti, ſemiſopiti, inermesque Venetis occurrunt. Victor miles cæde, rapinis omnia complet, ac demum oppidum in cineres redigit. Chriſtiani cives Turcis permiſti, ſub barbaro jugo tot, tantaque mala ne timere quidem potuerunt. ADEO inſolens eſt victoria, ut legum Divinarum, humanarumque oblita, rectene, an ſecus faciat, haud multum disquirat. Ferunt ſacras Virgines, quibus Turcarum libido ob religionem pepercit, violatas, bina denique mortalium millia in ſervitutem abducta. Hac de Chriſtianis relata victoria ovantes, ſuam Eubœam repetunt, fœdiſſimi facti pœnas daturi excidio celeberrimæ urbis Chalcidis.

A. C. 1466.

Inter has curas Veneti belli, ad Epirum, & Albaniam oculos adjecit Mahometes, feſtinatisque eo expeditionibus per Duces ſuos, Georgio Caſtrioto feliciſſimo ſui temporis Imperatori, fœcundam victoriarum ſegetem ſuperioribus annis dederat, quemadmodum legere licet apud Marinum Barletium. Heroe iſto, anno proxime præterlapſo, A) extincto, Albania non minus conſilio, quam viribus imminuta, & unius Scanderbegi invicta fortitudine eatenus defenſa, creſcenti in dies barbarorum potentiæ ſuccumbere debuit. Joannes Caſtrioti filius cum per ætatem gerendo bello impar eſſet, paternis commonitionibus obſecutus, in Italiam navigat, opem Venetorum, quibuscum Scanderbego fœdus erat adverſus Ottomanos, imploraturus. Verum iis in Peloponneſo ſatis, ſuperque diſtentis, nihil auxilii Albaniæ, fato ſui Principis ægræ, acceſſit. Ne occaſio rei bene gerendæ elaberetur, Mahometes florentibus cinctus copiis, regionem a præſidio deſtitutam ingreſſus anno MCCCCLXVII. munimenta immortali Caſtrioti gloria toties defenſata, deditione partim, partim vi admota, mærore defixis Albaniæ civibus, occupavit. B)

1467.

Altero anno in minorem Aſiam, & ipſam Caramaniam c) bellum tranſtulit, Principesque aliquot earum provinciarum inopinata aggreſſione perculſos, Imperio Byzantino ſubjugavit. Conſtantinopolim redux, vires, opesque omnes in expeditionem Peloponneſiacam non laboris magis, quam quæſtus, & gloriæ plenam convertit; & quia ſuperioribus annis didicit; Venetorum potentiam maxime mari dominari; propterea claſſibus fabricandis & materiam cædi, & navales fabros ædificandi navigia, ac regendi juxta peritos, toto Imperio conquiri juſſit. Alteram curam militum delectui tanto pronius intendit, quanto per eam occaſionem peditum legiones, quas ſupra modum attenuatas in nudis, vaſtisque Caramaniæ agris advertit, ſuppleturum ſe copioſius ſperavit. Nam & dives regio, & frugum ferax multis animos indidit, in illo belli theatro tyrocinium militiæ ponendi, aut veteranam virtutem inter ſpoliorum affluentiam, palam oſtendendi. Itaque ex omnibus provinciis milites ad ſigna ſua feſtinabant, omnesque urbes, & campi equeſtrium, pedeſtriumque copiarum ſtrepitu, huc illuc properantium ad belli magnitudinem excitabantur. Claſſi, ac militum numero par bello neceſſariarum rerum copia. Commeatuum, machinarum, telorum varii generis, & inprimis vis immenſa pecuniarum comportata. Annus denique unus tot, tantisque apparatibus a Mahomete, a Purpuratis quam ſolicite impenſus. Non ignorarunt Veneti eam armorum tempeſtatem in ſe effuſum iri; atque ne uno naufragio cum diſcerpta Peloponneſo haurirentur, properatis legationibus potentiorum Principum auxilia flagitarunt.

1468.

A) Mortem obiit Scanderbegus Lyſſi Albaniæ urbe MCCCCLXVI. XVI. Cal. Febr. ætatis ſuæ ſexageſimo tertio; Imperii viceſimo ſecundo. Barlet. L. XIII. Petrus de Réwa Comes Turoczienſis in ſua Monarchia Regni Hung. centur. V. fortiſſimi Herois res geſtas compendio recitat his verbis: Fuit, inquit, Scanderbegus rei militaris peritiſſimus, incomparabili prudentia magis, quam magnis viribus, tot conſecutus trophæa. Nam cum ſupra ſedecim pugnatorum millia nunquam ſecum traxerit, quadragies tamen & amplius cum Turca confligens, ſuperior ſemper evaſit, parva quidem, ſed ordinatiſſima acie terribilis. Hæc Illuſtriſſimus Author.

B) Annales Turcici.

c) Caramania in majorem, & minorem partita; quondam Ciliciam, Lycaoniam, Piſidiam, Pamphiliam, & Lyciam complectebatur, Principibusque propriis parebat, donec a Mahomete, aliisque Imperatoribus ſubigeretur.

A. C. runt. Sed res privatæ multos ab hoc bello averterunt, multis periculum 1468. alienum, & longinquum incredibilem ſegnitiem afflavit. Veneti tamen Peloponneſi, & Aſianæ navigationis percupidi, in eo diſcrimine turpiter deſerti, a terreſtri militia male comparati, omnem curam, induſtriamque ornandæ claſſi dederunt, quo inſatiabilem Mahometis cupiditatem quoquo modo morarentur.

1470. Et jam graviores nuncii Venetias perculerunt, Oſmarem A) ſupremum armorum Præfectum Byzantio abiiſſe cum claſſe in Tenedum, B) exercitumque Turcarum eo in loco in dies augeri. Nicolaus Canalis Venetæ claſſis Præfectus, in Eubœa tum temporis ſtationem habuit, rumoreque excitus, vela continuo in Imbrum C) fecit. Inſulani cum latium idioma non callerent, attactu capillorum innumera Turcarum navigia ſignificarunt. At quia FAMA eundo creſcit, & timor plerumque non animum modo, ſed & oculos inconſtantes facit, ut rem exploratam haberet, Lauretanum cum decem lectis triremibus, qui certa referat de hoſtium robore, ſpeculatum dimittit ea lege: ut ſi hoſtis non plures atque ſexaginta naves haberet, in eum proras ſtrenue dirigat, ſe absque mora affuturum ſubſidio: ſi plures; detrectato omni certamine iter relegeret. Speculatoria una Franciſci Quirini auſa propius accedere inimicam claſſem; certis, notisque tormentorum ictibus multitudinem Turcarum ſignificat, Venetosque fugæ admonet. Hoc ſonitu percepto ad arma provolant hoſtes, denisque navigiis Quirinum trepide fugientem ſumma celeritate inſequuntur. Prope erat, ut caperetur; ſed tenebræ incumbentes ſaluti fuerunt.

Viſa trepidatione Venetorum, in Eubœam navigat Oſmares, certam de urbe Chalcidis victoriam ſuis pollicitus. Urbs ea firmis operibus munita, multa propugnacula numerat. Portum, in quem ſe naves tempeſtatum maris, atque piratarum incurſionum ſecuræ recipiant, tutiſſimum habet. Cives e quæſtuoſa navigatione, ac inſulæ fertilitate, opes adeo amplas collegerunt, ſuis ut auſpiciis nonnunquam bella geſſerint, vicinisque Regulis terrori fuerint. Religionem a Romanis acceptam ſuo in flore perpetuo conſervarunt. Hæc Mahometem incenderunt, ut florentiſſimam urbem ſuo Imperio adjiceret. Circa Nonas Junias Oſmares in fretum Chalcidis invectus cum ter centum variæ formæ navigiis, urbanæ ripæ cœpit exponere copias. Oppidani metu obſidii extra mænia progreſſi, incompoſitos, ac caſtrorum munitioni intentos, non ſine ſtrage ad naves repulerunt. Interim Mahometes terreſtri itinere facto, cum centum viginti millibus ad Euripum D) conſtitit. Huic militum opera paucos intra dies pons impoſitus mille paſſuum longus, traductoque per eum peditum robore, Chalcidenſes arctiſſima obſidione cinxit. Cives poſteaquam viderunt urbem ea parte impetitum iri, ubi minime putaverunt, pene in deſperationem acti, exitium patriæ ſuæ inſtare, non vane ominabantur. Et profecto PLERUMQUE capiuntur munimenta; quæ aggreſſionem non timuere. Extructis ſuggeſtibus oppugnandi initium eſt factum. Leonardus Calvus militum Præfectus, & Joannes Bondimerius ejus Legatus, eo intentiori cura urbem defendendam ſuſcipiunt, quo luculentius agnoverunt, hujus fortunam cum Poloponneſi urbibus, & præſidiis conjunctam eſſe.

Rumor obſeſſæ Chalcidis, dici non poteſt, quanto terrore Italiam concuſſerit, Venetis Patribus ſolicitudinem auxerit; exiſtimantibus Venetiarum ſalutem ſine Chalcidis libertate integram non fore. Et certe apparebat haud dubie futurum, ut nobiliſſima urbium, niſi celeriter ſuppetiæ ferantur, a crudeliſſimo hoſte exſcindatur; qua ille victoria elatus infeſtis armis

A) Incerto auctore edita expugnatio urbis Chalcidis (vulgo Negroponte, Eubœæ Metropolis, naturæ, ac ingenii operibus firmæ) Baſileæ typis vulgata; adjunctam habet Iſidori Cardinalis expugnationem Conſtantinopoleos. B) Tenedos Inſula Troadis. C) Imbrus inſula adjacens Thraciæ. D) Strabo L. XI. ait: Euripus Chalcidis, ponte junctus duorum jugerum: turris utrinque ad eum extat, una a Chalcide, altera a Bœotia. De reciprocatione Euripi ſufficiat dixiſſe id, quod eum ſepties quavis die, ac nocte mutari ajunt; e cujus vehementi contemplatione Ariſtoteles febrili æſtu correptus obiit, vel ut malunt alii, in eum ſe præcipitavit.

mis Italiæ oras, quoties libuerit, percurſabit; oppida, agros præſentiſſimo malo involvet. Igitur Senatus conſultum profertur, ut quotquot armatæ triremes in portubus ſtarent, absque mora Eubœam verſus curſum deflectant, imperiumque Canalis ſequantur. Sed jam ille omnes vires contraxerat, & quatuordecim triremes cum duabus onerariis ad Euripi anguſtias egerat. Mille paſſibus a ponte Mahometis anchoras fixit, otioſaque fronte quotidiana certamina obſeſſorum ſpectavit, quamvis pulcherrimam occaſionem haberet ſecundis ventis pontem incurſandi. Ipſi minores Præfecti, præcipue Piceamani fratres unius onerariæ Magiſtri, hominem palam admonuerunt, ut ne vecordia ſua rem perditum iret: infamiam ſibi per inertiam conflaret apud Senatum: opportunum tempus, ventos navigationi idoneos non negligeret: ſignum impetendi pontem, aut caſtra daret. Fruſtra hæc talia cantabantur. Vetus illud audiunt: ne quid temere agant: Præfefecto rem committant. Dum ſic in conſpectu urbis miſerum in modum laceratæ, tempus terit vecors cunctator, Chalcidenſium animi inter ſpem, & metum fluctuarunt, ſupremasque vires ad cohibendos aggreſſorum impetus collegerunt. In ea omnium ſolicitudine, domeſtica proditione urbs prope periit. Thomas Illyricus mercede conductus cum lecta cohorte ad urbis præſidium, rem fœdiſſimam eſt auſus: præterquam enim quod hanc expeditionem clandeſtinis internunciis ſuaſerit Mahometi, inſuper pollicitus eſt, ſe locum proditurum, modo ſibi, popularibusque ſuis libertatem ſartam, tectamque ſervaret. Turpiſſima nundinatio nondum ſatis matura, in lucem prorupit. Dum enim transfugæ nunc in urbem, nunc in caſtra abeunt, & incaute literas ſagittis alligatas in urbem jactant barbari, puellæ prætereunti ſuſpicio proditionis oborta eſt. Res ad Magiſtratum delata, Thomam ſceleris convictum e vita proturbat. Paulo aliter hanc proditionem adornatam apud Scriptorem ſupra laudatum reperio: nempe Thomam Liburnum rei tormentariæ Præfectum, ſeu inſigni perfidia, ſeu Turcico auro occæcatum, barbaris locum indicaſſe, ubi muri vetuſtate labeſcentes facile ictibus procumberent. Hoſtes, perfidi hominis indicium ſecutos, ruinam maximam intuliſſe mænibus. Detecto flagitio, ab exacerbatis civibus Thomam ſupplicio affectum ante, quam urbs caperetur.

A. C. 1470.

Spe ſua evolutus Mahometes, cum videret formidabilem claſſem Venetorum re tormentaria, milite quam optime inſtructam haud procul a caſtris Turcicis excubare, & quotidie ſuorum funera nunc eruptionibus, nunc ſolutis cuniculis, & jaculationibus cumulari; ſtatuit ſemet in tutiorem locum recipere, atque oppugnationis negotium Vezirio committere. Verum Aſiaticæ oræ Præfectus, fugam indecoram diſſuaſit, ne videlicet abſente Imperatore obſeſſis animi ſuccreſcant, & Ottomani in certum diſcrimen adducantur. Quin author eſt potius Mahometi; hiantibus jam magnam partem mænibus, aſſultum imperet: militibus civium opes addicat: præmiis ferociſſimos ad invaſionem exacuet. Hoc uſus conſilio, nondum oborta luce, copiarum partem ita in ordines componit, ut non uno loco irruptione tentata, perpetuo ſibi ſuccedant, & vel ipſa pertinacia irrumpendi Chalcidenſium virtutem enervent. Invaſionem atrociſſimam præſidiarii forti, ut alias, animo excipiunt, maxime cum matronarum, virginumque manipulum ferro, lapidibus, aliisque inſtrumentis, quæ muliebris furor ſuppeditavit, armatum, virili prorſus fortitudine laborantibus adeſſe conſpiciunt. Fama eſt in eo diſcrimine urbis, illuſtrem hanc cohortem inter armatos pro mænibus diſcerptis dimicaſſe, ac ſedulitati virorum adeo nihil ceſſiſſe, ut non minus ſuis incitamento, quam hoſtibus terrori, admirationique fuerint. Leonardus, Bondimerius, Paulus Hericius Prætor, ut maxime fervebat pugna, verbo, exemplo militem perinde, atque civem ad defenſanda propugnacula urgent; Nicolaum Canalem ad opem ferendam diſſonis clamoribus admonent, atra vexilla præſentem Chalcidenſium fortunam teſtantia turribus præfigunt. Sed nullius conſilii Dux excidium ſpectare maluit, quam vires Turcarum in ſua navigia vertere. Jam bis rejectis barbaris, plurimum

A. C. fiduciæ ſumpſerunt cives, auſi etiam extra mœnia pugnam miſcere. At dum
1470. integri feſſis, vulneratisque, juſſu Mahometis in auxilium properant; præſidiarii inedia, nimioque labore exhauſti ad Burchianam portam muros deſerunt. Pulſis defenſoribus eo loco, victor in urbem irrumpens, metu per cædem aucto, cives reliquos e ſtationibus ſuis amovet.

Ergo undique infuſus in vaſtiſſimos vicos, nullo ætatis, ſexusque diſcrimine implacabiliter obtruncat obvios quosque; quantumque conglobati in capitibus platearum oppidani militibus immiſti, armorum objectu nitebantur furentium impetum cohibere, tantum una Janicsari, equitesque conjunctis agminibus, ceu torrentium duorum auctu, ruptis aggeribus violentius ferebantur. Leonardus in foro; Bondimerius in ædibus Pauli Andreotii A) hoſtile ferrum altius acceperunt. Hericius cum ſua cohorte arcem tenuit, cui Imperator fide interpoſita capitis ſalutem pollicetur, ſi deditionem acceleret. Spe libertatis falſum, ſecari medium jubet, cavillatione barbare addita: *ſe cervici, non lateribus parcere debere.* Venetos, quos ea tempeſtas intercepit, acutiſſimis palis affixit; Græcos pecorum ritu ſub haſta vendidit. Cæſorum capita in Divi Franciſci area in acervum conjecta, luctuoſo ſpectaculo exhauſtam urbem affecerunt. Hericii interempti filia Anna, inter non vulgaris, & ideo infelicis formæ exempla futura apud poſteros, cum libidini Mahometis morem non gereret; maris animi puella cervices præbuit. B) Ita Chalcidem intra trigeſimum oppugnationis diem, unius hominis ſive timor, ſive imperitia cum inſigni vecordia perdidit, remque Chriſtianam in Aſia penitus afflixit. Canalis e miſerabili oppidanorum ejulatu, Turciciſque ſignis animadvertens captam eſſe urbem; mærore, pudoreque defixus navigationem ſuis indixit. Collecto utcunque animo de invadenda ex improviſo Chalcide conſilium intempeſtivum capit. Aggreſſionem parat ex Euripo, & continenti. Verum numero obruti, qui terra impetum fecerunt, ducentis ſuorum deſideratis, in altum vela dedit. Infelici arena juſſus excedere, Venetias evocatur, ubi ex vinculis cauſam dixit, Patrumque ſententia exilio mulctatus, Utini C) ſupremum vixit. Ferunt Canalem precibus ſui filii, quem eam in expeditionem temere accepit, motum, prælio navali abſtinuiſſe. Inde Senatus conſultum editum, ut ne inpoſterum tenerioris ætatis adoleſcentes cum parentibus ad bella maritima proficiſcantur. D)

1471. Excidium Chalcidis graviſſimam ſolicitudinem Venetis attulit, quemve mitterent ad ferociam Ottomanorum reprimendam, diu, multumque deliberarunt. Omnium ſuffragio Petrus Mocenicus, nobiliſſima ſtirpe apud Venetos ortus, domi, bellique clariſſimus in locum Canalis ſufficitur. Quo minus ea æſtate laceſſeret Mahometem, ſpes pacis, quam quæſiverat barbarus opera filiæ Georgii olim Triballorum Principis, moram ingeſſit.

1472. Poſtquam illa evanuit, Legatique Byzantio revocati; fœdere percuſſo cum Pontifice Xyſto IV. Ferdinando Rege Neapolitano, Rege Cypri, aliisque Principibus Chriſtianis, Mocenicus maritimas oras Aſiæ petiit, ſuperataque Lesbi inſula, in adverſum Aſiæ litus copias exponit. Venetum prædæ intentum barbari equites, agreſtium ejulatu exciti, circumfundunt: at fortiter repreſſi a Peloponneſi levis armaturæ milite, in fuga cladem accipiunt. Capita Turcarum ferro demeſſa, victores cum præda multiplici in caſtra retulerunt, pro quorum ſingulis ſingulos aureos Mocenicus perſolvit. Ut enim ſuorum alacritatem foveret, publico edicto ſanxit, tot aureos numeraturum ſe, quod capita barbarorum miles Centurioni ſuo exhiberet, quod & ſecuturis annis, quoad præfuit Imperator claſſi, ſancte ſerva-

A) Hic eſt ille Andreotius, qui de Chalcidenſis urbis excidio commentarios ſcripſit, Sabellicoque in lucem edendos tradidit. B) Incertus Author, qui & mulierum pugnantium meminit. C) Utinum urbs ampla, & dives Fori Julii. Sabell. Dec. III. L. VIII. ſcribit: multos in eam ſententiam lapſos ob Ænum a Venetis direptum, excidium Chalcidis ſecutum. Canalis Venetæ claſſis Præfectus, ubi mortem obierit, non meminit: ait tamen L. IX. eum a ſe ſæpius viſum in portu Gruario Carnorum oppido, rogatumque, qua potiſſimum ratione patriæ deſiderium levaret? duplici reſpondiſſe indagine: Venatoria altera, al era Literaria. D) Expugnationem Chalcidis priori anno recenſet Joann. Bap. Verus L. III.

servavit. Tam prosperis initiis, mirum dictu, quantopere milites sub hujus ductu vires, animosque receperint. A) Deportatis subinde copiis in agrum Gnidiorum, regionem illam nullo prohibente, divisis agminibus depopulatur. Classem spoliis onustam, inter militares applausus, dum in Peloponnesum reducit, Neapolitani Regis navigia, opportunum sane auxilium, suis viribus adnexuit, cursumque in insulas Rhodo adjacentes dirigit. Tenuerunt eo temporis Rhodii oppidum quoddam sat munitum (Divi Petri castellum appellant) in ea parte Cariæ, quæ Coo insulæ ex adverso respondet, unicum Christianæ Religionis captivorum, si forte delusis Heris fugerent, asylum. Sed adeo angustis limitibus premebantur incolæ, ut per incursus barbarorum, solis mænibus defenderentur, neque liceret oppido egredi ad opus faciendum, nisi in servitutem abripi vellent. Hoc metu ut absolveret oppidanos Venetus, ferro, & igne vicinos agros evastat, jumentorum vim maximam ad classem agit, faces tectis admovet, tanta furentium militum severitate, ut heri pulcherrima regio, hodie præ omni solitudine squalleret. Non pacato animo suas domos everti Ottomani siverunt. Ad arma provolantes, structis celeriter ordinibus, in prælium descendunt; Venetos præda graves circumsistunt, lapidum, sagittarumque tempestatem effundunt. Mocenicus instructa acie, agresti huic multitudini obsistit, plurimisque obtruncatis in fronte aciei, reliquos intra montium cavernas retrudit. Quatriduo post, ad Tabiam Cariæ locum metatur; agrumque urbis Halicarnassi, cujus solummodo tenuia supererant vestigia, militi in prædam dedit. Haud neglexero isthic Mocenici Imperatorias dotes commemorare, quibus militum animos sibi arctissime devinxit. Prædam omnem, quæ certe amplissima fuit in iis provinciis, inter victores ex æquo partitus est: captivos aut publicis laboribus addixit, aut privatis Dominis cessit, quamvis ex eo mercatu ingentem pecuniam derivare posset. Qua continentia vir integerrimus plurimum contulit ad eas victorias, quas in Asia adeptus fuit. Profecto ET MILES liberalius sanguinem fundit, dum præter gloriam, fructum victoriæ sperare potest; & Dux prospere triumphat, si vincat cupiditates suas.

A. C. 1472.

Receptis ad Halicarnassum viginti Pontificiis navibus, quas unus e Purpuratorum Patrum collegio B) adduxit, urbem Ataliam cum classe quinque, & octoginta navium invadit. Superantius Mocenici Legatus, rupta prægrandi catena, suo navigio portum occupat inter densissima barbarorum tela. Eodem calore classiarii admotis propere scalis, mænia conscendunt, tectisque suburbanis flammam subjiciunt, ut ad privata quisque pericula ab armis avocetur. Sed tertius murus interioris urbis, ardorem invadentium restinxit. Cum enim scalæ, murorum altitudinem non æquarent, pauci ad fastigium eluctati, a Turcis, pro salute acerrime pugnantibus, dejecti sunt non sine nautarum strage. Rhodiacæ classis Præfectus, dum incautus portam civitatis impetit, ingenti saxo ictus, in oculis omnium concidit, quæ res ut plurimum hostes accendit, ita Venetis multum fiduciæ ademit. Ad hæc flamma densissimo fumo mixta, impugnantium ora adeo pertinaciter invasit, ut crederes elementum istud hostium animos induisse. Igitur cœpto desistere coacti, in patentes campos vertuntur, atque Pamphiliæ amænissimum tractum non una populatione hauriunt. Nec Smyrna, c) urbs Joniæ, Venetorum iram evitare non potuit. Istius loci incolæ cum domestica, tum externa pace plurimis annis florentes, eo minus arma sibi illatum iri ominabantur, quo magis in remotiori insulæ sinu, sedem fixerunt. Hostium injuriis natura inprimis, ac manu subtracti, omni metu armorum liberi; mænia vetustate collapsa dum erigere negligunt, improviso cinguntur. Molli otio, aut mercaturæ assueti, in ipsis murorum ruinis fluctuantibus signis

A) Coriolanus Cepio Petri Mocenici res gestas conscripsit, quodve oculis usurpavit, in Historiam suam retulit, Chronologiæ parum studiosus. Sabellicus ex hoc fonte rerum Venetarum Historiam continuavit. B) Quod nomen huic Cardinali fuerit? ignotum mihi. Anno integro variis expeditionibus cum Mocenico interfuit. c) Smyrna urbs minoris Asiæ in provincia Joniæ. Hanc fluvius Meles circumfluit.

A. C. signis Mocenico occurrunt. Visis tot fulgentibus Venetorum gladiis, subito 1472. in fugam aversi, fœde per vicos occiduntur. Qui ferrum victorum evaserant, cum copiosa supellectili prædam auxerunt, pecorum ritu ad navigia compulsi. Urbs postremo flammis undique in tecta conjectis in cineres recessit. Balabanus, provinciæ Gubernator, ad rumorem hostilis exercitus advolavit, sed viso miserabili fato Smyrnensium, vix equestri prælio congressus retrocessit, eversæque urbis testis potius, quam defensor fuit. A)

Dum hæc in Asia secunda fortuna gerit Mocenicus, Italia immani terrore concussa, vidit Turcarum triremes volitare per oras maritimas, ac incendia spargere. Ut enim eo averteret bellum Mahometes, atque Mocenicum Asia detraheret ad defendenda Venetæ ditionis oppida, classem maturo jam autumno expedivit in Adriaticum mare. Evastatis summa celeritate Istriæ portubus (cum Veneti equites numero longe inferiores populatione hostem prohibere non possent, ac in Cerviam insulam trepide abirent) Utinum usque inter cædes, & incendia provolant Turcæ, cepissentque uno impetu urbem, nemine vim parante, nisi veriti a tergo insidias, ad tertium ab urbe lapidem consedissent. B) Inde iterum in omnem partem, qua præda videbatur uberior, se circumagentes, incredibile quantum maritimis illis provinciis, ipsisque Venetiis metus, ac trepidationis incusserint. Hæc in Italiam prima irruptio sat prospere cessit barbaro, visaque amænitas regionis, & spoliorum amplitudo; crebrius ut deinceps bello ureretur, incitamento fuit.

1473. Post illatas mutuo populationes, uterque exercitus in hiberna concessit. Et Mocenicus quidem in Peloponnesi oppidis, quæ Respub. sua sub ditione habuit, hyemem pacatam transegit, novisque operibus aliquot munimenta adversus barbaros, quam diligentissime potuit, munivit. Dum instat operi, Adolescens religione Romanus, patria Siculus (Antonio nomen erat) facinus immortali memoria dignum animo volvit. Noverat is in portum Caliopolis c) Ottomanicam classem subductam, ac sine custodiis temere in anchoris stare: noverat præterea e diuturna servitute, quam Caliopoli serviverat, ingentem vim navigiorum, funium in armamentario asservari. Horum non minus, atque viarum peritus, maritimum hunc apparatum absque cæde Christianorum perditurus, delectis comitibus paris animi, celocem pomis refertam Caliopolim applicuit, e vili quæstore, mox nobilis eversor armamentarii futurus. Oppidanis alto sopore oppressis, Siculus vasto, flammisque obnoxio ædificio, ignem non lente injicit tanto successu, præsertim vento in facinus conspirante, ut uno incendio flagrare omnia conspicerentur. Ne naves intra portum receptæ, eadem peste involverentur, civium hinc illinc accurrentium multitudo prohibuit. Siculus hoc incendio clarus, celeri fuga celocem repetit Hellespontum trajecturus. Verum & ipsius navicula per ignem temere disjectum ambusta, fugam inceptam stitit. Igitur in vicina sylvarum latibula se abdit cum sociis. Interim Turcæ in authorem tantæ cladis accuratiori studio inquirunt: urbem percursant armati, domos excutiunt, advenas, suspectæque fidei homines in carcerem abripiunt: tum ecce! vident celocem incendio deformatam male agitari fluctibus, & poma prope littus fluitare. Subodorati id, quod erat, hesterni negotiatoris factum esse, vestigia arenæ impressa legunt, repertumque in caverna, cum sociis retrahunt, Byzantiumque deportant. Rogatus a Mahomete, quid tantopere sæviisset in naves? metuendus magis, quam metuens reposuit: *se id patrasse in commodum rei Christianæ magna voluptate animi, majori si in ipsius Imperatoris caput sævire licuisset. Neque nunc minus animi sibi esse ad mortem, quam ad incendium, aut cædem unquam fuerit.* Hoc responso fortissimi juvenis irritatus Mahometes Imperator, non Porsenæ D) indolem secutus, eum cum commilitonibus suis medium,

A) Coriolanus Cepio L. I. B) Sabellicus id temporis Utini negotiorum causa egit, urbisque metum vivis coloribus expinxit. C) Caliopolis, alias Callipolis urbs ad Hellespontum Thracium. Hujus nominis sunt complures. Imperator Caligula hanc condidisse fertur. D) T. Liv. Patav. Dec. I. L. II.

dium, quo lentius moreretur, ſecari mandat. Veneti cum Heroem præmiis afficere non poſſent, e publico ærario terna aureorum millia ſorori ejus decreverunt: fratri vero, quoad vixit, annuam penſionem. A) [A. C. 1473.]

Hoc velut claſſicum erat belli maximi, quo Venetorum, Perſarumque fortuna penitus profligata fuit. Inter utramque gentem jam inde a primis initiis Turcici Imperii, odium interceſſerat, atque illud illatis, acceptisque aſſiduo cladibus aluerant, nec quantum conjectura aſſequi licet, ventura ætas extinguet. Præterea Uſuncaſſanes, qui apud Perſas tum rerum potiebatur, accepta in thori conſortem Davidis Comneni, Trapezuntis Domini, filia Deſpina; Mahometem per Legatos acriter monuerat, ut ne bello peteret Trapezuntis, Cappadociæque regiones, quas ſibi dotalitio nomine vendicavit. Pupugit enim vero hominem ſupra modum ambitioſum, ſuæque authoritatis retinentiſſimum Uſuncaſſanis poſtulatum; nec armis abſtinuiſſet, ni Hungarorum, Venetæque Reipubl. bellum præ foribus fuiſſet. Dilato tantiſper Perſico bello, B) proximas Byzantio regiones, ut retulimus, ſub jugum mittere contendit, donec tandem Uſuncaſſanes opera Catharini C) Zeni Patricii Veneti, Reipub. fœdere conjunctus, hoc anno Cappadociæ Turcarum provinciæ exercitum immiſiſſet. Joſuffes Perſici agminis Ductor, Toccatam D) opibus magis, quam munitionibus nobilem urbem, patentibus portis ingreditur, ſpoliatam incendio delet, & everſis civium domibus, ceu bello confecto, ſigna vertit in Perſidem. Muſtaphas Imperatoris filius, Amaſiæ Præfectus, Joſuffem ſpoliis tumidum in Caramania aſſecutus, ingenti prælio vincit, ipſo expeditionis Duce intercepto, atque Byzantium in triumphum abducto.

Accepta clade nihil deterritus Uſuncaſſanes, majores copias e ſuis provinciis cogit, Venetorum potiſſimum claſſe, quæ Ciliciæ litora infeſtavit, animatus. Imperator æmuli ſui ſpes uno bello præfocaturus, in minorem Aſiam (Natoliam) ſe confert, & totius Imperii robur, duobus filiis Bajazethe, atque Muſtapha E) comitatus, in Perſas vertit. Præter plurima oppida deditione accepta, Coricum F) prææalto monti impoſitum, vi expugnat, tandemque ad Euphratem fluvium cum ducentis millibus pugnatorum caſtra figit. Perſarum exercitum multo validiorem Uſuncaſſanes in plura agmina diviſum in inſidiis tenuit, nec prælii copiam fecit, donec Murates Romaniæ, ſive Thraciæ Beglerbegus moras pertæſus, incautus hoſtem ultro laceſſivit. Circumventus a Perſis ante, quam auxilio adeſſe poſſet Mahometes, cum ſuis ad internecionem eſt cæſus. Tam felici ſucceſſu allectus, copias ſuas in apertum campum educit Rex, non jam pugnam vitabundus. Mahometes tanto cautior effectus, quanto prælium nupernum angebat magis ejus animum (quippe docere ſolent, quæ nocuerunt) foſſam, vallumque caſtris circumduci, poſt vallum caſtrenſes currus catena inter ſe nexos locari imperat; machinis longa ſerie diſpoſitis, atque quindecim hominum millibus additis, qui currus, & tormenta defenſarent. In medio caſtrorum foro, munimentum excitat, quo ſe recipere poſſet, ſi Marte ſiniſtro confligeretur. Huic delectos pedites, pleroſque Janicsaros, robur utique exercitus ſui impoſuit. Sic rebus intra caſtrorum ambitum ordinatis, Perſas, ſucceſſu audaciores, expectare placuit. Æſtimata caſtrorum munitione, plerique Ducum, qui bellicis artibus, experimentisque clariores apud Perſas habebantur, Regem a caſtrorum invaſione, ac pugnæ diſcrimine arcere conati fuerunt: unus Adoleſcens Regius juvenili ardore, recentique victoria [1474.]

 ferox,

A) Coriolanus Cepio L. II. B) Annales Turcici, & Petrus Bizarus rerum Perſicarum Scriptor L. X. C) Sabellicus Dec. III. L. IX. Hic Catharinus Zenus multum verſatus in aula Perſarum auctor fuit, ut Legatus mitteretur Venetias fœderis ineundi cauſa. Interfuit præliis, & exitum ſiniſtri eventus Mocenico perſcripſit. Subinde ad Mathiam Corvinum Hungariæ, Caſimirum Poloniæ Reges pro ſuppetiis miſſus, legationibus in Aſia, & Europa obitis, illuſtre nomen ſibi comparavit. D) Toccata urbs Cappadociæ, Calchondylæ Tochata. Nonnulli eam ad Armeniam referunt. E) Annales Turcici tertium addunt Zeme, Latinis Zizimum. F) Hujus nominis urbes ternæ in Aſia minore leguntur, totidemque caſtella.

A. C. ferox, veteranorum consilium inertiæ nomine acriter impugnavit, evicitque apud Patrem, ut torpentes intra sua munimenta aggrederetur hostes.
1474.

Primam aciem Zenial A) (ita appellabatur Usuncassanis filius) castris admovit, oppugnationemque acrem potius, quam constantem occepit. Nam ad fossæ marginem cum suo manipulo provectus, plumbea glande prosternitur. Persæ Ducis casu subito perturbati, ceu unius spiritu certamen inivissent, paulatim pedem referunt inter volitantium globorum procellam. Ea trepidatione, Ottomanorum animi adeo incaluerunt, ut prorumpentes e castris, trepidos, ac pugnæ dubios terga vertere coegerint. Rex Persarum visa primi agminis fuga, & cæde; fortunam in æmuli partes inclinantem metuere cœpit, auditoque Zenialem cecidisse, ex infelici arena se celeriter proripuit cum altero filio Ungher Mahomete. Laxato hunc in modum pudore, fugientem Regem plenis agminibus e vestigio sequuntur Persæ, qui nondum sub ictum venerant; incumbentibus cum expeditis equitibus Mahomete, & Mustapha, tanta ferocia, ut ipsa castra omni apparatu militari referta, occuparint. Haud convenit inter Scriptores, quantus armatorum numerus ad Euphratem constiterit? quanta clades accepta, aut illata? Coriolanus B) non dubitavit historiæ suæ inserere, Persarum ter centum quinquaginta millia fuisse; Turcas triginta millibus pauciores. Illorum cæsa decem millia, istorum quatuordecim; nonnulli prodiderunt quadraginta millia; ut fortassis blandirentur victis, quibus UNUM solatii genus superest, ut funera victorum augeant, sua minuant. Annales Turcici, ut virtute, non numero hanc victoriam retulisse evincant Mahometem, tenues admodum copias cum innumeris Persis congressas ajunt. Sed auxerint, minuerintve Scriptores, Persarum stragem: maximam fuisse vel inde conjicias, quod Usuncassanes nihil inposterum in Mahometem ausus fuerit, etsi a Venetis multum stimularetur. Nempe vulnus lethale altius receptum erat, quam ut publicum, privatumque dolorem ulcisci vellet, aut posset. Mahometes ab Euphrate reducto per Natoliam exercitu, victoriam suam multum obscuravit, quod in captivos Persas sævierit: singulis enim diebus quingentos interfici jussit, eoque funerum spectaculo urbes minoris Asiæ exterruit. NON facile injicit animo frænum, qui fortunæ petulantia sibimetipsi eripitur. Mocenicus, qui ad Ciliciæ maritima classem egit, Regis fortunam ut prosperiorem redderet, Seleuciam, c) aliasque urbes subegit. Cursum victoriarum interrupit mors sane luctuosa Cyprii Regis, & oborta ea in insula seditio; ad hanc opprimendam ex imperio Reipub. in Cyprum navigavit, Persasque a fortuna alioqui desertos, repente destituit.

1475. Vix hyeme Byzantii transacta, nova inquietudo Mahometem incessit. Italiæ jam dudum infestus erat, sæpe auditus dicere: *se non ante ab armis discessurum, quam Romam, caput orbis, in suam potestatem redigat.* Urbs Scodra D) eminenti in monte posita, atque ea in parte Dalmatiæ sita, quam ab Epirotis occupatam recentiores Albaniam dixerunt, vota, conatusque morari potuit; qua perdomita, speravit fore, ut Dalmatiam omnem progressu temporis obtineat, omniaque expedita ad universæ Italiæ dominationem habeat. Hujusmodi spebus everberatus Mahometis animus, Solymanum Eunuchum, militiæ Vezirium ad obsidendam urbem cum ingenti apparatu tormentorum, grandique exercitu immisit. Octoginta peditum partim, partim equitum millia censa fuisse E) perferuntur. Ineunte Majo urbe quaquaversus obsessa, fluvium, navium patientem, Bolinam ponte firmissimo jungit: huic custodiendo Alibegum præficit. Mox quatuor prægrandibus tormentis, quæ e materia quingentis camelis eo deportata fudit, verberan-

dis

A) Usuncassanis, sive Longi Cassanis filio nomen fuisse Zenial, asserit Sigismundi Malatestæ Secretarius, qui id temporis in minori Asia versabatur, ut scribit Joannes Leuncl. Nobilis Angrivarii Pand. C. 145. B) L. III. Ex literis Catharini Zeni. c) Plures id nominis urbes apud Geographos reperies. Hæc in Cilicia aspera est. D) Scodra Turcis Alexandria, vulgo Ischenderien, ut habet codex Verantianus, Geographis scutari. Est clavis Adriatici, & Jonii maris. Vide Barletium, qui tribus libris, obsessam, & post quatuor annos expugnatam describit. Eam Venetis cessit Georgius Castriotus. E) Bonf. Dec. IV. L. III. centum millia obsidentium fuisse ait. Fidem Coriolano habere malim, qui præsens spectavit omnia.

dis mænibus initium fecit. Antonius Lauretanus Albaniæ Prætor, pacatis adhuc rebus, diligentia, quanta potuit maxima, in futura provinciæ pericula urbem comparavit: militem qua domesticum, qua exterum sustinendæ oppugnationi parem imposuit; & quamvis munimentis, præsidioque multum deferret, quia tamen alea belli incerta, Mocenici, classis Venetæ Imperatoris opem festinatis terra, marique nunciis imploravit. Adfuit ille secunda navigatione usus, cum Triadano Gritto A) successore suo, atque classe in Bolinam acta, ad ædes D. Martyris Sergii anchoras jacit, cum tenuior alveus versus Scodram navigia majoris molis ferre non possit. Turcæ a tergo impetituri Venetum, Bolinam, ubi in angustas admodum fauces coit, catenis, saxis, trabibus obstruere, & classem reditu prohibere desudarunt. Res per transfugam prodita, omni successu caruit. Nam illuc immissis aliquot armatis navigiis, etsi barbari utramque ripam insiderent, opus illud male cohærens disturbatum fuit, cæsis ex hostibus quingentis.

A. C. 1475.

Interea Scodræ mænibus disjectis, Lauretanum de deditione oppidi compellat Solymanus. Verum cum deditionis nomen ne audire quidem præsidiarii sustinerent, virtutis suæ conscii; res ad assultum venit. Pedites recepto in se scandendi ruinas periculo, partim falcibus, partim prælongis hastis armantur. Hos fortissimi Janicsarorum, ense, & scuto instructi subsequi jussi. Istis sagittariorum cohortes additæ ad repellendos a mænibus propugnatores. Scodrenses non minori industria ad eludendos hostium conatus evigilant. Vasa multo sulphure, pice, pirio pulvere, & quidquid igniariæ supellectilis, ingeniosa ad perdendos mortales solertia invenit, onerant, succensa devoluturi in subeuntes: machinas lapidibus, plumbeis glandibus, minutis ferramentis, quo plures trucident, implent; ad hæc imbellis ætas saxa præparat in assilientes torquenda. His in mutuam cladem dispositis, Ottomani edito more suo clamore, ruinas imperterriti accedunt; hastis, falcibus, æneis fistulis propugnatores urgent. Hi vasa incendio minacia, in confertos ordines devolvunt, plurimosque ea peste interficiunt, aut pugnæ inhabiles reddunt. Nam quoscunque igniaria illa pestis occupavit, acerbos inter gemitus extinguebantur, vel abjectis armis humi volutantes semet, alienam opem horrendis vociferationibus flagitarunt. Saxa præterea e superioribus locis demissa, non minorem metum, stragemque intulerunt. Janicsari quidem semel, atque iterum ignium discrimine liberi, in pugnam contumacius redierunt, sed turbato aggrediendi ordine, atque auctis propterea Scodrensium animis, ægre se in gradum reposuerunt. Neque distulit Solymanus signum receptui dare, fortissimorum militum discrimen non ultra passurus, præsertim audito, multos primi ordinis Præfectos acerbissimo illo incendii genere ambustos, periisse. Recedentium vestigiis oppidani inhæserunt tanto audacius, quanto magis perturbati hostes in castra festinarunt. Coriolanus, B) qui præsens spectavit impressionem, literis prodidit, terna millia Turcarum occubuisse; toto vero oppugnationis tempore sex supra decem millia. Solymanus pervicaciam obsessorum non jam vi, sed lenta fame domandam statuit, neque recessurum se, nisi capta urbe palam edixit. Sed Mathiæ Hungariæ Regis suscepta in Serviam expeditio, hominem compulit ad solvendam obsidionem. Veneti jam inde a millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto anno, Hungaros in societatem belli vocarunt, pugnacissimæ genti decreto stipendio. Verum turbis Bohemicis implicitus Rex, non nisi anno uno Ottomanos lacessivit. Egit Mahometes per suos Oratores Budæ de induciis; semper incassum, quod Mathias diceret: *sibi integrum non esse fœdus, aut inducias cum hoste Hungariæ inire: se patriis legibus adigi ad provincias Regno obnoxias recuperandas.*

Hoc tandem anno obsidione pressis Scodrensibus, Sebastianum Badovarium cum ingenti auri pondere Budam legarunt Veneti, qui fulgore auri,

A) Joan. Bapt. Verus Canonicus Patavinus L. III. diversus est; scribit enim Moccenicum jam anno 1473. Reip. Principem declaratum, Antonium vero Lauretanum in maris præfecturam successisse. B) L. III. quo etiam finem scribendi fecit. Mocenicus, vulgo Maurocenus, redux Venetias, post fata Nicolai Marcelli, Dux Reipub. salutatur.

A. C. 1475. auri, dicendique vi, Mathiæ bellum Turcicum persuasit. Simul atque intellexit Mahometes Hungaros in armis esse, Eunuchum ab obsidione perardua revocavit. Et jam Mathias ad Sabacsium A) tetendit, munimentum in perniciem Hungariæ ædificatum, vi armorum excisurus. Erexerat illud Ottomanus anno septuagesimo supra millesimum quadringentesimum ad Savi fluminis ripam, dum Hungarorum arma extra Regnum peregrinantur. Ut opus morarentur limitum Præfecti, militem contrahunt, tormentis adversam ripam infestant. Sed Turcæ ab aggeribus tuti, manum ultimam terreo propugnaculo imponunt, annona, armis, milite in futura discrimina communiunt. Regis tamen fortissimi vim diu sustinere non potuit, quantumvis Mahometes e prætorianis cohortibus validissimum quemque delegerit, atque ut hunc delectum luculento argumento palam faceret, ipse pennas eorum mitris, pileisque, ornamentum raræ fortitudinis, addiderit.

Inclinante autumno spes potiundi præsidii in celeritate posita erat. Trajecto Savo copias ita partitus fuit Rex Mathias, ut quaquaversus propugnaculum clauderetur, ne quid annonæ inferri posset. Cum longa oppugnatione hostem fatigasset, nec spes affulgeret Janicsaros locum cessuros, astu militari in cæca quadam valle insidiis peropportuna, pedites a tergo præsidii condit. Ipse a fronte cum reliquis copiis hostem distinet, dimicando diem extrahit, paulo ante, quam nox solem eripuit, receptui canit. Præsidiarii Hungaros, quietis causa abiisse rati in castra, quietem & ipsi capturi stationes deserunt, ignari quam luctuosam scenam quies illa apparatura esset. Ingruente nocte, qui a tergo latuerant, raptis subito scalis valla conscendunt, nihil hostile formidantes, suique securos facile fugant,ceduntque. Rex ad primos clamores cum omnibus copiis advolat, prælium summa contentione redintegrat, & non uno loco, in arma coortos removet. Janicsari præcipiti malo confusi, primo victorum furori immolantur; ubi rabies deferbuit, qui cladi superarant, in vincula compacti. Præda omnis generis, triginta dierum militum sudorem abstersit. Postero die Regis edicto, frænum illud Hungariæ, e fundamentis dirutum. Re ad Sabacsium prospere acta, animum adjicit ad Semendriam castigandam, erectisque ternis castellis eam veluti captam tenet. At cum hyems sæviret, depopulatus Serviæ agrum, exercitum novis victoriis alacriorem, in Hungariam reducit. Rumor clarissimæ victoriæ Christianam Rempub. mira voluptate affecit. Romæ, & Venetiis supplicationes habitæ, Regis Mathiæ nomen maximis laudibus celebratum. Badovarius sane Venetus Orator laureatis literis Reipub. suæ significarat, Mathiam sexies semper victorem cum Turcis signa contulisse, Sabacsium partim vi, partim militari dolo expugnasse. Biennio versatus apud Regem, successores accepit Dominicum Aleriensem Antistitem, & Antonium Victorinum, qui centum aureorum millibus, Hungarorum arma in communem hostem acuerunt. B)

Nihilo felicius in Valachia pugnatum fuit. Irruperant illuc centum, & viginti millia armatorum, Regionemque Mathiæ obnoxiam, flamma, & ferro eversum ibant. Stephanus Vaivoda collecta agrestium manu, adeo prospere colluviem illam dispulit, ut pauci admodum cladem vitarint. E captivis non nisi majoris dignitatis Præfecti in vinculis detenti, reliqui omnes a victore per otium capite truncati. Bassæ quatuor cum centum militaribus signis triumphum nobilitarunt. Annales Turcici victoriam Stephano non invite concedunt, suorum tamen cladem mire elevant, simulque excusant; nempe in Scodrensi oppugnatione vires militum vehementer attritas, hyemem præterea immodice sævientem expeditionem arduam effecisse. Haud tamen persvaserint eundem exercitum & Scodræ, & Valachiæ gravem

A) Sabacsium Serviæ munimentum. B) Sabel. Dec. III. L. X. Bonf. Dec. IV. L. V. qui L. IV. ait: a Xysto V. (intellige IV.) Pontifice Dominicum Aleriensem, a Senatu Veneto Joannem Emum missos ad Mathiam Regem Hungar. cum tribus, & nonaginta millibus aureorum. Sabellicus Emum anteponit Badovario.

gravem fuisse hoc anno, maxime Mathia Rege bellum moliente in Serviam, A. C. cui potius succurrendum fuit, quam aliena invadenda. A) Inde conjicio diversum a Scodrensi exercitum in Valachia cæsum.

1476. Anno superiori Mathias Rex, ternis munitionibus militariter ædificatis ad Semendriam, totidem veluti habenis præsidiariorum licentiam excurrendi ita constrinxit, frænavitque, ut cum inde in hiberna discessum foret, Semendriæ obsidionem laxasse potius, quam solvisse visus sit. Mahometes id minime ferendum ratus, Alibegum cum expedita equitum manu Semendriæ jubet succurrere. Sed ille transmisso Danubio, Temesiensem agrum populabundus percursat, tristibusque vestigiis, quacunque se vertit, itinera signat. Rex nuptiis Beatricis distentus, limitum Præfectos admonet, Turcarum latrocinia ut quam primum coerceant, ac bellum in Serviam transportent. Et jam Petrus, & Franciscus Docsii junctis agminibus hostem persecuti triduo, ab agrestium turba intelligunt, Alibegum cum omni præda ad oppidum Pozazin in præalto monte metatum. Festinatis eo itineribus, postquam paucitatem Hungarorum conspiciunt hostes, agmina sua in planiciem demittunt, temereque in pugnam proruunt. Post atrox prælium fusa hostilis acies, victoriam non contemnendam nostris reliquit. Christiani vinculis onusti, visa Turcarum strage, ruptis catenis, funibus, castra inimicorum primi invadunt, custodes obtruncant, ac spolia cum victoribus diripiunt. Non multo post longe sævior procella Dalmatiæ incubuit. Istius provinciæ pagos, & oppida mira celeritate propulatur, B) urit: furore barbaro in aras, Sacerdotes grassatur, infinitam hominum multitudinem in servitutem hostis abigit. Styriæ partem, Carinthiam pari calamitate opprimit; sunt qui ad Forum Julium populabunda agmina excurrisse scribant. C) Utque luculentiorem plagam Mathiæ imponeret, Beatrici e finibus Venetorum per Dalmatiam ituræ in Hungariam, insidias struxit. Verum illa, non nisi in Macedoniam recedente Turca, iter auspicata est per Dalmatiam, incendiis, ac funeribus mæstam. Denique, Regis gloriæ ut umbram faceret apud Principes Europæos, castella Semendriæ injecta, admotis quadraginta virorum millibus deditione capit, præsidiariis militari cum honore libere emissis. Mox cum Ister glacie duratus viam expeditam faceret in Transylvaniam, concremata provincia quadraginta millia mortalium Byzantium secum abripit, sicque nuptialem pompam Mathiæ, incendiis, funeribus, rapinis fœdavit.

Eadem æstate classem expedivit cum viginti millibus ad Capham D) Tauricæ Chersonesi urbem opprimendam. Urbs ista ad mare Euxinum jacet, veteribus Theodosia appellata; olim portu celebri, omnique mercium genere, & opibus præpotens. Id temporis Genuenses dominabantur urbi. Vix in conspectum appulsa est classis Architalasso Achmete; & mænia, & civium animi expugnata fuerunt, etsi rebus omnibus abundarent, & quinquennio obsidionem tolerare possent. Galeacii Pro-Comitis odium, quo apud cives ardebat, & proditio quorundam deditionem acceleravit. Capta urbe primarii oppidanorum cum uxoribus, liberis, & Mengligere Tartarorum Principe, qui cum duobus Germanis se in urbem receperat, Byzantium proficisci sunt jussi. Moldavi mercium causa in portu, & urbe moram trahentes, crudelem in modum e medio sublati. Navis una Caphensium juventutem, & spolia vehens, Græci navarchi industria oppresso Turcarum præsidio, in manus Stephani Valachiæ, Moldaviæque Vaivodæ venit. Caphæ fortunam cum vicinæ arces, tum Crimæi E) Tartari secuti, clementiam potius, quam arma experiri maluerunt. Et hæc quidem expeditio ex animi sententia Mahometi cessit. At Solymanus, qui nuper ad Scodræ mænia adhæserat, nihilo felicior erat hoc anno. Cum triginta mil-

A) Victoriam hanc literis consignarunt Bonf. Dec. IV. L. III. Sabel. Dec. III. Lib. X. B) Inspice, si lubet, inter cæteros Martinum Cromerum rerum Polonicarum Scriptorem L. XXVIII. qui Mathiam Regem acerbiori calamo insectatur. C) Joann. Bapt. Verus L. III. D) Capha, sive Caffa, Turcis Coffe, Straboni Theodosia est. Portus incuria civium arena, lapidibus pene obrutus. E) Crimæa Cimmerium olim. Sic Leunclav. Pand. c. 45. & 148.

A. C. libus Naupactum, A) in Corinthiaco sinu positam, post Calidonem inter
1476. Ætoliæ urbes præcipui nominis, obsedit. Lauretanus maris Præfectus adventum barbarorum prævertens, cum validissima classe Naupacto saluti fuit. Quatuor integros menses arx verberata incassum: sæpe ab urbanis, sæpe a classiariis clades accepta. Ergo ut ignominiam, jacturamque temporis celebri victoria sarciret, Lemnum insulam de improviso invadit: Coccinum oppidum missilibus ignibus vexatum, ac parte murorum spoliatum, fere ad deditionem cogit. Lauretanus hic iterum palmam infregit, Solymanumque cum dedecore ad classem compulit.

Quanquam hanc laudem Marullæ Lemniacæ Virginis fortitudini quidam attribuant, quæ interfecto pro portis Coccini, Patre suo, in locum certaminis accurrit, scutoque & ense morientis Patris arrepto, Ottomanos portam oppidi tenentes primum moratur, B) deinde gliscente civium numero redintegrata pugna virili prorsus animo, & sanguinem perpluens, ad navigia rejecit. ADEO verum est, fortunam locorum sæpius, ingenia incolarum rarius mutari. Nam si fides antiquitati, Amazones Lemnum armis obtinuisse, ac in ea insula sedem fixisse memorantur.

Rursum hoc anno Moldaviæ, & Valachiæ arma illata. Stephanus quidem Vaivoda Moldaviæ, per Legatum bellum avertere tentaverat; sed cum Imperator jam ad Varnam tenderet, & conditiones admodum iniquas dictaret, Legatus re infecta in Moldaviam revertitur. Tartari Mahometis imperium secuti, primi vastitatem agris minabantur; hos peditum robore destitutos uno prælio contrivit. Borysthenes amnis plures hausit, quam ferrum Moldavorum. Interim Turcæ, Stephano equestrem procellam dispellente, Istrum quinque pontibus sternunt, Moldaviamque infesti petunt. Jam ante Stephanus provinciam suam hostilem in modum usserat, jumenta, imbellemque turbam cum re frumentaria in juga montium abdiderat, quam hostis limites Moldaviæ teneret. Inde cum annona in devastata provincia laborarent Turcæ, pabulatum longius procurrendum erat equitibus, quos Stephanus raros, & incompositos sæpe numero aggressus, multa clade affecit. Triginta millia hoc modo trucidata erant. Postremo Moldavi, seu vim Turcarum pertimescentes, seu Stephani ferox ingenium exosi, in medio æstu periculorum, abjectis armis diffugiunt, patriamque incendiis, luctu squallentem hostium libidini permittunt. c) Percursata Moldavia in Podoliam delati, non nisi Casimiri Regis Polonorum adventu, iter in Bulgariam relegerunt; hyemem pacate acturi, ut integris viribus Crojam, & Scodram urbes, quæ retroactis temporibus plurimum molestiæ dederunt, tandem aliquando sub Ottomanicum Imperium, ditionemque subjungant.

1477. Crojam Scanderbegus ob senium, seniique comites morbos, Venetæ Reipub. defensandam commendavit, uti & filium suum, cujus tenerior ætas, & impar bello, & injuriis obnoxia fuit. In hanc urbem veteri odio ardebat Mahometes, tum quod Amurathes turpiter rejectus; tum quod Venetis non leve vulnus inureret, si tam opportuno præsidio eos exueret. Jam anno præterlapso, barbarorum octo millia lenta obsidione urbem presserunt, totaque æstate ad mænia hæserunt, ut ne quid commeatus, aut præsidii Crojani acciperent. Præcipitante autumno duo millia partim Veneti, partim Albani ad Lyssum urbem armati conveniunt, obsessis auxilio futuri. Aderant spectatæ virtutis militum Ductores. Equitatum moderabantur Antonatius Docius, & Ludovicus Tiphernas. Peditatum Carolinus, & Leo Illyricus. Et Turcæ, & Christiani dato veluti signo in aciem prodeunt. Veneti virtute superiores, hostem in fugam agunt, castraque capiunt. Spoliis allecti, tanquam devicto jam hoste, totos se ad prædas transferunt. Crojani libertatem nacti in castra frequentes effunduntur. Id conspicati Turcæ amissum campum ferociter repetunt, & una victoriam eripiunt. Equites

A) Naupactus, vulgo Lepantum, muris vetustate collapsis, hodie ignobile oppidum. B) Sabellicus Dec. III. L. X. c) Annales Turcici hanc victoriam celebrant. Martinus Cromerus L. XXVIII. eam superiori anno obtentam scribit.

tes primi animadverſo periculo diffugiunt, pedites præda graves multi cæduntur in caſtris, plures perfidia Epirotarum perierunt, & inter hos Legatus Cantarenus, qui ſparſos, palantesque per ſylvas, aut Turcis prodiderunt, aut ipſi interfecerunt. Ultra mille viros victoriæ ſecuritas, & prædarum cupido ea die perdidit. A)

Non mediocrem luctum hæc clades Venetis attulit. Sed non multum temporis interceſſit, cum majorem in viſceribus Italiæ ſenſere. Occluſerant Veneti perpetuo aggere poſt primam Mahometis in Italiam irruptionem; præter Sontium amnem, quiquid vadi inter Goritianum pontem, & Aquilejæ paludes fuit. Pro locorum diverſitate jam proceris arboribus, jam terreis caſtellis, pontibus, opus illud centum ſtadiorum longum muniverunt. Tria millia equitum pro operis cuſtodia excubabant, quibus adjuncti pedites, at pro numero equitum pauciores. Dum more ſuo ſtationarii vigilias obeunt, decem & amplius millia Turcarum Duce Marbego, quando nullus hoſtium rumor, ne ſuſpicio quidem erat, repente munimenta incurrunt, caſtellum ad caput pontis erectum occupant. Inclinante die mille equites Sontium ſuperare jubet Marbegus, & inſidias tendere Venetis, qui ſe trepide in caſtra conjecerant. Die poſtero levis armaturæ equitatum caſtris obequitare mandat, atque ad inſidiarum locum pertrahere tentat. Hieronymus Novellus Magiſter equitum, e caſtris prorumpens cum aliquot turmis, prælio leviter conſerto, hoſtem fugæ alioquin accinctum, momento diſpulit. Hieronymi filius, juvenis impiger, & audax, acerrime fugientes inſequitur, patremque male metuentem fortunæ filii, ad curſum accelerandum incitat. Maturis inſidiis veluti juſſi, fugitivi prælium inſtaurant; barbarorum manus ex inſidiis coorta Venetos a latere, a tergo invadit, ſternitque. Hieronymus cum filio, Jacobus Badoarius, & plerique nobilium, quos inconſultus fervor adoleſcentis in certamen pertraxit, vulneribus confecti occubuerunt. Fuſo, fugatoque Venetorum præſidio, ſæva populatione regionem exhauriunt, frequentibus vicis flammas injiciunt. Prædam cum maximo numero captivorum trans Sontium, ubi caſtra poſuerunt, comportatam prædatores ſequuntur, veluti in patriam redituri. Sed nova rabie correpti, rurſus evaſtant circum omnia, non ſine Venetorum militum nota, quibus nupera clades conſilium, & animos reſiſtendi eripuit. B)

Hæc quidem ſuperiori anno acta fuerunt, verum ut uno filo decurrat narratio, prudens in hunc locum diſtuli. Interim Crojani unum, & alterum annum obſeſſi, miſere conflictabantur fame. Ex Italia nulla auxilia ſperare poterant: Albanos, vicinosque populos metu Turcarum perculſos, nihil tentaturos pro comperto habuerunt. Igitur communi conſilio dedendam civitatem ſtatuunt, diuturna fame (omni ferro, & igne crudelius ſæviente in corpora, & animos civium) compulſi. Ita nobiliſſima urbs, Georgii Caſtrioti fortitudinis æternum monumentum, barbaris traditur; oppidanis, morbis, vulneribus, fame denique debilitatis, ac Byzantium abductis. C)

Ad famam deditæ urbis, Scodrenſes jam circumvallati attoniti hærebant, & e proximi parietis ruina exitium ſibi impendere non vane augurabantur. Et certe Mahometes omnem conatum huc contuliſſe eſt viſus. Urebat faſtuoſum Principem ante quadriennium acceptæ ignominiæ memoria adeo vehementer, ut diebus ſingulis inclamari ſibi juſſerit; *Scodram libertate frui, & nondum caput Ottomanico Imperio ſubmiſiſſe:* ne videlicet ob molem rerum, in tanta bellorum tempeſtate agendarum, Scodræ memoria mente laberetur. D) Primo vere Alibegum cum quindecim armatorum millibus præmiſit, quatriduo poſt cum phalange Janicsarorum Solyma-

A) Marinus Barletius Scodrenſis. Lib. I. B) Sabell. Dec. III. L. X. qui eo temporis Utino diſcedens vidit atrociſſimum ſuæ patriæ incendium. C) Deditionem Crojæ triennio ante narrat Joan. Bapt. Verus L. III. D) Ita Marinus Barletius Scodrenſis L. I. Edidit is tres Libros, ut jam ſupra memoravi, de expugnatione Scodræ, videturque inter defenſores numerum feciſſe, adeo ſingillatim omnium meminit. Inſcripſit eos Leonardo Lauretano Venetæ Reipub. præſtantiſſimo Duci.

A. C. num Baſſam; hos ſubſecutus Aſiaticæ oræ Præfectus, tandem Imperator 1477. ipſe ad Idus Junias cum reliqua militum manu Scodram acceſſit. Conſtans oppidanorum, & transfugarum opinio erat, raro urbem tantis viribus, tanto apparatu omnium rerum, impugnatam fuiſſe. Ter centum, quinquaginta Turcarum millia ad urbem conſediſſe fama eſt, patentesque campos, ac montium latera, explicatis longe, lateque tentoriis occupaviſſe. Duodecim millibus Camelorum materiam fundendis machinis advectam: ſexies omnino cruentam impreſſionem tentatam: nihil demum ab utriusque partis milite prætermiſſum, quo Scodra, celeberrima apud poſteros redderetur. Machinæ obverſæ mænibus, quarum plurimæ mille ducentarum, & amplius librarum ſaxa ejiciebant, ruinam non modicam ediderunt. Neque miſſilibus ignibus abſtinuere, quos potiſſimum nocturnis horis, quo majorem in urbe tumultum cierent, in civium tecta jaculabantur. Siquam domum flamma corripuit, ne incendium ſopiretur, præter lapidum tempeſtatem, immenſam vim ſagittarum emiſerunt; tantaque ſtrues ex iſthoc genere telorum compoſita fuit, ut oppidanis ad cibaria coquenda, ad furnulos calefaciendos abunde ſufficeret. Bolinæ fluvii munitionem, quam tuendam ſuſcepit Carolinus Italus, equitum Præfectus, & magnam portam maxime impugnarunt obſidentes; at præſenti animo propugnatorum, perpetuo in caſtra rejecti ſunt. Mahometes furore amens, centum quinquaginta millia armatorum deligit; hos jubet in ruinas jam ad aſcenſum patentes eniti, die Divæ Magdalenæ Sacro. Nemo Præfectorum erat, qui caſuram eo die Scodram, Imperatori non polliceretur.

Ut vero irrupturos ſua præſentia acrius incitaret, Baſſæum A) collem, Scodrenſi portæ imminentem conſcendit, teſtis utique futurus ſingulorum fortitudinis, aut ignaviæ. Ad ſignum invaſionis, inter denſam plumbi, lapidumque pluviam, uno procurſu ad ruinas contendunt, cominusque propugnatores ad certamen cogunt. Oppidani, qui tum temporis ſacris intererant, audita vociferatione pugnantium, conſociatis cum milite viribus, ad mœnia convolant, acerrimumque prælium faciunt. Barbaris ſua multitudo plurimum nocuit, quod non ſatis explicatis ordinibus in collem niterentur, & ad aſſiduas tormentorum iras recta, & oblique ferientium hærerent. Mahometes dolore, iraque æſtuans, relicto monte, unde aggreſſionem ſpectavit, ſe irrumpentibus immiſcet, conglobatosque admonet, ut expanſa acie, ſubeundi aditum ſibi mutuo non præcluderent, ſed tormentorum globis, ut innoxii transvolarent, aperirent. Solymanus armorum Præfectus, fluctuantes inter ſtragem commilitonum hortatur, in magnam portam ut vires convertant, ea capta haud dubie victoriam abſolvi. Illuc ferociſſimis peditum convolantibus, novum, atroxque certamen oritur. Jamque fatigatis oppidanis, Ottomanis ſpes accrevit capiendæ portæ, & reipſa cedentibus Chriſtianis munimentum ſuperant, ſigna Mahometis defigunt. Melioribus fatis debebatur, quod Antonius Legius Prætor, fortiſſimam cohortem in foro armatam tenuerit, ad ſubita pericula accinctam.*

Hæc feſtinatis nunciis accita, vexillo D. Marci late explicato, ad portam jam occupatam decurrit, victoremque exultantem incredibili ardore invadit, gladiis, ſaxis, obnitentem proterit, e pinnis murorum deturbat, ac victoriam fere confectam corrumpit. In ea plurium horarum dimicatione, cæſa dicuntur duodena Turcarum millia, præſidiariorum facile quadringenti, nemoque Præfectorum inventus, qui absque vulnere prælio exceſſit. Chriſtiani non ſine præſentiſſimo Numinis auxilio inſigni victoria potiti, ut erant ſanguine hoſtili, ſuoque perfuſi, & armis induti, ſacras ædes repetunt, Deo, Virgini Matri, Divæque Magdalenæ grates perſoluturi. B) SAPIENTER vincit, quisquis felicem prælii exitum non ſibi, ſed Superis attribuit. Fervente oppugnatione Scodrenſi, ne quid auxilii ab Italia veniret, partem exercitus ad Sontiacas, & Gradiſcanas munitiones infeſtandas

A) Sic dictus, quod in prima oppugnatione Byzantinus Præfectus in eo tentorium ſuum ſtatuerit.
B) Barletius L. II.

das misit Mahometes. Cum Venetus pugnam detrectaret, motis signis per abrupta montium juga, in Carnioliam iter instituunt hostes. Vix fidem posteritas habebit, equitatum ea loca adiisse, quae ipsis incolis peditibus ascensu ardua omnino, atque invia sunt. Vicerunt tamen barbari asperitatem saxorum, & praesidiis dejectis e montium jugis, late terrorem juxta, ac incendia sparserunt. A) Eodem tempore Asiaticae orae Praefectus oppidum Drivastum haud procul Scodra dissitum cepit. Quingenti cives in conspectu Scodrensium concisi. Urbs Lyssus eandem fortunam experta est, cum duabus Venetis triremibus.

A. C. 1477.

Haec praesente in castris Mahomete acta. Is sive victoriam desperaret, sive paucioribus copiis urbem brevi subactum iri existimaret, Byzantium abiit, relicto ad Scodram Marbego cum quadraginta circiter millibus. Antequam inde moveret, Bolinam fluvium geminis castellis claudit, quibus Janicsarorum praesidio communitis Marbegum praefecit, praecipue admonitum, ut intentiore cura, ne quid subsidii per amnem, Scodram adveheretur, excubaret. Sed Veneti, non jam de Scodrae libertate, aut bello prosequendo, verum de pace ineunda cum Ottomano omnes cogitationes defixas habuerunt. Cum enim Mathiam Regem Austriaco bello implicitum viderent, neque spes concordiae esset; & sibi praeterea a Mathia metuerent, quod nonnulla oppida in Dalmatia juris Hungarici, suo praesidio firmarint, abrogata insuper pensione annua; pacem tanto cupidius quaesiverunt, quanto majora pericula tum a Mahomete, tum a Mathia sibi imminere praevidebant. Misso Byzantium Joanne Dario, qui de pace ageret, post multa taedia, sub hyemis exitum ea tandem impetrata, iniquis certe conditionibus. Summa illarum haec erat: Scodra, Tenaro, Lacaoniae promontorio decedat Venetus: civibus liberum sit, fortunam sequi, quam vellent: quot annis aureorum octo millia pendat, quo Pontica navigatio mercatoribus sit tuta, & libera. B) Jam Scodrenses fame vexari coeperant, & foeda cadavera, mures, canes, haud levi pretio coempta in cibum cesserant, cum pridie Nonas Aprilis urbs deditur. E sexcentis & mille viris, quadringenti duntaxat & quinquaginta cicatricibus insignes supererant, praeter centuriam matronarum, quae militarem cultum indutae, truces, & adhuc iram spirantes Scodra excessere. Venetias translati patriae suae oblivisci poterant, quando alii urbium praefecturis ornati, aliisque militaribus muniis, alii ex aerario publico annuam pensionem acceperunt.

1478. Pace composita Venetos inter, & Mahometem, ingens formido incessit Italiae Principes; apparebat enim fore, ut Venetis quiescentibus, Ottomanus ferocius arma corripiat, atque in ipsius Italiae viscera, quoties libuerit, grassetur, cum iisdem jam locis rerum potiatur, e quibus singulos provinciae Dynastas ad caedem designare possit. FIERI nempe amat, ut alieno periculo non multum moveamur; si capiti nostro malum immineat, angimur, premimur, & solicite opem circumspicimus. Nec falso haec talia sibi persuaserant, ut postea videbimus. Sed fere in exordio pacis, belli flamma erupit. Insula Cephalenie c) nondum Turcas dominos agnovit, suis sub Regulis libertatem coluit. Huc classis Ottomanica appulsa, exactis Principibus insulam obtinuit. Restabat Zacynthus juris Principum Cephaleniae, hanc pariter Turcae ad ictum destinarunt. Leonardus Lauretanus classi Venetae praefectus, hostium naves impiger sequebatur, nunciabatque copiarum Ductori; *haud quaquam passurum se, ut ea insula oppugnetur, ni Venetus equitatus sine fraude, sine injuria emittatur. Monere ad haec hominem, ut ne quid agat adversus pacis foedera, neve novo bello utramque gentem involvat: non ita fractas Reipub. vires, ut per summam injuriam omnibus fortunis everti, civibus privari se sinat. Adesse sibi classem probe armatam, qua vim vi repellat. Mitiora potius consilia amplectatur, & quid*

F 3 *sibi*

A) Sabell. memorato libro ait: hanc irruptionem in Italiam sua aetate ultimam fuisse. B) Barletius hoc loco finem suae Historiae imponit. Annales Turcici in annum sequentem haec omnia referunt. c) Cephalenia insula maris Jonii, haud procul Zacyntho.

A. C. 1478. *sibi faciendum sit, Byzantium consulat.* Cessit barbarus monenti. Uterque literas dedit Byzantium: ad Mahometem Turca; Venetus ad Benedictum Trivisanum, qui tum in aula Legati munere fungebatur. Vicit Venetus. Equitatus Zacyntho deducitur, & cum illo multa mortalium millia, subitura servitutem, nisi Mahometis in Venetos studium, in alienas sedes migrandi potestatem fecisset. Nempe Venetum irritare animus non fuit, ut in Hungariam rabiem olim conceptam audacius effunderet. Nec diu vota distulit.

1479. Rex Mathias Olomucii comitiis intererat, cum Uladislao Bohemiæ Rege veteres lites compositurus. Siccitas præterea tanta Hungariam vexavit, ut colono spem messis interceperit, Dravumque, alias navium capacem, vadosum non uno loco reddiderit. Occasioni intenti Turcæ, superatis Savo, Dravoque, triginta eorum millia prædatoriis agminibus Pannoniam incursant; per Castri-Ferrei provinciam in Styriam penetrant, incolas cum gregibus armentorum abigunt, lætique in Bosniam abeunt. Mathias pactis cum Friderico induciis, Stephanum Scepusiensem, & Petrum Garam hostem insequi jubet cum exercitu. Hi ultra Jaiczam castra promovent, atque tridui itinere confecto, ad oppidum Greben metantur. Missis subinde aliquot millibus Hungarorum ad evastandum Turcicum agrum, circa vicum Verbocium hostem cum præda inveniunt. Sub noctis tenebras clam ingrediuntur locum, præsidiarios somno graves consodiunt, prædam omnem diripiunt. Bassa, quo Ductore Hungaria, Styriaque depopulata, e manibus victorum elapsus, rursum copias cogit, sparsos colligit, nostrosque spoliis onustos in itinere aggreditur, & fere fundit. Ter centum Croatæ viso Hungarorum periculo, in latera hostium invecti, plenam victoriam confecere. A)

At multo nobilior in Transylvania, hoc eodem anno auspiciis Mathiæ Regis obtenta fuit. Alibegus, notum variis populationibus nomen, per Valachiam in Transylvaniam cum centum armatorum millibus impetum fecit, congestaque locuplete præda, composito agmine, in campum Kenyérmező dictum, castra transfert. Stephanus Bathorius, Transylvaniæ Vaivoda, rei militaris peritissimus, coacto undique exercitu, a tergo Turcas sequitur, & veluti victoriæ securus eundem campum explicandæ aciei opportunum petit. Tres circiter horas in mutuo conspectu, octo stadiorum intervallo, hæserunt, alter alterius vires emensus. Ordinata utrinque acie, Bathorius suos cohortatus, signum dedit certamini. Turcæ rejectis post tergum impedimentis, alacres procedunt, dextrumque cornu, quod Valachi, & Saxones Transylvani explebant, subito incursu turbant, cæsis præter fluvium Marusium non paucis. Hungari, qui lævum cornu tenebant, multitudine hostium pressi, pariter laborabant. Bathorius e medio agmine loricatos educit, primosque hostium ordines proterit. Parem animo suo æmulum nactus Alibegus, equitatum objicit, veteranum cum veterano committit, multoque acrior pugna in medio exardescit. Vaivoda confosso sonipede, sex insuper vulneribus appetitus, in æstu cruentissimi certaminis cum paucis sociis ad extrema redigitur. Cùm in hunc modum Hungarorum acies hostium impetum ægre sustinet, Paulus Kinisius Temesiensis Comes, qui Bathorium ante prælium commissum condocefecerat de suo adventu, militem suum in plura agmina partitus, e montium jugo se demittit, Turcasque sine mora a tergo invadit. Accessu auxiliarium copiarum Vaivodæ miles illico prælium restituit. Sed nusquam acrius, obstinatiusque, quam circum Alibegum certatum fuit, collatis illuc, immistisque utriusque partis viribus. Postremo barbari pulsi, ne internecione delerentur, in montes fugiunt. Locorum, viarumque ignari ab agrestibus trucidantur; pauci, quibus vestium splendor saluti fuit, multo ære redempti, in patriam reversi. Alibegus fuga dilapsus, eam noctem in tugurio cujusdam pastoris egit. Ubi illuxit, equo inscenso, *abi pastor,* inquit, *ad Vaivodam, & Alibegum*

A) Bonf. Dec. IV. L. V.

A. C. 1479.

begum hoſpitio tuo exceptum narra. Hungari eodem in loco, quo debellatum fuit media inter cadavera cænam inſtruxere. Addidit Kiniſius ludos militares, dum arreptum dentibus Turcæ cadaver bis, terve in orbem duceret, ceu indignante animo etiam mortuum roderet, quem vivum ferro attrivit. Cæſa hoſtium in campo triginta millia, Hungarorum octo. A)

1480.

Nihil perturbatus hac clade Mahometes, inſulam Rhodum terra, marique obſidendam ſtatuit. Inimicitiæ veteres inter illum, & Rhodios jam olim exercitæ, hoc anno in apertum bellum proruperunt. Equites Hieroſolymitani in hanc inſulam delati, apud quos ſumma rerum fuit, perpetuò armis locum tuebantur, pulſis, cæſisque Ottomanis, quos ſeu tempeſtas maris, ſeu rapinarum cupiditas illuc compulit. Venetam claſſem, in belli ſocietatem acciti, pro facultatibus ſuis ſtrenue adjutum ibant, ſæpeque navali prælio hoſtem ſuperarunt. Fœdus a Byzantinis oblatum, ſed imperterrito animo rejectum ſatis, ſuperque declaravit, quantopere ab omni Ottomanorum amicitia abhorreant. Præterea Mahometes alienam libertatem ſuam injuriam interpretatus, ægerrime tulit, tam vaſtam, ac omnium rerum prædivitem inſulam, ſuo Imperio adeo vicinam, nondum jugum accepiſſe. Inde pervigil excubabat, ſi qua via Rhodios quæſtuoſa poſſeſſione deturbare poſſet. Eodem tempore duo nequiſſimi bipedum, Georgius Antonius Meligabus Rhodius, & Demetrius Sophonias Euboicus non dubitarunt per ſummum ſcelus inſulam prodere. Ne quid temere Mahometes ageret, maturam deliberationem cum Purpuratis, Primoribusque ſuæ gentis init: accerſuntur architecti militares, quos terreſtres, maritimæque pugnæ, oppugnationes urbium claros fecerunt. Aderat vir perditus Georgius, qui exuta Religione Byzantium cum liberis, & uxore demigravit, ſive ut liberius illic viveret, ſive ut rem Chriſtianam pro libidine ſua divexaret. Hic non minus excitandis, quam defendendis munitionibus promptus, Rhodiæ urbis opera per otium exploravit: quid firmum? quid validum? ubi muri vetuſtate hiantes? perdiligenter in chartam conjecit, exhibitoque oppugnationis ordine, ſpem ingentem fecit potiundæ urbis, modo copioſus miles armorum terrorem Inſulanis oſtendat. B)

Decreta oppugnatione Rhodi, longe majores copias conſcribit, quam ſplendidus promiſſor optabat. Validam inprimis claſſem ornat, cui præfecit Meſiten c) gente Palæologa natum, ſupremum exercitus Vezirium. Is caſtrenſes inuſitatæ molis machinas præter numeroſum militem, Demetrium, & Georgium transfugas, per Ægæum mare ſecundis ventis Rhodum advexit. Cæteræ copiæ trajecto Helleſponto, terreſtri itinere per Aſiam minorem ductæ, ad oppidum Phyſcum conſcenſis navigiis in inſulam Rhodiorum appulerunt. Ne rumor tantorum apparatuum in oris exteris belli faciem præberet, fabellam de induſtria ſpargunt, Imperatorem vita functum, exercitusqne collectos non ad inferendum, ſed depellendum ex Aſia bellum, ſi quod oriretur, haberi. Verum RARO latuit diu, quod pluribus innotuit, ſemperque paucorum fuit ſilentium, & fides. Nam continuo, ubi ornari claſſis eſt cœpta, dimanavit rumor, belli tempeſtatem in excidium Rhodiorum effundendam. Petrus Ambuſſonius, D) Magnus Ordinis Magiſter, ſpectati animi, conſiliique vir, jam ante urbem probe communiverat, quam barbari inſulam Rhodi intrarent. Datis præterea ad Equites ſui ordinis literis, ad unum omnes in defenſionem præſidii evocavit, quo ſi dejicerentur, novæ iterum ſedes terra, marique quærendæ forent. Denique ne meſſis, quæ nondum ad maturitatem pervenit, ab obſeſſuris colligeretur, juſſit equites populabundos excurrere; ſegetesque, & olera, & quid quid uſui eſſe poterat, in urbem adferre, aut ignibus perdere. Decimo Calendas

A) Bonf. Dec. IV. L. VI. unius duntaxat Alibegi meminit. Annales Turcici præter hunc, Iſabegum, & Balibegum cum ſexaginta millibus in Tranſylvaniam irrupiſſe dicunt. Quinos Ductores fuiſſe conſtans fama fuit. Poloni Scriptores errore lapſi ſunt, dum ajunt, Bathorium in acie cecidiſſe. B) Bernardus Breidenbachius obſidioni urbis Rhodiæ interfuit, & commentarium accurate conſcriptum edidit. C) Annales Turcici. D) Breidenbachius Danbuſſonium, alteri Albuſſonium appellant.

A. C. lendas Junii anni MCCCCLXXX. classis Ottomanorum applicuit: missæque
1480. naves Physcum, reliquas copias terrestres deportarunt. Primus labor Turcarum fuit, urbem quaquaversum corona cingere, tum castra firmare, atque aggeres extruere. Quibus perfectis, propugnaculum D. Nicolai everberari cœpit feliciore principio, quam successu. Procurrit ea moles in mare ad ter centum circiter passus, portumque tutissimum præbet navigiis. Illius vertici arx miris operibus munita incumbit. Eo in loco Colossus Rhodius, multorum ingenio inclytus, dicitur stetisse. Continenti verberatione propugnaculum labefactatum Ambussonium impulit, ut novam molem a tergo erigeret; fossa, objectuque sudium firmaret, in quam defensores, si forte loco cedendum foret, semet reciperent, pugnamque ex eo receptu redintegrarent, & hoc modo hostis non nisi fessus, imminutusque ad arcem perveniret. Vix ea moles surrexit, Turcæ sublato ingenti clamore, in propugnaculum D. Nicolai, navigiis advecti, irruunt, signaque signis conferunt. Sed cum miles inter sclopetorum, tormentorumque ictus, nautarum ministeria turbaret, & ipsa navigia hinc illinc jactata, invadentium conatus plurimum retardarent, amissis septingentis peditibus in altum recesserunt. Post hunc minus prosperum assultum, ad Rhodiorum vires distrahendas ex imperio Mesitis, Hebræorum mænibus tormenta vesanæ magnitudinis obversa fu runt, tantumque fragoris cum incredibili strage mænium, & tectorum edidere, ut Rubei castelli cives, a Rhodo insula centum millibus passuum dissiti, tonitrua illa feralia non sine horrore audirent. a) Interea D. Nicolai propugnaculum diu, noctuque impetitum, ne punctum quidem temporis respiravit. Mesites nupero repulsu nimium irritatus, alterum insultum & majori apparatu rerum, & militum numero adornat. Pontem inprimis navalem in adversa ripa, machinatorum opera ædificari jubet, quo admoto ad ruinas propugnaculi, stataria pugna congredi possent cum præsidiariis. In hujus operis molitionem complura navigia mediocris formæ destinata, quæ inter se certo spatio distantia, firmis rudentibus, atque harpagonibus illigabantur. Porro spatium, quod inter singulas naves intercurrebat, prælongis trabibus commissum, ac perpetua asserum serie constratum fuit. Latitudo molis senos armatos æquo gradu distantes, ac in pugnam sensim prodituros facile accepit. Longitudo tanta, ut propugnaculum omni ex parte circumdare, & qua luberet, miles in illius ruinas eluctari posset. Sed tantam industriam, & artem fortuna in medio cursu destituit. Rhodius quippe nauta, faventibus tenebris funes adeo attrivit, ut ea ipsa nocte, qua compages illa lignea, referta numeroso milite, cratibus, pluteisque præsepto, propugnaculo allapsa est, infame naufragium subierit, & militem armis gravem medias in undas effuderit. Interitum pontis accelerarunt tormenta, quæ in vastam machinam, ictuumque capacem directa globis raro aberrantibus, seriem tignorum divulserunt. Cæteri barbari triremibus, & cimbis, portentum navale præcedentes, pugnam concordi, pertinacique animo extraxerunt. Viso commilitonum naufragio, desperata victoria receptui cecinerunt.

Non minor clades in Georgio, nobili transfuga accepta est. Hic promissis suis ut staret, primis diebus obsessæ civitatis, veluti facti pœnitens Rhodum intravit. Ambussonio hominis levitas suspicionem movit, diligenterque custodiri jussit, ne pari levitate ductus, ad hostes reditum moliretur. Nimia sentiendi, loquendique libertas de Rhodiis, vino animi sensa detegente, vitam illi non multo post ademit. Ab Ambussonio, ne scilicet innocens injuria afficeretur, in quæstionem primum vocatus, personam aliquamdiu egregie sustinuit; dein pugnantia loqui deprehensus, suspicionem majorem in modum auxit. Ergo severioribus veritatem exprimendam ratus, in conspectum transfugæ, omnia crudelitatis tormenta proponi imperat. Et ille ultra: *quid cessatis proditorem urbis conficere? tormentis haud opus est; cogitavi, volui.* Dum corripitur a tortoribus, dum vestem

a) Breidenbachius pag. 373.

stem exuitur, necquidquam apud surdas aures, erroris veniam orat, & per ultimos cruciatus id, quod antea, fatetur. Mox Ambussonius Christiani nominis probrum suspendii damnat. Sublato e medio proditore patriæ suæ, præter modum irritatus Mesites, obsessis minabatur, effecturum se, ut ejus loci victoria non jam cujusquam dolo, sed Turcarum virtuti deberetur. Nec fortius dixit, quam egit. Hebræorum mænia, uti & propugnaculi D. Nicolai ab imo subruta erant. Ad ea præsenti animo invadenda, Janicsaros ingentibus promissis onerat: mancipia, civium fortunas non ærario Imperatoris, aut sibi, sed victoribus obventura per præcones in castris edici jubet. Quidquid in urbe prædivite mercium, armorum, vestium reperturi forent, id fortissimis militibus in præmium laboris cessurum, liberaliter adpromisit. Nec mora; in utraque oppugnatione uno tempore procursum est. Penes maritimas copias fere victoriæ decus stetisset (e quibus jam duo millia & quingenti ultra ruinas progressi, excidium urbi parabant) nisi Ambussonius adfuisset. Nam ille propugnaculi statione, ubi plurimum periculi præviderat, in se privatim recepta, equites admonere, suam illis virtutem, Christiani orbis expectationem in memoriam revocare cœpit. Tum Montelius, notæ virtutis Centurio, cum Rhodiorum manu accurrens, equitum constantiam firmat, & invadentes cæsis ternis millibus, & quingentis navigia repetere compellit. Nec incruenta Rhodiis erat dimicatio; multi occisi, multi vulneribus conspicui. Ambussonius ipse quinque vulnera retulit, artique medentium debuit, quod non continuo extinctus fuerit.

A. C. 1480.

Hæc tandem clades feroces Ottomanorum animos infregit, atque ab obsidione sane laboriosa depulit, posteaquam tres circiter menses Rhodum necquidquam infestassent. Collectis jam vasis, cum omnia spectarent abitum, duæ subsidiariæ naves a Ferdinando Siciliæ Rege missæ, plenis velis in conspectum hostis venere. Quo minus portum uno cursu intrarent, perpetuis ictibus tormentorum prohibebantur. Una male mulctata, pene a barbaris occupatur, altera sollicitatis in altum remis, fugiente. Postero die rursum Rhodo applicat, & hostem non sustinuit modo, sed etiam superavit. Mesites anchoris sublatis, terrestres copias Physcum A) deducit, ipse vero inglorius Byzantium cum classe revertitur. Annales Turcici etsi persæpe suorum clades elevent, aut silentio prætereant, tamen hic testantur post magnam jacturam militum obsidionem solutam. Hanc utcunque resarsit Achmetes Purpuratus, qui Hydruntem, sive Hydruntum B) Apuliæ urbem, nullo impendio occupavit. Vix classem inimicam præsidiarius miles conspexit, victum se sensit cum Francisco Zurlo Hydruntino Præfecto. Urbis in potestatem redactæ adeo fœda, nec verbis æquanda calamitas fuit, ut hostes ipsos suæ barbariæ puderet. Cum enim ad captæ urbis nuncium, omnia armorum sonitu, clamoribusque paventium, aut terrentium personarent, Turcæ in vicos effusi, armatos juxta, ac inermes prosternunt. Nobilissimi civium in forum protracti certis ictibus framearum procumbunt. Præsidiarii ob summam ignaviam ludibrio habiti, pariter trucidantur. Puerorum, mulierum turba vinculis servata. Sacræ ædes violatæ tanto licentius, quanto implacabiliori odio in sinceram Religionem ardent. Archi-Præsul, dum ad aras facit, corripitur, & medius crudelem in modum dividitur.

Ferdinandus Rex Neapolitanus non æri, non militi pepercit, adeo opportunum totius Italiæ præsidium ut Ottomano eriperet. Principes Italiæ nunc tandem excusso torpore, pro viribus suis patriæ consulere festinant. Alii legionibus scribendis, alii ornandis triremibus curas intendunt.

A) Hujus oppidi, uti & Rhodiæ urbis descriptionem legere licet apud Strabonem mihi pag. 749. Rhodum his verbis celebrat: „ Rhodiorum urbs sita est in promontorio versus ortum porrecto (inter Candiam, & Cyprum insulas) portubus, viis, alioque apparatu tantum aliis urbibus præstat, ut non modo meliorem nullam, sed ne parem quidem ullam ei dicere possimus. „ Laudat eandem ab optimis legibus, quibus temperata est, & a diuturno maris imperio. Hæc in laudem antiquissimæ urbis attuli, plura ad annum 1522. quo capta est. B) Sabell. Ennead. X. Lib. VII. Hydruntum, Geographis Otranto, uti & Annalibus Turcicis.

A. C. 1480. Nimirum PUBLICÆ calamitati tanto promptius allevamenta comparantur, quanto illa periculosius cum privatorum incommodo conjuncta est. Urbs obsessa & terra, & mari; Italorum conatus diu elusit; imo procursionibus suis tantum terroris incusserunt præsidiarii, ut nec truces Janicsarorum vultus, nec strictos acinaces perferre possent, sed veluti obsessi intra castrorum valla, vultu, animoque dejecti hærerent. Mæsta castrorum facies Ferdinandum movit, ut Mathiæ Regis Generi sui opem imploraret. Delectus duorum millium equitatus, Ductoribus Blasio Magyar, & Joanne Nagy in Apuliam mittitur. A) Hi eadem hora, qua Itala castra ingressi, cum veterano, notoque hoste infestis armis concurrunt; turrim, aquandi causa extra urbis mænia eductam, assiliunt, eaque, cæso præsidio, vi potiuntur. Hoc facinore edito, continuo mutata castrorum, & belli facies. Milites perinde Itali, atque Hispani (nam & isti Hydrunti libertatem suis armis vindicare voluerunt) non erecti modo ob improspere gesta perculsi, sed etiam spe certa implebantur, non diu constituram urbem præsentibus Hungaris, quantavis munitione, & milite præsidentem. Firmavit spem & illud, quod obsessi rarius in castra procurrerent, metumque suum non uno argumento proderent.

1481. Sed cum Hydruntum Achmetes flore Janicsarorum, multa annona, & in plures annos suffectura, omni tormentorum apparatu instruxerit, admodum ardua, atque cruenta oppugnatio futura erat: nisi mors Mahometem fatali necessitate e vivis surripuisset. Ut trepidis nunciis Imperatoris sui fatum intellexere, non expectatis suppetiis, quas ipse Achmetes Aulonem B) jam adduxerat, candidum vexillum, deditionis insigne, sustulerunt. Eo conspecto Ferdinandus incredibili lætitia perfusus, tum quod Hydruntum Italiæ spoliorum, & Christianorum ergastulum, ea victoria scutum, & propugnaculum deinceps fieret; tum quod sine multo sanguine suorum eam victoriam obtineret, probeque intelligeret, quantum gratiæ sibi accresceret apud Principes Christianos. Quare ne tantilla mora decus victoriæ corrumperet, obsessis, conditionum formulam ipsi ut conciperent, permittit. Cum peramplas sibi descripsissent, omnes ratas habuit; Regiam fidem testatus. At effrænis avaritia quorundam Christianonum fidem turpissime violavit. Castrensi supellectili, armis, vestibus spoliati, partim trucidantur, partim ad triremes damnantur. Alii narrant, Turcas sponte sua ad Principes Christianos defecisse, & perutilem operam in diversis præliis posuisse. Cæterum ut ad Mahometem revertamur, illiusque suprema molimina in eversionem Christianæ Reipub. prodamus; cum Imperio Occidentis perpetuo inhiaret, validissimam classem adparari, copiasque omnes in suis provinciis ad primum classici signum paratas esse jussit, subacturus primum Ægyptum, deinde Rhodum, c) postremo Italiam, & quidquid terrarum septentrio suo ambitu complectitur. Hæc vero adeo confidenter suis Purpuratis pollicitus fuit, veluti uno cursu victoriarum provincias peragraturus, fortunam sua in potestate haberet. Rapto itaque exercitu adversus Ægypti Soltanum, a quo suos Legatos a Rege Persarum venientes, muneribus, vitaque ipsa spoliatos contra jus gentium querebatur, in Asiam proficiscitur. Jamque Nicomediam D) infestus attigit, cum internis convulsionibus quatriduo confectus V. Nonas Maji supremum vixit, anno ætatis quinquagesimo tertio. E)

Erat hic Imperator acerrimus hostis Christianorum; hos terra, marique, quoad vixit, odio implacabili persequebatur. Duo Imperia iis ademit,

A) Bonf. Dec. IV. L. VI. Ad calcem Epitomes chronologicæ rerum Hung. Patris Timon, habetur epistola Mathiæ Regis, qua minutatim describit modum Hungarorum pugnandi cum Turcis, quantum mercedis singulis militibus pendatur &c. svadetque Ferdinando Regi, ut Blasio Magyar oppugnationem urbis committat. Sabellicus Dec. IV. L. I. meminit Blasii Magyar, quem Macrblasium corrupto nomine appellat. Atque hic in rem nostram finem scribendi facit. Præter Venetam Historiam scripsit & alia opera, quæ ad manus habemus. Libris Rapsodiæ Historiarum ejusdem Authoris utemur. B) Aulon, vulgo Velona, sinus Albaniæ, multarum navium capax. c) Unde, nescio quis Poetarum, de eo cecinit: Mens erat expugnare Rhodum, bellare superbam Italiam. D) Nicomedia urbs minoris Asiæ. E) Hartnaccus ad priorem annum refert Mahometis II. mortem.

mit, Byzantinum, & Trapezuntinum cum ducentis urbibus. Nemo certe Ottomanorum, post Solymanum II. rem Christianam majoribus damnis affecit. Fortuna plerumque usus est domi, forisque propitia. Primus adornata classe bellum Italiæ intulit, primus in Hungariæ viscera altius desæviit. Asiæ, Europæque provincias victoriis emensus, non tam vi armorum, quam discordia Principum, suum Imperium propagavit. Syriam, Cappadociam, Ciliciam, Galatiam, Lycaoniam, Paphlagoniam, Pamphiliam, Lyciam, Pisidiam, Phrygiam, Cariam, Lydiam, aliasque veteris Asiæ provincias, partim ductu suo, partim imperio, auspicioque domuit, aut arctius Ottomanicæ potentiæ innexuit. Octingenta mortalium millia, hoc portentum humani generis abliguriſſe dicitur: neque tamen sæviendi satietas barbarum cepit. Pacis, atque otii osor perpetuus erat, ne martiales spiritus militum inter delicias urbanas marcescerent, & veluti Hannibalis exercitus ad Capuam, enervarentur. Aliquam tamen humanitatis laudem affectasse videtur. Nam & Græcas, & Latinas literas perdidicisse, & Heroum res gestas, ad unguem recitasse perhibent. Non dubitant quidam A) scribere: eum in teneriori ætate principia Religionis sinceræ hausisse a Matre sua, Lazari Serviæ Despotis filia, & orationem Dominicam memoria tenuisse. At hæc bona, semina, ubi adolevit, adeo voluptatibus præfocata fuerunt, ut neque Christo, neque Mahometi quidpiam deferret, illudque sectaretur, quod commodis suis velificaretur. Istud, quod subjicio, nativam barbariem prorsus correxisset, nisi sexcenta alia eam orbi prodidissent. Quas in campo obtinuit victorias, ne progressu temporis interirent, suæ gentis Scriptoribus (quamquam rudis, & bellicosa natio bonas literas postremo loco duxerit) majorem in modum commendavit. Repertus est ea tempestate Italus, Joannes Maria Vicentinus, qui bellum Persicum, victoriasque Mahometis & Italo, & Turcico sermone complexus est. Hunc ille præ cæteris fovit sua in aula, muneribus coluit. Duos filios reliquit Bajazethem, & Zizimum, B) hæredes vastissimi Imperii. Mustapham filium, debellato Rege Persarum, non multo post nimia libido extinxit.

A. C. 1481.



BAJAZETHES II.

IMPER. OTTOM. II.



Ebus humanis exempto Mahomete, ingens perturbatio apud Byzantinos oborta est. Pars Bajazethem, pars Zizimum secuta, utriusque dominandi libidinem consiliis, ære, armis inconsulte auxit, donec Zizimus victus, fugatusque & campum, & Imperium fratri suo cedere coactus fuit. Prætoriani milites, penes quos armata potestas stabiliendi, aut dejiciendi Principes suos; etsi præferocem Zizimi indolem summi facerent, atque sua studia palam addicerent illius partibus, tamen Achmetes, Cherseoles, Daudes, opibus, & authoritate florentes, ac Bajazethi multum devincti, splendidis promissis eosdem adeo flexerunt, ut conspiratione inita aliquot millia ab exercitu Zizimi secessionem fecerint. Extenuata hunc in modum factione Zizimi, quo absenti Bajazethi thronum stabilirent, Corcuthen illius filium annos tredecim natum Imperatorem proclamant, quoad pater e Cappadocia redux, Imperii habenas occuparet. Pulcherrimam occasionem nacti erant Christiani, Turcarum

A) Joannes Sagredo in Porta Ottomanica. B) Apud Scriptores Latinos Zizimi nomen accepit, quem Turcæ in suis Annalibus nunc Zemem, nunc Gemem vocitant.

A. C. carum ferociam eo temporis reprimendi, si a veteri illa discordiarum tem-
1481. pestate respirassent. Rex Hungariæ Mathias audita Mahometis morte, simul & duorum fratrum, & totius Imperii scissione, illico versare cœpit animo, quid ipse commodi ex hoc dissidio capere posset. Atque evocato e stativis milite, in Serviam expeditionem edicit. Verum irritatus a Præfectis Friderici, vires omnes in Austriam vertit, & Bajazethi semet in Imperatoria dignitate firmandi tempus concessit. Hic, posteaquam idoneis authoribus mortem parentis sui fama vulgarat, e Cappadocia, cui præerat, Byzantium advolavit, utque sibi Janicsarorum phalangem obstringeret, urbem diripiendam objecit. E thesauris pariter, quos Mahometes undique corrasit, non exiguam partem in milites profudit, veriusque Imperatorium sceptrum coemisse, quam jure hæreditario occupasse videtur. Zizimus etsi prævideret bello intestino Turciam involvendam, nec sine cæde, & sanguine Ottomanorum, aut urbium vastatione fratrem depellendum solio, favore tamen quorundam Purpuratorum, & insita dominandi cupiditate accensus, e Lycaonia exercitum movet, atque apud Prusam castra metatur. Bajazethes trajecto Bosphoro ingenti cum exercitu, dignitatem recens obtentam armis tueri decrevit. Diebus decem mutuo in conspectu fraternæ acies hæserunt, & quotidianis procursionibus iram, animosque acuerunt. Sed levia hæc discrimina erant, unum certamen, ex quo cætera pendebant, intuente fortuna. Achmetes Vezirius, qui Caffam, & Hydruntum Apuliæ Metropolim cepit, e Bajazethis castris educto milite, Zizimum non detrectantem certamen aggreditur, cæsoque exercitu, Ducem civilis belli in Caramaniam retrudit. Neque hic quieto esse licuit, Achmete illuc bellum transferente.

1482. Cum enim Zizimus Mecha A) redux, quo Religionis causa concesserat, in Caramania bellum instaurasset finitimorum Principum, & inprimis Ægyptiorum adjutus opibus, fortunæ lusum iterum expertus fuit. Itaque afflictis rebus, uxore, geminis liberis in Caramania relictis, ad Rhodios Equites implorandæ opis causa se confert. Paulolum a litore progressus epistolam ad fratrem dedit sagitæ alligatam, quæ arcu excussa, in proximum portum evolavit, hujus argumenti: *non fidei, non gentis odio, sed fratris injuria subactum, ut ad Christianos Principes deficeret. Unam spem, omnibus amissis secum ferre. Adnisurum se, ut vel ipse author injuriæ, vel liberi ipsius aliquando debitas pœnas exolvant.* Ferunt Bajazethem ea epistola commotum, lachrymis minime temperasse, animoque turbato aliquamdiu tacitum sedisse, amenti similem. B) Magnus Ordinis Magister profugum reverenter juxta, ac magnifice accepit. Ipse triremi obviam processit cum nobilium virorum corona, Principemque Rhodum devectum liberaliter aliquot annis habuit. c) Transfugium tota Europa illico vulgatum, maxima voluptate cumulavit Christianos Principes; sperabant enim intestinum hoc bellum, tam potente æmulo superstite foveri posse, nec ausurum Bajazethem alienum invadere Imperium, sui minime securum. Ut validior metus incuteretur Byzantinæ aulæ, Rex Mathias D) multis agebat apud Rhodiorum Magistrum, ut Zizimum sibi mitteret, cujus factione Turcarum vires atterere cogitavit. Verum Pontificis Innocentii VIII. precibus cedendum fuit. Translatus in Urbem Zizimus, in aula Romana annos aliquot exegit; tandem ab Alexandro VI. successore Innocentii datus Carolo VIII. Galliarum Regi,

A) Mecha, sive Mecca urbs Arabiæ, natale solum Mahometis Pseudo-Prophetæ; illuc quot annis ingens mortalium numerus confluit e provinciis Turcicis. B) M. Ant. Sabel. Ennead. X. L. VIII. c) Ludovicus Tubero Dalmata, cujus MS. habeo, ait Zizimum custodiæ datum a Rhodiis, etsi fidem inviolatam fore polliciti sint. Hic Scriptor acerbissimum stylum in Venetos, aliosque strinxit. Certe libris XI. Commentariorum de rebus suo tempore, nimirum ab anno Christi MCCCCXC. usque ad annum MDXXII. in Pannonia, & finitimis regionibus gestis, fere nihil in Venetæ Reipub. laudem, etsi plurima poterat, commemoravit. Res Turcicas non male congessit, quo etiam aliquando utar. D) Ita Tubero L. VI. Bizarus L. X. scribit: Bajazethem Imperatorem Rhodiis quadraginta millia aureorum quot annis obtulisse, quo Zizimum arcte custodirent.

Regi, tunc Neapolitanum regnum petenti, in itinere supremum diem clausit. Sed hæc multo post evenerunt. A. C.

Profligato fratre, sedatisque domesticis turbis, in Caramaniæ Principem Abrahamum, furorem suum effudit Bajazethes, quod Zizimo non hospitium modo, sed etiam exercitum in illius defensionem coegerit. Longa viarum ambage eo profectus, Caramaniæ oris metum intulit, etsi pacatis agminibus incederet, nullisque populationibus, vel incendiis regionem vastaret. Abrahamus cautus magis, quam timidus Dux, suas copias ita est partitus; ut pars altera angustias viarum insideret, altera belli secura, montium juga teneret. Inde æstate prope exacta in castris, Bajazethes copiam conserendi cum hostili exercitu manum non habuit. Nam viam aperire ferro per eas angustias, quas armati, castellis circum erectis, custodiebant; res plena discriminis videbatur. Ægyptius Soltanus, maximi nominis Ductor, vicino periculo commotus, non parvum suorum numerum in Caramaniam adducit. Disceptatum inter Duces, Præfectosque militum: apertone Marte dimicandum cum hoste? an evitando pugnam æmuli conatus luderent? vicit sententia eorum, qui indecorum existimarunt suffurari magis victoriam, quam collatis audacter signis extorquere ab hoste palmam. Sed non ea fuit animorum in certamine, quæ in consultatione ferocia. Primus Soltanus campum petit, emissoque equite prælium acerrimum facit. Vicisset, ni propere Janicsari equitatum loco pulsum, suis legionibus firmassent. Tum Abrahamus cum omni robore Caramaniæ in Janicsaros irruit. Post cruentam dimicationem vis, & numerus Turcarum prævaluit. Abrahamus manu fortis, & strenuus, vulnerato sonipede in terram excussus, etsi obstantes cuneos, circumducto utraque manu ferro, perrumperet, tamen omnium telis petitus, ac confossus, in ipso certaminis loco extinguitur. Cæso Duce, & cum illo viginti millibus Caramanorum, & Ægyptiorum, illustrem victoriam consecutus est Bajazethes, regionemque omnem sui juris effecit. 1483.

Byzantium redux, quamvis ab armorum strepitu abhorreret, tamen Purpuratorum quorundam consilio, classem centum quinquaginta navium in pontum Euxinum immittit. Irruptione facta in Valachiam, & Moldaviam, Tartarorum procursibus, quos prædarum spes in hanc expeditionem perpulit, utramque provinciam infestat, & Ciliam, sive Kiliam ad Istri ostia sitam obsidet. Dejectis propugnaculis, hostis cervicibus, & fortunis civium imminebat; insultus tamen non sine strage Turcarum in irritum cecidere. Sed ubi propugnantium numerus ad paucitatem redactus fuit, firmatis pactis præsidium urbs accepit. Visa opportunitate loci Imperator, muros in integrum restitui, ac novas munitiones addi jubet, ut Pontum Euxinum ea in parte quam tutissimum haberet. 1484.

Interea, dum opera surgunt, Vezirium ad Moncastrum A) subigendum mittit. Triginta dierum spatio urbs in potestatem redigitur, cum nulla spes suppetiarum esset. Stephanus enim illarum regionum Vaivoda, etsi superioribus annis secundo Marte signa extulerit, quia tamen & numero, & viribus multo inferior erat Ottomanis, prælio sapienter abstinuit; post tamen cum a Rege Polonorum Casimiro tria equitum millia Ductore Joanne Polaco accepisset, levioribus præliis hostem distinuit, provinciasque suas pro viribus tutatus est. Excessere Turcæ e Moldavia, Valachia præda graves, Moncastro, & Kilia præsidio firmatis. Eadem æstate prædatorio agmine Croatiam, & Carnioliam percursarunt Turcæ. Reduces, & velut extra ictum positi ad Hunnam amnem, a Mathia Gerebo Bano, Petro Garaio, & Lupo Despote cæsi sunt, libertati redditis decem millibus captivorum. B) 1485.

Victoria de Moldavo relata faces addidit Bajazethi ad justum bellum Hungariæ inferendum. Nondum obductæ erant cicatrices sive ad Jaiczam, 1486.

A) Moncastron, alias Bielogradum ad Tyræ fluminis ostium jacet. Leunclavius in Pand. c. 159.
B) Georgius Rattkai in memoria Banorum pag. 104.

A. C. 1486. five in Tranfylvania inuftæ, cladiumque paternarum memor ultionem parabat. Luftratis ad Sophiæ A) mænia copiis, quo felicioribus aufpiciis gereretur bellum, maturas deliberationes cum veteranis Ducibus, quos in eam expeditionem delegerat, habuit. Omnium fententia erat Hungaros, armis exercitam gentem, nunc minime effe irritandam. Ifacus, Ibrahimus, Daudes primi nominis Purpurati, in fenatu prompte addiderunt: *abftineret nunc bello Hungarico Imperator: Zizimum Chriftianorum Principum aulas pulfare, ut quidpiam opis extundat. Mathiam armorum gloria inclytum, maximum fibi nomen apud cæteros Principes peperiffe, affuetumque perpetua felicitate victorias legere: fua authoritate, exiftimatione nominis, multorum arma fibi adjuncturum, neque Zizimo defuturum, fi bello laceffitus fuerit. Meminiffet induciarum, quas nuper cum eodem Rege pepigit. Nec Byzantii Proceres calamitofi Principis oblitos effe. Multorum ftudia erga Bajazethem frigere; fi occafionem nacti fuerint, haud dubie figna defectionis elaturos. Plebem novarum rerum ftudiofam, facile in partes abituram. Denique bellum non effe quærendum in amica regione, cum Zizimi fautor Ægyptius Soltanus nondum pœnas dederit. Hunc potius, veterem inimicum, opprimendum, quam novis injuriis novos hoftes cum certo detrimento provocare.* Hæc ubi percepit Bajazethes, bellum Hungaricum averfatus eft. Dimiffo exercitu Byzantium abiit, quo Oratores Soltani, ac Mathiæ, fe contulerant poftulata fuorum Principum expofituri. Quæ eorum fumma fuerit, Annales Turcici filentio prætereunt. Crediderim Ægyptium belli tempeftatem, quam conflari in aula fidis internunciis didicit, a fuis cervicibus voluiffe amoliri: Hungarum de induciis fanctius obfervandis egiffe. Sancitæ illæ fuerant ante biennium, non fine bile Mathiæ Regis, quod incuria Oratoris fui de provinciis Moldaviæ, & Valachiæ nihil infertum literis, cautumve fuerit.

1487. Confecto utcunque negotio cum Hungaris, bellum decretum eft in Caithbejum, five Caith-Begum, Ægypti Soltanum. Ferhates, Bajazethis Gener, Ciliciæ Præfectus, collectas per hyemem copias in fuam provinciam evocat. Caithbejus gente Circaffus, conditione fervus, a prima pueritia Mamaluchorum fectæ addictus, fuffragiis Procerum, & commendatione rerum geftarum Soltani dignitatem apud Ægyptios adeptus eft. Gens hæc Mamaluchorum e Chriftianis potiffimum coaluit, qui fœdarum voluptatum illecebris capti, aut commiffis flagitiis infames, ejurata vera Religione ad impium Mahometem defecerunt. Sed ex eorum numero vel maxime crevit natio illa, terrarum amplitudine, & armis potens, quos Ottomani in variis procurfionibus a maternis ulnis admodum adolefcentes avulferunt, atque Alexandriam B) deportatos, Mempheos C) Soltano non levi pretio venundedere. Hi multis annis difciplina militari privatos intra parietes imbuti, umbratili certamine exercebantur, quoad maturior ætas, & par militaribus tædiis, eosdem in campum protraheret, & ampliorem virtuti arenam aperiret. Unde ter centum, & amplius annis inconcuffum ftetit Imperium iftorum fortitudine, raroque nifi victores e prælio revertebantur. Ex his primarii militum Ductores, urbium Præfecti, & Soltani (quæ fumma dignitas apud Ægyptios erat) liberis populi fuffragiis legebantur, qui aliis re militari, juftitia, continentia præ cæteris floruerunt. NON PUDUIT pugnacem populum e vili, tenuique fortuna ortos primis honoribus ornare, quos virtus jam ante fuffragia, hujusmodi muneribus pares admovit. Nec inde aliquod dedecus in Soltanos, aut Ægyptum derivatum, quandoquidem MULTO illuftrius fit magnum fieri, quam nafci: multoque confultius Imperio, eos in caput gentis eligere, quos non fplendor natalium, fed Reipub. amor commendat.

Itaque

A) Sophia urbs Bulgariæ, e ruinis Sardicæ urbis furrexit. B) Alexandria urbs altera Syriæ, altera Ægypti: utraque a M. Alexandro nomen accepit: utraque nobile emporium. C) Memphis, five Cairum Ægypti Metropolis. Mira de hac apud Geographos referuntur.

Itaque Caithbejus futurorum anxius, cum prævideret gravissimum bellum sibi illatum iri ob veteres inimicitias, quas cum Turcis susceperat, & nuperam (ut Bajazethes interpretabatur) injuriam, quod Zizimum hospitio exceptum, & milite adjutum defenderit, non expectato hostium adventu, suas copias Ciliciæ infundit, atque intra Adanam, & Tarsum A) castra ponit. Exercitui præfecit Diodorum animo promptum, expertæque virtutis Ducem. Turcæ haud procul inde delecto castrorum loco, perficiendo vallo eodem tempore strenui manum admovent. Diodorus explorato hostium molimine, operi intentos, & alioquin fessos repente obruit, & aggressioni impares profligat. Jacturam cumulavit Ferhates expeditionis Dux, qui fortiter dimicans in prima acie occubuit. Bajazethes e prælio dilapsum militem sedulus contrahit, & animadverso plus terroris, quam cladis in tumultuario illo certamine extitisse, Mahometem cognomento Cheseroglim, Achmetemque B) Herczegovinæ Ducis filium, Romaniæ Præfectum belli fortunam meliori ordine tentare jubet.

A. C. 1487.

Ægyptii victoria recenti præferoces Achmetis impetum (nam is equestre prælium primus iniverat cum prætorianis) non fortiter modo excipiunt, verum etiam illata strage procellam equestrem dissipant, & Ductorem a suis desertum undique concludunt. Hic unus victoriam morabatur non sine admiratione Mamaluchorum. Nam clava ferrea, quam non minus fortiter, quam dextere in omnem partem versavit, propius accedere ausos interfecit, istorumque infortunio cautiores, & pugnæ dubios tanto facilius a se repulit, quanto cruenta vestigia singulos magis exterruerunt, donec duobus digitis amputatis equo deturbaretur, simulque & clavam, & victoriam perderet. Janicsari in medio campo circumventi, dum in orbem generose pugnant, a circumfusis Ægyptiis trucidantur; pauci positis armis arbitrio victoris se tradidere. Bis prælio fusi Ottomani, cladi suæ ingemuerunt, vulgatumque postea, sex supra decem millia in infelici arena cecidisse. Petrus Bizarus, c) locuples author, Historiæ suæ inseruit; Tarsensi hac clade vix ullam majorem Turcas accepisse. Nam cum centum millia in aciem educta essent, tertiam partem a prælio non superfuisse. Nihilominus Bajazethes Daudem Vezirium, & Chadumem Bassam, novo exercitu instructos, Mamaluchis obsistere jubet, & tertium congredi, si e re fore censuerint. Sed quo minus ad manus veniretur, Diodori providentia, & rigor hyemis in causa erant. Etenim Diodorus, ut ne superiores victorias fœdaret, e campo militem retraxit, ac triumphanti similis Ægyptum intravit, ducto secum Achmete, quem in pugna milites Caithbei ceperant. Daudem hostium vestigia insistentem, perfrigidæ tempestates non immodice vexarunt; quapropter veritus, ne ab inopia commeatus, & ab hoste cladem acciperet, in Ciliciam regreditur, tametsi tumultuaretur miles, & vindictam spiraret.

Erant in Cilicia nonnulli Principes, qui privatum imperium moliebantur, aut excusso jugo Turcis subesse recusabant. Hos veluti per otium domuit. Versacensem D) provinciam percursans, barbaram, ac latrociniis deditam gentem fregit. Nobiliores in vincula abductos, partim securi percussit, partim pristinis fortunis restituit. Turgutensem E) agrum pari celeritate invasit; sed terrore adventantis exercitus vicos omnes incolis destitutos reperit. Insederant isti editissimos montes ejus regionis, convectis omnibus, quæ ad usum quamvis longi temporis sufficerent, & tædio se fatigaturos hostem censuerant. Nam neque ausuros per tam ardua, atque

iniqua

A) Tarsus caput Ciliciæ omnium fere literis celebrata. Multa de ea Strabo pag. 771. Mediam urbem Cydnus amnis intersecat, qui M. Alexandrum pulvere simul, & sudore perfusum invitavit, ut corpus ablueret, & sinistra valetudine inde secuta nobilis. Narrat hæc Curtius L. III. Cap. V. B) Hujus Achmetis Genealogiam deductam reperies ex Spandugino apud Leuncl. c. 161. & seq. Alio nomine in Annalibus Turcarum appellatur Herczeg, & Dux Herczegovinæ S. Sabæ. Certum est hunc Christianis ortum parentibus, uti complures provinciarum Præfectos eo temporis. c) L. X. D) Versacum oppidum nobile Ciliciæ, priscis Pisidiæ apud Strab. pag. 464. E) Est pars Phrygiæ majoris, Ciliciæ adjacentis.

A. C. iniqua loca ſubire eos: & ſi conarentur, vel parva manu prohiberi, & de-
1487. turbari poſſe. Res ſine dubio e voto ceſſiſſet, ſi barbari conſtantiores fuiſſent. Vix ſua mapalia ardere viderunt e montium jugis, miſſis Oratoribus fidem jurant, ſeque cum omni regione dedunt. His proſpere utcunque geſtis, Daudes dimiſſo in caſtella milite, in Thraciam pervenit, ubi ad Vyzenum oppidum Bajazethem jura dantem civibus reperit, quo cum ſæviente jam hyeme Adrianopolim rediit. Hic dum ſepoſitis tantiſper belli curis, genio indulget Imperator, Mathiæ Regis Hungariæ Oratores adveniunt. Jakaſichius A) Raſciæ Reguli filius, Princeps legationis erat. Mirum dictu! quanta voluptate Imperatorem, & Purpuratos, Hungarorum adventus affecerit; cum non bellum indicturi, ſed inducias nuper initas firmaturi eam legationem obirent. Zizimus enim, rebus licet afflictis, haud levem ſolicitudinem injecit Byzantinis, ne Mathiæ opibus, & armis ſubnixus, patriam infeſtus peteret, nondum confecto bello Mamaluchorum. Sed Hungarorum res eo loco non erant, ut Turcarum arma in ſe averterent, cum eo ipſo tempore infeſtis legionibus Auſtriam permiſcerent. Itaque multis nominibus Jakaſichius acceptus erat Bajazethi, qui nullum officii, aut humanitatis genus præteriit, quo ſibi Oratorem devinciret. Et certo raro legas in Annalibus Turcarum, quempiam Legatorum majori pompa exceptum, ſive in publicum prodiret, ſive domi privatus ageret. Convivia perſæpe inſtituit Imperator, quibus Jakaſichium intereſſe voluit; veſtes acu Phrygia pictas, aliaque munera dono dedit; omnique honoris ſignificatione, dum Adrianopoli fuit, ad invidiam uſque aliorum coluit. Obita ſingulari cum laude legatione, dum iter in Hungariam relegeret, infelici fato fortunas, & vitam amiſit. Gaſis Muſtapha projectæ audaciæ homo, quem olim cum fratre complures ante annos captivum tenuit, nihil ſuſpicantem ad Semendriam ferro aggreſſus, multis vulneribus confecit. Ut violentas manus Legato inferret, veteres inimicitiæ hominem impulere, quas utique carceris ærumnæ, & duo ſupra triginta dentes non molliter excuſſi conflarunt. Acceſſit & illud poſt hominum memoriam inauditum facinus, quod fratrem ſuum, veru peracuto transfixum, lento admodum igne uſtulatum vertere in orbem, oculosque luctuoſo ſpectaculo paſcere adactus fuerit. Tantam barbariem nunc demum eſt ultus. Adeo DOLOR altas nonnunquam agit radices, ut nulla temporis diuturnitate evelli poſſit. Sed Muſtaphæ diu ſupereſſe non licuit. A comitibus Jakaſichii occupatus, eodem in loco interficitur. B)

1488. Bajazethes, qui factum excuſarent, Oratores Budam legavit, & non inducias modo, ſed pacem a Mathia Rege poſtulavit, ut nempe cladem in Cilicia acceptam omnibus viribus ulciſci poſſet. Aderant illi in Regia urbe cum nobiliſſimo comitatu eodem tempore, quo Patriarcha Hieroſolymitanus apud Mathiam Soltani negotia curabat. Is jam anno præterlapſo munera maximi pretii cum veſtibus Tyriis miſit: hoc anno etiam atque etiam oravit, ut fœdere percuſſo, conjunctis viribus bellum in Turcas ſuſcipiat, ſe educturum non contemnendum exercitum, modo Hungari Serviam, aut Bosniam invadant. Hoc modo Ottomanorum vires vehementer acciſum iri ſperavit Caithbejus. At mors Mathiæ abhinc uno anno ſecuta pulcherrimam ſpem eliſit. c)

1489. Porro Bajazethes transacto Adrianopoli in adornando belli, quod maxumopere ardebat proſequi., apparatu anno integro, cum exploratum haberet, Zizimi res apud Chriſtianos afflictas jacere, neque eas tam facile erigi poſſe per inteſtina bella, quibus identidem confligtabantur Principes, D) quorum opem incaſſum imploravit Zizimus; rurſum adverſus Caithbejum, Alim Purpuratum E) cum duobus Præfectis Chalile, & Chaſane altero

A) Meminerunt hujus legationis Annales Turcarum. Codex Verantianus ait: Pakſium hoc munere functum. B) Annales Turcici. c) Bonf. Dec. IV. L. VIII. D) Et Mathias, & Veneti bello impliciti erant, aut certe pax nondum coaluit inter Principes Chriſtianos. E) Complures hujus nominis copiarum Ductores apud Ottomanos fuiſſe leguntur.

tero Europae, altero Ciliciæ expedivit. Præter ingentem machinarum vim, ceterumque apparatum castrensem, ter centum auro, gemmisque fulgidas vestes addidit, quibus ii inprimis donarentur, quos virtus bellica in illa expeditione commendaret. Festinatis profectionibus in Ciliciam interiorem ingressi cum florentissimo exercitu, Adanam, atque Tarsum contra vim inimicam, qua possunt, maxima celeritate præmuniunt, & septena circiter castella Soltano obnoxia, uno velut impetu suis præsidiis occupant. Classem præterea Ægæo mari immissam Alexandriæ oras legere jussere, ut evastata a tergo Syriâ, hostiles copias inopia rei frumentariæ penitus profligarent. Adeo securi victoriæ, non nisi de spoliis, cæde hostium somniabant. Sed tantis moliminibus fortuna adversata est. Quippe Usbegus Ægyptiorum Dux, Adanæ campos, Turcis fatales, iterum petiit, pugnæque avidus suos non procul a castris hostium in aciem disposuit. Alis Purpuratus nihil cunctatus, ita partitus est suum exercitum, ut dextrum cornu occuparint Caramaniæ milites, sinistrum Europaei, medium ipse cum Janicsarorum robore expleret. Igitur aperto in campo exercitus concurrunt. Ægyptii Caramanos prima impressione fundunt, metumque late per castra spargunt. In Janicsaros illati alii, quantumvis summo ardore pugnam capesserent, & pertinaciter instarent, tamen phalangem illam paribus armis, animisque instructam perrumpere non potuerunt. Sinistrum cornu Turcarum intactum mansit. Nam Usbegus astu militari usus, Camelos, quorum non exiguum numerum in castris habuit, laminis æreis a fronte tectos in hostem agi jussit; cumque ardente sole fulgorem copiose diffunderent ærea illa simulacra, speciem ingentis exercitus eminus præbuerunt, quem imminere sibi rati Ottomani in sinistro cornu, non audebant Janicsaris succurrere jam ægre Mamaluchorum impetum ferentibus. Ergo cum vis tota in mediam aciem verteretur, neque tamen loco moveretur, Caithbei milites nimium defatigati, pedem paulatim e pugna referunt, & fugam quasi obsequio militari tegentes, in castra sua trans Taurum A) montem locata, recedunt.

A. C. 1489.

Sed & hic ludicram scenam fortuna lusit. Qui ad castrorum custodiam relicti erant, visa utriusque exercitus pervicacia, terrore panico correpti inscensis equis, curribusque, præcipiti fuga abierunt, desertis castrorum munitionibus. Delapsi ad maritimas oras, a classiariis Turcis excepti, magnam partem spoliis exuti, suæ temeritatis pœnam dederunt. Potuisset eo die nobilissimam victoriam de Ægyptiis referre Alis, si recedentium agmina accuratius observasset. Nam cum in castris ingens solitudo timorem auxisset, victis magis, quam victoribus similes, mæstis vultibus magnitudinem cladis æstimarunt, consiliique inopes spem unam salutis in fuga collocarunt. Verum Alis seu insidias veritus, seu sufficienti annona destitutus, eadem nocte, tenebris fugam celantibus, solutis castris, copias turbatis ordinibus reduxit. Aladeules Begus, atque Varsacidarum gens, quam Daudes subjugarat, occasionem nacti semet in libertatem asserendi, fugientes Turcas finibus suis prohibuerunt, injuriasque sibi illatas vindice ferro, licentius, quam par erat, persecuti sunt. Certe FRUSTRA ab iis fidem, aut obsequia expectabis, quorum corpora domuisti; nisi una animos tibi concilies. QUAMDIU nomen victoris odio est victis, tamdiu male inter eos convenit; animisque discordes, facile in mutuam perniciem exardescunt. Nocte inter spem, & metum transacta, Mamaluchos Varsacensium quispiam ab Aladeule missus admonuit: Turcarum agmina magnis itineribus reditum urgere, ad Varsacenses limites iterum cladem passa. Hoc nuncio recreatus Usbegus, cum speculatores idem confirmarent, locum pugnæ repetit, castraque hostium ingressus, quidquid fugiendi celeritate relictum fuit, in prædam vertit. Mox Adanæ exercitum admovet, Ali Purpurato ad Heracleam B) mærore, & metu torpente, saxeisque operibus prætidentem, machi-

A) Taurus mons, Turcis Bacras, Ciliciam munit. B) Heraclea, nunc dicta Ereglia. Plures hujus nominis urbes numerantur. Hanc, de qua agimus, Codex Verantianus in Cilicia sitam ait; diversam utique ab Heraclea Ponti, quo ut se reciperent Turcæ & brevitas temporis, & longitudo itineris fidem adimunt.

A. C. machinis adortus frangit. Munitione ſolo æquata victorem exercitum cum octodecim ſignis militaribus Ægypto reddidit. A)

1490. Refectis per hyemem copiis, Budacum Begum ad ſubigendam Aladeulis provinciam, qui proxime fugientem Turcam miris modis exagitarat, miſit Purpuratus Alis. Forte accidit, ut Aladeulis filius, præferocis animi adoleſcens, dum incautus hoſtium itinera explorat, in manus procurſorum devenerit. Huic continuo barbara crudelitate oculi eruti, quo Aladeulem acerbiori vulnere configerent. Motus Pater infortunio filii, militem hortatu ſuo alacrem Turcis objicit. Nec mora: nudatis enſibus, rem eminus quam fortiſſime gerunt. Aladeules privatum dolorem ulturus, metum & ſtragem, quamcunque in partem ruerat, momento fecit. Ceciderunt ante alios duo filii Iſchenderis Begi, qui primus a Budaco exercitui imperavit; & ipſe Ischenderis captus, poſtea Memphim Soltano transmiſſus. Budacus rebus deſperatis cum paucis ſuorum ex infelici prælio ſemet proripuit, jacturæque dolore anxius, e longinquo Aladeulis progreſſus obſervaturus, omni hoſtilitate abſtinuit. B) Tot clades continenti ſerie ſibi ſuccedentes, etſi Byzantium, Adrianopolim maximo terrore complerent, tamen Bajazethes, quaſi nihil ad ſe pertinerent publicæ calamitates, ſuo genio indulſit nuptiis trium filiarum magnifico apparatu adornatis. Complures liberos ei dederant Concubinæ ut infra videbimus. Binas filias jam ante matrimonio junxerat: alteram Ferhati ab Ægyptiis perempto: alteram Achmeti Herczogovinæ Ducis filio, ab iisdem in æſtu certaminis circumvento. Nunc ternas uno eodemque tempore in matrimonium dedit: primam Uſumcaſſanis filio, quem Annales Jacubem Begum vulgo appellant: alteram Uſgurli Purpurato: tertiam Daudi, rerum geſtarum gloria, opibus, authoritateque præpotenti. Celebritatem hanc confudit fortuitum incendium, quo Conſtantinopolis fœde deflagravit. Fulmine concuſſa pulveraria turris antelucano tempore, tres vicos ruina ſepelivit, quinis oppidanorum millibus oppreſſis. Mox flamma vicina corripiens ædificia, peſtem propagavit, atque plurimas mercatorum officinas in cineres redegit. Interim Ægypti Soltanus nova provocatus injuria, ob Oratorem, quem induciarum cauſa miſerat, non ſine dedecore Byzantio ejectum, integras copias, ac magnam virtutis materiam avide expectantes in Ciliciam promovit. Cum provinciam ſine defenſoribus invenirent, in prædam effuſi Mamaluchi, oppidis plerisque vaſtitatem intulerunt. Collucebant triſtibus flammis vici, ſuique indicium hoſtes, ubi quærendi eſſent, non obſcurum præbuerunt. Laranda c) urbs vi expugnata, a victoribus direpta, & barbare deformata fuit. Quotidiana colonorum lamenta tandem Imperatori, voluptatibus fracto, arma corripienda perſuaſerunt. Sed cum admodum lente confluerent legionarii, & Purpurati bellum iſtud ſummopere averſarentur, in exhauſta regione, eas in anguſtias conjecerunt Bajazethem, ut abrupto itinere Ciliciam verſus, copias alioquin tenues domum dimitteret. Suberat & altera cauſa infectæ expeditionis. Nam præterquam, quod autumnus imbribus fœdus, arduum iter militi reddiderit, longe inferiorem exercitum ductabat Bajazethes, atque Ægyptii; neque Cilicia incendio, populationibus everſa, ſpem annonæ vel tantillis copiis ſuffecturæ dedit. Nihilominus Jacubes, Bajazethis gener, ſive juſſu ſoceri ſui, ſive virtute bellica incitatus, nuptiis initis ut ſe dignum oſtenderet, manipulum hoſtium ferociter aggreſſus, expeditionem funeſtavit, dum cæſus vitam, & conjugem amiſit.

1491. Bajazethes armorum ſtrepitum pertæſus, rurſus ad otium rediit. Cum peſtifera lues hoc anno Ottomanorum provincias miſere popularetur, Adrianopoli relicta, vicina oppida animi cauſa inviſit. Byzantium ſubinde reverſus Soltani Oratorem, faſtu veteri depoſito, pro dignitate accipit; & quan-

A) Annales Turcici. B) Iſtam expeditionem & Annales Turcici, & Codex Verantianus habent. In paucis diſcrepant. Meminit etiam M. Ant. Sabell. Ennead. X. L. VIII. c) Laranda, aliis Loranda, urbs Ciliciæ.

quantum anno proxime ſuperiori dedecoris irrogatum, tantum humanitatis cum domi, tum foris conſtanter exhibitum legationi. A. C.

Pax tandem Bajazethem inter, & Soltanum Ægypti, Syriæque Dominum coaluit, necquidquam armis, & internecione tot legionum quæſita. Ægyptii Tarſum, A) Adanamque Turcarum repetita ſtrage nobiles urbes reddiderunt, tum Achmetem, & Iſchenderem cum aliis multis, qui fervente bello capti erant, libertate donarunt. Confecta hunc in modum pace, bellum Hungaricum reſumendum putarunt Purpurati, tum quod tempus induciarum jam elapſum fuerit, tum quod Mathiam Regem, cujus fortunam merito timuerunt, vita functum intellexerint. Jamque minores Præfecti metu ſoluti, prædatorio agmine nunc Sabacsium, nunc Croatiam incurſare cœperunt; altiusque provecti in regionem, ad Hunam amnem mille & ducentis amiſſis, & totidem captis, ſenſerunt cum Mathia Hungarorum virtutem minime extinctam. Sabacsium hyeme ſæviente impugnare auſi, cum clade in hyberna compulſi ſunt, & non multo poſt a Duce veterano B) Kiniſio iterum conciſi. Uladislaus, ut primum Rex conſalutatus eſt a fatis Mathiæ, Martinum Czoborium, magni apud Hungaros nominis virum, Byzantium proficiſci juſſit, ad inducias cum Mathia pactas prorogandas. C) Nam id temporis Hungariæ, bello domeſtico, factionibusque quorundam Procerum Joannem Albertum Uladislai fratrem ad coronam capeſſendam evocantium, ſciſſæ, tempeſtas e Sarmatiæ agris incubuit. Bajazethes ſtimulatus jam ante a Purpuratis, & nunc turbis Hungarorum arrectus, in veteres hoſtes bellum moliebatur. Czoborium tamen ſpe pacis lactatum in aula ſua detinet, & ne quid ad eum efflueret, diligenter cavet. 1492.

Interim terra, marique ingentes apparatus conficit. Bis centum navigiis in Propontidem deductis, quibus Iſtrum ſubiret; lembisque levioribus in Boſnia, quos Savo immitteret, adornatis; ex Aſia, & Europa incredibilem multitudinem pugnatorum evocat; ducenta hominum millia ſuis armis inſtructa in caſtra confluxiſſe rumor vulgavit. Ne Oratori ſuſpicionem moverent caſtrenſes apparatus, de induſtria in vulgus ſparſum eſt: in Cyprum inſulam belli molem proxime converſum iri. Sed ſuſceptum expeditionis iter, Bajazethis mentem detexit. Cum enim exercitum ad Sophiam collectum haberet, haud obſcure intellexit Czoborius, qui Imperatorem comitatus eſt, eam tempeſtatem in Hungariam, aut certe provinciam Regi Hungariæ obnoxiam, effundendam. Dum in campo Sophiæ militem tenet, certis nunciis accipit Imperator, Uladislaum cum Auſtriacis, Polonisque bellum pace compoſuiſſe. Quapropter mutata propere ſententia, accitum Czoborium interpellat: *ſe minime abhorrere a fœdere Hungarorum, modo illi ab armis diſcedant: militem intra Regni limites contineant, neve impedimento ſint, ſi in Styriam, Carinthiam prædabundi excurrant.* Rejectis a Czoborio conditionibus, adeo Imperatorem ira abripuit, ut dignitatis ſuæ oblitus in barbam pectori prolixe incumbentem involaverit, evulſisque pilis, dolorem animi non levibus indiciis prodiderit. Orator e caſtris abire permiſſus, Uladislao ex ordine, quæ agerentur ad Sophiam, in Senatu Procerum recenſuit. Rex, ut ne quid detrimenti Hungaria acciperet, Sabacsium, Jaiczam, Belgradum, finitima Turcis præſidia, milite, commeatu, machinatoribus inſtruit: Kiniſium, Bathorium, hoſtium domitores, omnem in partem evigilare jubet: Stephanum Valachiæ, Moldaviæque Vaivodam in ſocietatem ſibi adjungit. Confœderatos denique Principes Ottomanorum molimina edocet, utque in tempore huic torrenti obicem ſtatuant feſtinatis nunciis monet. D)

Tanta conſenſione Principum Chriſtianorum, conatu ſuo dejectus Ottomanus, ab Hungaria quidem abſtinuit; at Albaniam Chriſtianis ſacris 1394.

A) Ita narrant Annales Turcici pacem ſancitam. Alii opera Aladeulis Reguli, pacem confectam volunt. B) Bonf. Dec. V. L. II. C) Annales Turcici, Bonf. Dec. V. L. III. D) Bonf. loco laudato.

A. C. 1493. eatenus addictam, funestissimo bello involvit. Achmete Vezirio excubare jusso adversus Pannones, & Daude Bassa Scopiam A) dimisso cum exercitus parte, ipse Imperator per agrum Macedoniæ in Albanorum regionem ducit. Rem pergratam facturum me existimo, si de Albania, illiusque populo altius narrationem duxero. Habet Albania uno ex latere mare, altero præaltos montes, qui arduum exercitibus aditum faciunt. Incolæ duri, & asperi armis tractandis peridonei cum finitimis gentibus bella gesserunt varia fortuna. Ut unum idioma toti nationi, ita & animus, si hostis ingruat. Alias Græcanica fide leviores, Regulos suos pro libidine imperio spoliarunt, nec annuum vectigal, more aliarum gentium, ærario Principis intulerunt. Imminente bello deserere vicos, per notos calles pecora in editissimos montes abigere, seque in cacuminibus saxorum contra vim inimicam defendere consueverunt. Sagitis veneno tinctis, quo crudelius ferirent, eminus; hastis cominus, & gladiis, in hostes usi, diu libertatem salvam, tectamque conservarunt. Denique provolutis in subeuntes grandioribus saxis, florentes sæpe copias contriverunt. Cæterum ea tempestate, qua Turcæ in Europam transgressi, late grassari occeperunt, Albaniæ gens caput extulit, & non tam vetere fama, quam Georgio Castrioto Principe nobilitata est. Hoc extincto tanto celerius Albanorum gloria defloruit, quanto potentius Turcarum vires creverunt. Joannes Castrioti filius, ad quem parentis iræ cum hæreditate transierant, barbarorum amicitiam perinde exosus, ac suæ dominationis retinens, ad primum belli rumorem provinciam suam vehementer accisam tueri decrevit. Incolæ veluti signo dato, armati omnes montium cacumina occupant, & Religionis Christianæ acerrimi defensores, cum Principe suo in patriæ, sacrorumque defensionem conspirant.

Dum Albani veteri more ad arma concurrunt, Bajazethes cum expedito agmine, ac turmis equitum regionem ingressus, agrum circumjacentem populatur, atque urit. Tum occupatis maritimis locis, qua fuga patebat Albanis, ad montium radices, exercitum tentoria explicare jussit. Joannes cum suis rupes abscissas, & undique præruptas B) insedit, & extra teli jactum quietus egit, ut paventi similis Ottomano animos faceret montium juga expugnandi. Quod ubi vident promptissimos peditum attentare obsessi; alii vim maximam sagitarum effundunt; alii inusitatæ molis saxa per montium prona in hostem propellunt, quæ quo altius cadebant, validiori utique lapsu impulsa, integros ordines protrivere, quodve fortissimis viris doluit, inultis in conspectu hostium moriendum fuit. Ira igitur in rabiem versa, contempto mortis periculo, eminentia saxa complectebantur, alius alium humeris suppositis promovebat, quo cominus cum hoste signa conferre possent. Improbo labore inter cædes commilitonum eluctati Janicsari, in Albanos iram, doloremque effundunt, armatos, quos fuga non abstulit, ad unum omnes perimunt; uxores, liberos, jumenta avehunt, regionem de integro evastant, & prope in solitudinem vertunt. Hæc clades res Albanorum penitus afflixit. Regio omnis in potestatem redacta Turcarum, libertatem a Magno Castrioto recuperatam, ad nostra usque tempora amisit. C) UT OPES longa ætate cumulatas una sæpe hora alienis manibus infert; ita & libertatem multo sanguine propugnatam unum prælium alienæ potentiæ transcribit.

Reductis ex Albania copiis, dum ad Monasterium Macedoniæ oppidum iter facit Bajazethes, summum vitæ periculum subiit. Res paulo altius repetenda est. Est apud Ottomanos hominum genus, quod a communi vivendi methodo abhorrens, rigidiorem disciplinam sectatur. Nempe ut apud

A) Scopia urbs Serviæ. Laonicus Scopiam, Turcis Uscopiam, in Macedoniam transfert. Apud Geographos nostri temporis in Servia locum habet: nempe non iidem semper regionum limites. Ut Dominos mutant, ita & nomina, & provincias, quibus olim inferta erant, oppida. B) Codex Verantii tantæ altitudinis ait eos montes, ut ne malus quidem genius baculo innixus illuc perreptet. Hyperbole. C) Albania, alias Arnaut, unde Albani Arnautæ apud Scriptores illius temporis; Bonfinius noster eos Montanos Albanenses vocat. Est & altera Albania ad mare Caspiam, cujus limites diffuse habet Strabo L. XI. p. 576. & seqq.

apud Latinos, Græcosve primus Alcorani auctor Mahometes, Religiosas familias in suas classes vestium varietate, & instituti ratione divisas observavit; ita pariter ad suam firmandam legem, e Mosaica, & Christiana Religione, ac etiam Gentilium superstitione male consarcinatam, Ordines, ut sic dicam, Religiosos impurus nugator instituit, suis nominibus insignitos. Nonnulli Dervisii, sive Dervisarii, A) Calenderes, Torlaces appellantur, ut nominibus, ita instituto vivendi longe diversi. Cæteris missis, Dervisarii comam tonsi, pelle caprina temere induuntur, ut seminudi sint potius, quam tecti. Ad conciliandam sibi sanctitatis famam, crudeles in se manus vertunt. Frontem candente ferro, aut spongia succensa mira patientia adurunt: aures acutis cultellis perforant, annulosque magnæ molis injiciunt. Vescuntur certis cibis, herbarumque radicibus, quibus eduliis in furorem acti, toto corpore semetipsos praeacutis cultris dilaniant, donec vulneribus deformes, veluti supra mortalium sortem, dolorum patientes conspiciantur. Hoc genere vivendi, dici non potest, quantopere rudi plebeculæ imponant, dum interim in omnem effusi libidinem gravissima scelera sceleribus accumulant. Nam præterquam quod illicitis amoribus abrepti, pecorum ritu promiscue coeant; rapinas, furta, latrocinia, tum cædes toto imperio exercent. Et tamen hi fanatici homines, tot criminibus infames maxima authoritate florent apud suos, populumque pietatis fuco delusum in potestate habent.

A. C. 1493.

Ex hoc nebulonum grege B) quispiam furore exagitatus, gladio, quem sub vestis lacinia condiderat, Bajazethis latus non levi vulnere haurit, & ni sonipes fulgore ferri exterritus sessorem gladiatoris pleno ictui eripuisset, haud dubio lethali plaga animam proturbasset. Ischender Bassa, qui latus Imperatoris cingebat (aliis metu perculsis fugam capessentibus) adeo male mulctavit invasorem, ut impacta cervici clava ferrea, cerebro late diffuso, eum prostraverit: mox irruentibus aliis super alios seminecem dissecant, & metum repetitis ictibus coram Bajazethe corrigere adlaborant. Is magnitudine periculi attonitus, ne inposterum ejusmodi hominibus aditus pateret, nisi armati satellites adessent, decreto sanxit. Adrianopoli suæ redditus, lætis nunciis intelligit, Zizimum in Italia supremum vixisse. Infaustus Princeps varia fortuna jactatus, ut supra meminimus, ad Christianos Principes defecit, quo sereniorem faciem rebus suis calamitosis redderet. Bajazethi fratris commoratio in aula Romana non mediocrem metum incussit; neve Christianos bello aggrederetur, post Mathiam Regem princeps causa fuerit. Elato Mathia, in id omne studium contulisse est visus, ut Zizimum perpetuum animi sui tortorem e medio sufferret. Nempe QUI ALIENÆ libertati, opibus, Imperio insidias struit; ne suis excidat, non immerito formidat. Igitur in omnem occasionem rei gerendæ intentus, Mustapham Begum, Janitorum Principem Romam ablegat cum annua pensione, addito imperio: Zizimum Ottomanis infestum ut veneno tollat. Mustapha sibi male metuens, ni telam pertexeret, Principi sui securo virus C) propinat, quo lente depastus Tarracinæ obiit. Hic exitus fuit Zizimi bellicosi magis, quam felicis Principis. Ultra decennium apud Christianos versatus, superstitionis Mahometanæ ad ultimos spiritus cultor, & fautor acerrimus extitit. Tantæ arrogantiæ in ipsa calamitate exilii fuisse perhibent, ut summo in terris Vicario Innocentio VIII. nullum demissionis signum, capite vel paululum flexo exhibuerit, D) etsi probe constaret arrogantissimo Principi, Bajazethem multum egisse per internuncios, ut captivus Byzantinis traderetur. Quo anno decesserit Zizimus, res controversa apud Histo-

 ricos:

A) Leuncl. in Pand. c. 171. Et alii Scriptores horum nebulonum normam vivendi expingunt. B) Annales Turcici. At Spandaginus Torlacem fuisse scribit. In Codice Verantii lego, hunc Sicarium Mechdim fuisse. Fertur autem fabella, Mechdim e familia Pseudo-Prophetæ Mahometis ortum duxisse, & veluti alterum Gygen omnium oculis subductum provincias percursare, processu temporis omnium hominum imperio potiturum. Huic successurum Anti-Christum. Si hoc est sapere, quid erit desipere? C) Codex Verantii. D) Bosius L. XIV. Hist. Equit. Melit. Zizimum osculo strinxisse pedes Pontificis asserit. Non ejurasse Mahometem, Guilielmus Cadrucensis Rhodiorum Pro-Cancellarius apud Leuncl. in Indice Libitinario Osmanidarum testatur.

A. C. ricos: uti & illud; an Alexander VI. necem hujus Principis machinatus ſit?
1493. Hiſtoriographus, Pontificum vitas poſt Platinam continuans, hac ſuper re nihil edidit. Complures Alexandrum uno ore tanti facinoris architectum fuiſſe fatentur, ut ſcilicet Galliarum Regi Carolo VIII. pecuniarum illud ſubſidium, Conſtantinopoli quot annis ferri ſolitum interverteret. A) Sed miſſa hac odioſa controverſia ad Bajazethem redeamus.

1494. Fratre ſublato, metu domeſtico ſolutus non jam prædatoria manu, ſed juſto exercitu in Chriſtianos agendum decrevit. Sub exitum hyemis B) Boſniæ Præfectum Jacuben ad depopulandum Illyrici agrum ire jubet. Is e Thracia, Macedoniaque equitum aliquot turmas, & peditum cohortes evocat, facileque decem millia armatorum ſub ſigna cogit. Cum hís copiis Illyrico concurſato, tanta celeritate verſus Carnos, urbemque Labacum irrumpit, ut prius tecta ſua fumare, atque hoſtem adventare fama vulgarit. Jacobus Szekelius Maximiliani Cæſaris copiarum Ductor, collectis propere quingentis equitibus, hoſtem populatione prohibiturus continuo advolat. Sed Jacubes eadem, qua venerat celeritate, e provincia pedem retulit. Jamque eluctatus viarum anguſtias, ac ſylvas, in Modruſienſem campum iter inſtituit. Hic intelligit, Illyrici Banum Emericum Derenczenium, Bernardum Frangepanum, Petrum Zrinyium, parato ad dimicandum animo adeſſe cum aliquot millibus, quæ tumultuarie partim e militibus, partim agreſtibus legebantur. Ferunt Jacuben Chriſtianorum exercitum longe validiorem, exiſtimantem, non parum de ſiniſtro prælii eventu ſolicitum, a Derenczenio tutum ſibi, ac militi ſuo iter in partiam poſtulaſſe; at Banum minaciter nunciaſſe: ni prædam, captivosque reddat, armis viam aperiendam eſſe.

Id cum renuerent Turcæ, & Derenczenius animadverteret ſe & numero, & robore equitatus longe inferiorem, pugna abſtinendum, & caſtra ad Madruſiæ muros reducenda ſagaci conſilio cenſuit. Frangepanus pugnandi cupidus, negat ſe receſſurum, niſi prius ad univerſæ rei dimicationem ventum foret. Dum inter ſe Duces diſceptant, dum diſcordibus ſententiis tempus terunt, Turcæ explicata acie frontem obvertunt Chriſtianis, ac canentibus ſignis ad pugnam provocant. Derenczenius neceſſitate adactus, terna in agmina militem partitus prælium committit. Cruentum certamen exarſit inter equites, quos Joannes Frangepani frater ductabat. Inclinata Turcarum acies, Jacubis potiſſimum virtute firmatur.

Joannes Fangepanus primo in ordine fortiſſime dimicans ab haſtatis trajicitur. Eo collapſo Bernardus, qui pugnam ſuaſerat, impreſſioni barbarorum impar, in fugam abripitur. Derenczenius cum agmine ſubſidiario accurrit; monet, hortatur adjunctis viribus in prælium redeant, hoſtilem impetum excipiant. Sed & ipſe equo confoſſo, gladio diffracto capitur, Byzantium poſtea cum Hungarici, tum Illyrici illuſtribus viris deportatus. Ceciderunt Chriſtianorum ſeptem circiter millia, Turcarum mille deſiderati. Bajazethes audita hac victoria ſummis inceſſit lætitiis, maxime dum Banum catenis adſtrictum, cum literis Jacubis ſeriem rei geſtæ continentibus acciperet. Certe militibus eo in prælio captis & cuſtodiam laxavit, & penſionem auxit. Poſt iter Conſtantinopolim emenſus decumanas inter ærumnas, cum in vultu Derenczenii priſtinam ferociam legeret Bajazethes, neque ad deſerenda Chriſtianorum ſacra ullis artibus, minisque perpelli poſſet, virtutem tanti viri admiratus, mitius ut haberetur, imperavit. Relegatus deinde cum duobus familiaribus in inſulam, ſeu aere peſtilente, ſeu veneno, quod hoſtes miſcuere, extinctus eſt. c) Altera ex parte Pauli Kiniſii bellica fortitudo hujus, an ſuperioris anni? cladem (nam Scriptores variant) barbaris reddidit, animumque Uladislai ægritudine levavit. Miteſcente hyberno tempore, cum denis millibus equitum, Turcarum oppida petiit, ductoque præter Danubii ripam exercitu infra Semendriam, per Iſtrum gla-

cie

A) Ludov. Tubero Commentar. Lib. VI. B) Annales Turcici. Bonfinius ad priorem annum hæc refert. c) Petrus de Réwa C. Turocz. de Monarch. Regni Hung. Cent. VI. Bonf. Dec. V. L. III.

cie tum adſtrictum, tria millia ad Serviam urendam dimittit. Equites effu- A. C. ſi, incredibili celeritate regionem ſui ſecuram pervolant, memoresque Illy- 1494. ricæ ſtragis, ferro, & igne in obvios quosque graſſantur. Alibegi caſtellum, quo multorum annorum ſpolia congeſſerat, aſſultu capiunt, ac igne injecto cremant. Vix refectis corporibus, cum duobus millibus equitum recens a Kiniſio miſſis, alterum munimentum pari & celeritate, & facilitate occupant, interfectis utrobique præſidiariis. Locuplete præda ditati Iſtrum relegunt, abducta Raſciæ gente cum uxoribus, liberis, armentis. Subita invaſione turbatus Alibegus, ad arma conclamat; raptisque legionibus, victorum veſtigia ferociſſime premit. Sed Iſter mitiori aere ſibi redditus, hoſtem tranſitu prohibuit. A)

Ætate jam fatiſcente Kiniſius, altera expeditione ultimas vires in bar- 1495. baros exerit. Quindecim dies illata populatione Serviæ, tantum ſpoliorum in caſtra allatum eſt, ut neque currus, neque jumenta ſufficerent. Quinque boves aureo uno ſub haſta venditi. Kiniſii felix rerum ſucceſſus tantam trepidationem Byzantio incuſſit, ut prætorianæ cohortes terrore actæ, in Aſiam tranſmiſerint, Bajazethe ultimam perniciem urbis metuente. Et potuiſſet Byzantinus ager diripi, niſi miles prædandi ſatur in Hungariam maturaſſet.

His procurſionibus ut modum ſtatueret Bajazethes, Oratores ſuos 1496. Budam ad Uladislaum miſit. Aderant barbari cum ſplendido comitatu, cælata ex argento vaſa deferentes. In Senatum admiſſi decem annorum fœdus ab Hungaris poſcunt, quorum militem, & Duces e diſciplina Mathiæ Regis, Turcicoque bello exercitatos maxumopere formidabant. Proceres ad pacis conditiones ut deſcenderent, ægre perpelli potuere. Quippe armis aſſueti ſub imperio Mathiæ, otium ferre non poterant, & Uladislaum quietis amantiorem, deſidiæ arguebant. B) Sane jactata ſunt multa in illum probra, dolore verecundiam vincente: *Regnum*, ajebant, *non poſt multo Ottomanis ſubjectum iri Uladislao imperitante, cujus animum neque gloriæ cupiditas inflammaret, neque infamiæ turpitudo moveret. Mathiam noviſſe & fines Hungariæ propagare, & armis parta defendere. Genti perfidæ fidem minime dandam, quando ſolum utilitate, vel metu fœdera conficiat; rumpenda, ſpe dilatandi Imperii.* His palam jactatis non ſine invidia Regis, ægre inducias triennii impetrarunt Legati. E Procerum voluntate conditiones adjectæ: capti in Illyrico ſine fraude reddantur: Hungaris integrum ſit inducias vel producere, vel intercidere, ſi e Repub. fuerit; modo tribus ante menſibus bellum indicatur. Ita hoc demum anno, quod raro antea Hungariæ evenit, domi, forisque omnia pacata erant. c)

At Polonia multiplici calamitate oppreſſa, pene interiit. Sæviebat peſtilens morbus, & plurimos mortalium e vivis proturbabat. Alberti quidem ſagacitas exercitum, Nobilitatemque Polonicam præſenti periculo eripuit, ſed in longe fœdiorem calamitatem præcipitavit. Suſcepit ille in Moldaviam expeditionem, ſive ut eam ſubjugaret, ſive ut Moncaſtro, & Bielogrado expugnatis (nam utrumque Scriptores D) perhibent) Turcarum provincias invaderet. Valachiæ Princeps Stephanus, etſi res firmas domi haberet, tamen viſo Polonorum exercitu multum fortunæ ſuæ timuit. Quapropter Hungaris, quorum ſub clientela principatum adminiſtravit, per celeres nuncios Alberti conatus ſignificat; opem poſcit, & impetrat. Quo tamen certior de victoria foret, Bajazethem ad reprimenda molimina Polonorum per literas, per internuncios admonet: rogat, obteſtatur, ut ne ſuis fortunis ſe everti ſinat; non iſtud ſui cauſa poſtulare, ſed Bajazethis. Quippe Valachia, aut Moldavia ſubjugata, Polonos Romanis ſacris addictiſſimos, haud

A) Idem Dec. V. L. IV. Refert tamen primam Kiniſii expeditionem ad annum ſuperiorem. Corrigendus hoc loco noſter Livius, dum ſcribit, id temporis Bajazethem in Ægypto cum Soltano bello contendiſſe. Iſthoc bellum jam antea finem accepit. B) Tubero L. VI. c) Bonf. Dec. V. L. V. & hic ultimam manum Hiſtoriæ ſuæ imponit. D) Cromerus L. XXX. ait: Albertum in Turcas moviſſe. Tubero in Stephanum. Hanivaldus utrique contrarius ſcribit: a Stephano evocatum in Moldaviam, ac perfide Turcis proditum.

A. C. haud ceſſaturos a bello Turcico. Jam præ foribus Byzantii bellum geri au-
1496. tumet, ni ſe defenſum pergat. Hæc homo vaferrimus adeo clanculum agebat, ut nihil ad Polonos emanaret, quo ſcilicet incautos eo certius in pedicas conjiceret. Bajazethes etſi nuper induciis trium annorum jurejurando compoſitis, A) bellum Polonicum averſaretur, tamen violatis a Polono conditionibus, ut ajebat, ſe ad arma cogi potius, quam invitari profeſſus, in Valachiam Naſuchis Begi filium feſtinare jubet cum auxiliari milite. Dederat autem in mandatis, ut ad Iſtrum metaretur; & ſi e commodo exercitus foret, flumen trajiceret. Caveret tamen ne ante cum hoſte in aciem deſcendat, quam Valachorum fidem exploratam habeat. Verebatur enim Stephani levitatem, qua jam ad Hungaros, jam ad Ottomanos ſpe melioris fortunæ ſe vertit. His monitis inſtructus Naſuches, poſteaquam ſenſit Stephanum ſine dolo agere, & juſta in Polonos ira ſuccenſum, Imperatoris opem urgere, partem copiarum adverſæ ripæ expoſuit, ne ſociorum regioni gravis hoſtis potius, quam amicus veniſſe videretur. Alberto cum octoginta armatorum millibus Moldaviam petenti, Stephanus tres nobiliſſimos ſuæ gentis obviam procedere jubet, ac rogare, hoſtisne, an amicus provinciam ingrederetur? Albertus Legatos in vincula compactos, præcipiti conſilio Leopolim abduci mandat, ipſe rapidus cum infeſtis copiis Sociaviam B) regionis caput operibus circumvenit. Valachi Moldavis immiſti, Turcarum auxilio, & rei bene gerendæ opportunitate arrecti, e montium jugis in planum ſua agmina demittunt, quo ſe metu impellente cum domeſticis ſuis, omnique ſupellectili priſco more recipere ſolent. Ita enim fieri amat apud has gentes, ut imminente hoſte vicis late exuſtis, commeatu corrupto, in montes ſe abdant; in patentibus campis, niſi victoriæ ſecuri, raro occurrant. Poſitis in planitie caſtris, prope Polonos conſedere, & equeſtribus præliis nunc pabulatores, nunc ſtationarios laceſſivere.

Cum lentius procederet urbis oppugnatio, quam Alberti ardor ferre poſſet, ad ſolicitandos Valachos animum adjecit. Sed fruſtra conſumptis artibus, poſteaquam Uladislaum vero, an ficto rumore? adventurum intellexit cum manu Hungarorum, a Stephano precibus pacem expoſcit, auro multo, & omnibus, quas vellet conditionibus mercari eam paratus, dum exercitum liceret incolumem reducere in regnum. Metu jam captum Stephanus vafra, verſipellique ſua indole magis irretit. Amicum reditum pollicetur, fœdus icitur. C) Agebantur hæc ſub manu clanculum, ne Turcæ fractos Polonorum animos odorarentur. AT FRUSTRA teguntur conſilia, quæ in conſpectu hoſtium trepidatio caſtrorum prodit, & fortuna deſtiuit. Retractis obſidionalibus machinis, iter carpit noctu Poloniam verſus pacatis agminibus. Dum per montium prærupta, & invios calles ad Bucovinam ſylvam perventum eſt, inſidiæ primum patuerunt. Valachi, Moldavi, Turcæ e latibulis ſuis emergentes impedimenta diripiunt, & impulſis, quas ad intercipiendam viam ſucciderant, arboribus, ne agmina ſibi mutuum ferre poſſent auxilium, omnia tumultu complent. Ipſe Stephanus cum expedito equite indagine clauſos ad ſatietatem cædit. Hinc in arcto ſe conſpicatus Rex conſilia ſua damnare, & fugam meditari. Cum viarum aditus omnes præcluſi eſſent, acuit enim vero neceſſitas virtutem. Prætorianum equitatum laborantibus circa impedimenta jubet ſuccurrere; peditatum vero in plura agmina partitus, adverſus incurrentes animat. Itaque inordinata pluribus locis pugna conſeritur. Hoſtes præda ipſa impeditos oneribus, & pleroſque (ut ad rapiendum manus vacuas haberent) inermes ad cædem præbet. Polonos iniquitas locorum, barbaris per notos calles incurſantibus prodebat. Jam nox appetebat, quum prælio excedunt Turcæ, non fuga vulnerum, aut mortis, ſed quia ſatis ſpoliorum habebant. In plana Poloniæ eluctatus Albertus, luſtratis copiis plurimos e Nobilitate Polonica partim cæſos, partim in ſervitutem abreptos intellexit. Quos Stephanus cepit, crudele ferrum acceperunt.

Turcæ

A) Induciæ factæ anno 1494. B) Urbs Moldaviæ, Geographis Soczova, Socava. C) Sic Laus Cromerus. Tubero non meminit hujus pacis. Hannivaldus multum diverſus .eſtudat

Turcæ, mitioris scilicet animi, mortem in captivitatem multis, iisque gravissimis ærumnis fœtam commutarunt; unde nonnisi grandi ære persoluto, se evolvent. A. C. 1497.

Major subinde calamitas Polonos excepit. A) NEMPE sinistris fatis involutum Regnum catenam malorum in civium capita, & fortunas injicit, raroque solitaria incedunt infortunia. Balis Begus, cognomento Marconius, opum amplitudine, ac natalibus (quippe ad Imperatoriam stirpem suum genus referebat) nulli secundus, ratus Bajazethem in Christianos impelli posse, bellum Polonicum continuandum, sua dicendi facundia persuadet. Pupugit alioquin Imperatorem, contra datam fidem, Albertum grandem exercitum eduxisse, & sub specie Valachiæ potiundæ, arma in Byzantinum Imperium arripuisse. Balis Bajazethi apprime gratus, ita sermonem contexuit in secretiori Senatu, ut Polonorum vires, artem bellicam, incolarum mores multum elevaverit, pollicitus se cum modico exercitu victoriam de Polonis reportaturum, modo calentium militum animis novos stimulos addat, & se exercitui præficiat. Plura hæc erant, quam ut his opus haberet Imperator, ad præceps quodque consilium pronus. Comparato exercitu ad Istrum contendit Balis. Legionibus recensitis, ex omni numero copiarum quadraginta millia deligit; inutili turba Byzantium remissa. Superato Istro in campos Moldaviæ progressus, sex Valachorum millia, quorum ira nondum in Polonum deferbuerat, in castra recipit. His procursoribus ad Tyram amnem, qui Dacos, & Tartaros disterminat, accedit. Refecto milite, & conjunctis Tartaris, quos prædandi cupido, & implacabile in Christianos odium accivit, quindecim dierum iter emensus nulla hostilitate exercita, ne oppidani incendiorum frequentia hostem adventare sentirent, ad radices montium, qui Poloniam a Russia sejungunt, consedit, castris in loco editiori communitis. Exploratis subinde circumjacentibus locis, si quæ insidiæ laterent, equitatum omnem in hostium agros, Podoliam, Russiam B) prædatum emisit. Igitur hinc Tartari, inde Valachi, Turcæ, utramque provinciam populantur: oppida incendiis defœdant, immensam hominum multitudinem abripiunt; ut pluribus annis post Thracia, & Macedonia mancipia viderit. Centum facile millia mortalium servitutem subiverunt. Ne Cracovia eodem malo involveretur, turribus, vallo, & fossa, civium opera muniebatur.

Albertus quam acerbas temerariæ in Valachum expeditionis pœnas dederit, ut a Stephano in pedicas allectus, contra fidem datam desertus, ab hostibus circumventus, ac demum ejus agmina concisa, in servitutem rapta, supra exposuimus. Nunc metu oppressus, volitantes prædonum globos eminus aspexit, & in triste sui regni excidium otiosa fronte quodamodo consensit. In tam vasta regione, omni præsidio destituta, hostis per plures dies spolia legebat, nullo, quod pene fidem superat, e tanto prædantium numero, vel leviter sauciato, minus interfecto. Quingentos tamen incendium, noctu forte exortum, cum tribus captivorum millibus, somno sepultos misere hausit. Tot rapinarum, cædiumque tandem satur Marconius, militem prædando fessum reducit in castra, divisisque ex ordine spoliis, ad Istrum contendit, nullo non ante crudelitatis, atque libidinis malo in captivos edito. Nam quos gravior ætas, aut morbus impatientes itineris reddidit, cæterarumque ærumnarum; eos barbara feritate conciderunt, beneficium summum interpretati, quod male affectis corporibus finem, modumque statuerent impendentium calamitatum. Sed FRUSTRA ab hoste beneficium expectes, quem sæviendi furor raptat, non moderatio victoriæ ducit. Ea enim crudelitate non miserorum fortunæ consultum ibant, sed extremam bachandi rabiem explebant.

A) Cromerus paucis complectitur hanc Turcarum irruptionem, refertque eam ad annum sequentem. Tubero L. VI. diffuse hæc narrat; apud quem leges brevem, at acerbam dictionem Balis Begi in Polonos. B) Cromerus, & Tubero.

A. C. 1497. Cæterum Marconius cum post spatium quatuor mensium copias ad Istri ripam, incolumes sisteret, adfuit Bajazethis Quæstor, qui mancipiorum numerum diligenti calculo inivit, quintumque caput, more gentis, ærario Imperatoris intulit. Liberalioris formæ adolescentes dum non sine militum invidia deligit, omnium odio ardebat, militarique licentia præmia laboris, victoriæque sibi eripi palam querulabantur. Desidia una Imperatorem ampliora lucra facere, atque militem perpetuos inter sudores, ac sævos armorum tumultus. Unum aliquem altius ira occupaverat, jamque in Quæstorem stricto minaciter ferro irruerat, haud dubie occisurus eum, nisi furentem cohibuissent commilitones. Sed vel ferrum eduxisse, hominem perdidit. Læsæ Majestatis arcessitus, præacuto palo affixus Bajazethis imperio, præcipitis iræ pœnas exolvit, nemine sævum supplicii genus deprecari auso.

1498. Vix in tutum collocata præda, nova iterum tempestas in Poloniam desæviit, renunciato expeditionis Duce Marconio. Movit ea res summam invidiam apud Purpuratos, qui præfecturam honoris plenam jam spe devoraverant. Communicato inter se consilio Imperatorem adeunt, partesque suas strenue agunt, ut quæstuosam illam provinciam extorquerent; *se otio diffluere Byzantii*, ajebant, *dum uni duntaxat campus virtutis explicandæ aperitur: sibi perinde, atque Marconio incrementum Imperii cordi esse. Martem propitium pluribus communem, neque Duci, viribus, ætateque infracto (septuaginta annos numeravit Marconius) fortunam devinctam. Imo non raro fieri, ut fortuna fastidio, & satietate capta a veteranis Ducibus recedat, ac in validos, florentesque ætate immigret. Videret præterea Bajazethes, ne Marconii animus victoriis, militumque favore elatus, ut purpuratos, ita & Imperatorem contemptui habeat.* CREBRIUS *factum, ut Principes, ubi omnes in unum congessere favores, in eo reformidarint.*

His talibus cum Imperatorem moveri intellexisset Marconius, dicendi libertatem nactus, æmulorum dicteria facile convulsit. *Nam*, inquiebat, *purpuratos non tam sibi, quam Byzantino Imperio gloriæ campum intercipere velle: se primum ausum ingentibus fluviis, atque paludibus transitis, montibus asperrimis superatis, Poloniæ provinciam ingredi, sexagesimo a profectione die, armis aperuisse regionem, ad eum diem ferro, flammaque Turcarum intactam. Sibi jam notos sylvarum calles, montium prærupta. Si Purpuratis tantus armorum ardor, superest Hungaria, Italia, Ægyptus. Has, si placet, terras subjiciant. Cæterum de fidei integritate nihil ambigeret Imperator; se jam inde a capto Byzantio in armis versari, Bajazethi non minus, quam Mahometi olim, fortunas, liberos, vitam denique ipsam consecrasse.* A)

Marconii oratione delectatus Bajazethes, eundem adversus Polonos belli Ducem confirmat, non sine Purpuratorum bile. Sed Marconius, ut erat præfidenti ingenio, elatoque, omnes rivalium criminationes, & odia præ una Imperatoris sui gratia, palam contempsit, quantoque illi ardentius dejectum ea dignitate cupiverunt, tanto remissius rem bellicam, victoriarum securus, curavit. Videlicet MENS cæca successibus, futurorum anxia minime est, nec futuros eventus prævidet. Atque istud hominis famam penitus afflixit. Nam spei suæ nimium indulgens, dum autumno exeunte robur B) militiæ in Poloniam ducit, non omni modo præda vacuus domum reversus est, sed etiam maxima clade affectus fuit. Etenim Poloni mense Julio vexati a Tartaris c) in omnem partem dispositis stationariis provinciam suam muniverunt, ne ab hoste improviso opprimerentur. Cum trepide nunciatum foret, Marconium cum octoginta millibus in Moldavia adesse; summa celeritate cum jumentis se in interiora Sarmatiæ recipere, multa accuratione omnia vastando; nihil, quod esus humani esset, reliquum facere

A) Hæc pluribus Ludo. Tubero Lib. VI. ubi etiam Ottomanorum originem enarrat. B) Hannivaldus tarditatis causam in Præfectum Romaniæ conjicit, quod suum exercitum in eam expeditionem Marconio negarit; ex quo novus cogendus erat. c) Cromerus L. XXX.

facere, nusquam sui copiam dare, levibus duntaxat præliis antesignanos carpere. Marconius nihil veritus in vestigia Cyri, aliorumque ingredi, viis iisdem exitium sibi, exercitibusque suis, aliis temporibus quærentium, fugitivis instat, & in viscera provinciæ temerario prorsus consilio se penetrat. Tum enim vero rapacissimos hos vultures perfrigida tempestas repente conclusit. Nam usque adeo altæ nives exeunte Novembri regionem illam presserunt, ut quo se verteret tantus exercitus, Marconius ipse non videret. In hac solitudine veteranus exercitus, & tot victoriis ferox, omni commeatu destitutus, quidquid malorum tolerari potuit, pertulit: inopiam, frigus, desperationem, insultus hostium. Asiaticos potissimum mitiori sub cœlo natos malum corripuit. Multos exanimavit rigor insolitus nivis, multorum adussit pedes. Sternebantur passim deficientia corpora præ lassitudine, fame, frigore: nec ferrum rigentes gelu manus diutius ferre poterant. Ergo solutis ordinibus errabundi ferebantur, multique, quibus vis frigoris pepercit, Polonorum insidiis ceciderunt. Neque jumenta hanc calamitatem vitare poterant. Memoriæ proditum est: centum millia equorum interiisse. Eluctatos in Moldaviam pertinax vis mali ad Istrum usque urgebat. Decem millia una nocte frigore consumpta Scriptores tradunt. A) Nocuit Turcis non dubia spes prædarum; inde male vestiti, ne onerarentur cætera supellectili, in Poloniam temere delati sunt. Moldavi sparsos, frigore, fame prope enectos tuguriis suis prohibuere; mox vestes Polonorum induti, quo tutius sævirent, ad ripam usque Istri palantes trucidarunt. E tam florenti exercitu vix millia decem Serviam tenuerunt. B)

A. C. 1498.

Quibus animis infelix Marconius acceptus sit a Byzantinis, pronum cogitatu, cum nemo fere esset, ad quem non pars aliqua cladis pertineret, recruduitque dolor, ubi reliquias imminuti exercitus conspexerunt. Hæc infausta expeditio Ottomanis merito in religionem venit. Purpurati Marconii ambitionem, superbiam, qua sibi arroganter victorias tribuebat, a Superis mulctatam arbitrati sunt. Populus, qui res, mortalium consilio potius, quem fato regi existimat, imprudentiæ Præfectum arguebat, quod ea tempestate anni Polonos invaserit, qua eorum regionem acrior vis frigorum premit. Pars melior, iique Christiani, Bajazethis crudelitatem, qua Maverdinum quemdam Adrianopolitanum ultimo supplicio affecit, tantæ cladis fontem extitisse credebant. Erat Maverdinus ut narrat Lud. Tubero, Christianis ortus parentibus, atque a puero Religione parentum imbutus, & Adrianopoli domo comparata ad summas opes pervenit. Labentibus annis cum novis accessionibus veteres fortunas augeret, invidiam civium, non nisi interitu suo restinguendam in se concivit. Prætor inprimis illius urbis, thesauro Maverdini inhians, periniquam accusationem instituit, & innocentem capitis arcessit. Fabellam cudit: Maverdinum in Mahometem probra palam jactasse: religionem maximi Prophetæ sannis proscidisse; utque mendacium veris coloribus expingat, corruptos auro testes adducit. Res continuo ad Imperatorem defertur, qui in superstitionem suam, amatorio prorsus animo ferebatur. Non jam id agebat Bajazethes, ut Maverdinum impacti sceleris convincat, sed nisi ejurata Religione ad Mahometem transeat, opes in suum ærarium redigat, & illum e medio tollat. E vinculis causam dicere jussus, cum ne latum quidem unguem ab avitis sacris recederet, rogo addictus, sententiam mortis constanti vultu accepit. Hic exitus fuit clarissimi civis, quem Prætoris cupiditas corradendi opes, & Imperatoris in Christianos odium fortunis, & vita spoliavit.

Hoc quidem Adrianopoli pulcherrimum, & ad seros posteros transmittendum spectaculum edidit Maverdinus, non minori apud Mahometanos sui commendatione, quam nominis Christiani dignitate. At Reges Hun-

A) Tubero loco laudato scribit: „ eo die, quo nona Januarii illuxit, decem millia fere hominum frigore exanimata, in utraque Istri ripa conspecta sunt. „ Cromerus ait: omnia pene jumenta cum quadraginta millibus hominum obriguisse. B) Sic Cromerus. Hannivaldus maximam cladem Turcis illatam affirmat ad annum 1499.

A. C. 1499. Hungariæ, & Poloniæ, Fratres, viſo Turcarum conatu dilatandi Imperii, & impendente provinciis ſuis periculo, Budæ, atque Cracoviæ, fœdus pene collapſum renovarunt, ac mutua in Ottomanos, & Tartaros auxilia decreverunt. Cautum eo fœdere, ne alterutri Regum cum Turcis aut pacem inire, aut bellum gerere liceret. Stephano vero Moldaviæ, & Raduloni Valachiæ Tranſalpinæ Principibus, Hungarorum clientelam ambientibus, ſuppetias ſe laturos polliciti ſunt. Hoc fœdus aliquot demum annis integrum perſtitit, & non niſi a fatis Regum diſſolutum. A) Subinde invaleſcentibus per Europam armis Byzantinorum, eæ provinciæ, inſigni detrimento Reipub. Chriſtianæ, in Ottomanorum poteſtatem venerunt. Sed hæc continenti, eaque e monumentis Scriptorum tranſumpta narratione, ſuis annis complectemur, & in lucem dabimus.

Cæterum Bajazethes, ſive Principum fœdere perculſus, ſive in bellum Venetum omnes Imperii ſui vires impenſurus, ne a tergo hoſtem relinqueret cum Uladislao induciis ſtabilitis, Polonos pacem cupide arripientes, ab armis revocat. Ea ex parte metu jam liber, copias terreſtres, ac maritimas incredibili apparatu adverſus Venetos armat. Sed antequam Lectorem in triſtem Peloponneſi arenam (nam ibi belli furor detonuit) ducamus, cauſæ non tam diuturni, quam graviſſimi belli memorandæ ſunt. Obtinuerant multis jam ante annis Veneti, in Græcia urbes ampliſſimas, quas ſuis legibus moderabantur, & contra omnem vim inimicam defenſabant. Id ægerrime tulit Bajazethes, putavitque ſalutem Imperii extra ictum minime fore, niſi ea loca eripiat, aut funditus evertat, quæ aliquando ad ſe oppugnandum, & terra, & aquis aditum præberent. Cum enim Veneti re maritima id temporis præſtarent, & navigationem in Peloponneſum, Rhodum, Cretam, Cyprum, ultimamque Aſiam apertam haberent, metus ſubibat Ottomanum non levis, ne Gallis, qui in Italia ſubſtiterant, in armorum ſocietatem vocatis, bellum ultro inferrent, cum tempus induciarum elapſum foret. Et aliæ fortaſſis cauſæ præterea ſuberant bellum gerendi; nimirum ut Turcas armis innutritos, nec otii patientes, externo, eoque quæſtuoſo bello diſtineret, præcluderetque occaſionem militi, res novas domi moliendi. Nec ambitioſum Principem non ſtimulavit, Imperii latius diffundendi cupido, quam Ludovicus Sfortia, cognomento Maurus a vultus nigredine, ſuis conſiliis, & fœderibus non lente inflammavit. Demum quo juſtos colores huic bello affingeret, in vulgus ſpargit: Rempub. Venetam ſuperioribus annis in leges induciarum peccaſſe, dum Joannem Csernovichium, & Nicolaum B) Comnenum, Epirotarum Regulos juverunt. Adeo PRONUM eſt reperire odiorum, bellorumque cauſas, ubi non recti ratio, ſed inſana dominandi cupiditas animum per fas, & nefas raptat.

Venetis, poſtquam idoneis auctoribus didicerunt maximos apparatus fieri circa Byzantium, claſſem multarum navium rebus omnibus ornatam, in anchoris hærere, & non niſi, quo curſum dirigat, imperium Bajazethis expectare, ſuſpicio non levis oborta eſt, eam armorum procellam in ſe primo tempore concitatum iri. Quare & ipſi ſolito majorem curam ad rem maritimam convertunt, fœdera ſolicite circumſpiciunt, de ratione belli gerendi multum, diuque deliberant in Curia. Ne quid per temeritatem agerent, placuit Patribus nomine Reipub. Oratorem mittere Andream Zacanum, virum armis potius, quam pacis artibus deditum. Hic in alloquium adductus Imperatoris, oblatis muneribus, quæ Senatus more ſuo miſerat; quæſivit præprimis: *an fœdere, induciis nuper factis cum Veneto ſtaret Bajazethes? quid ſibi tanti apparatus maritimi velint? Rempub non levibus indiciis ſuſpicari, in Corcyram* C) *inſulam hæc omnia adornata. Meminiſſet*

A) Nicolaus Iſtvanffius Continuator Bonfinii L. III. Joannes Albertus Poloniæ Rex mortem obiit 1501: Stephanus Moldaviæ Princeps 1504. Uladislaus Hung. Rex 1516. anno. B) Comnenorum ſtirpem ſupra meminimus extinctam. Rectius Joannes Caſtriotus, Scanderbegi filius in hujus locum ſubſtituendus. C) Corcyra inſula admodum commoda eſt ad trajiciendas in Italiam copias, ante Epirum, vulgo Corfu. Eam multis deſcribit Strabo, Bordonius &c.

minisset Imperator, sine Veneti Senatus facultate fas haud esse Jonium pelagus classe armata percursare. Ejusmodi quæsitis nihil moveri videbatur Bajazethes, certe in potestate habuit animum, quove magis Oratorem duceret, vultu ad amicitiæ speciem composito, munera non nisi ab amicis accipi solita, mira hilaritate aspexit; & a se, suisque nihil metuendum Reipubl. disertis verbis reposuit. A)

A. C. 1499.

At Cossitius Achimates, Purpuratorum facile Princeps, qui colloquio interfuit, acerbe in Venetos invectus, ultimam perniciem minabatur, nisi modestius cum Imperatorum maximo inposterum agant. Non deesse Bajazethi vires, quibus Rempubl. Peleponneso, Creta, Istria, Dalmatia depellat, ipsasque Venetias funditus extirpet. Zacanus dignitatis Venetæ memor, Purpurati minis exasperatus, libere edixit: *Patres Venetos nihil potius in votis habere, atque amicitiam Byzantinorum; eam perpetuo ab ultimo fœdere sartam, tectamque summo studio conservasse. Cæterum si pergat lacessere, Reipub. nec animum, nec vires defore ad sua defensanda.* His non sine stomacho dictis, triremem suam iratus repetiit, non pacis, sed cruenti belli nuncius, in Italiam navigaturus. Non desunt, qui scribant, lictorem missum ad Zacanum cum mandato Imperatoris, ut abitum quantocius e finibus Byzantii maturet: naves subinde clam expeditas, ut Venetam Hellesponto egressam intercipiant, & Oratorem cum grege nautarum mergant. B) Zacanus Venetias redux, veluti legationis munere infra expectationem Reipubl. functus, serius, ac oportuisset, Senatui res Constantinopoli gestas ex ordine recensuit. Tum enim vero Patres, ne res Venetæ pessumirent, sepositis partium studiis, communibus votis Antonium Grimanum, summum classis Præfectum renunciant: quinque, & viginti triremes e suo navali deducunt; milite, annona, cæteraque supellectili bellica apprime adornant, atque in Corcyram primo vere proficisci jubent. Maritimis urbibus Istriæ, Dalmatiæ decem imperatæ triremes, totidem Cretæ insulæ; quinque Corcyræ; Apuliæ civibus periculi sociis quatuor. Hæc subsidia ut erant in communem civium salutem decreta, ita communi omnium industria, celeritate maxima procurata sunt. Sed nusquam ferventius adlaboratum est, ac Venetiis. Crederes hostilem classem Adriatico mari fluitare, adeo omnis ordo, omnis ætas in belli curas abripiebatur. Privati cives magnam numorum vim non compulsi, non rogati, ærario, Italicis turbis vehementer imminuto, inferunt; Præsules, aliique Sacerdotio opulentiori insignes, tertiam suorum fructuum partem, ad alendum militem suppeditant; Grimanus ipse, pecuniam, nervum belli intelligens, opibus suis maximo adjumento est; fæminæ, virgines, parvuli ad propitios reddendos Superos templa obeunt; frumentum undique convehitur; miles e provinciis Italiæ, e Dalmatia, Istria, e terris Pontificiis properat, tanto cum tumultu, ut mare perinde, ac terra tympanorum sonitu, & conquisitorum delectibus perpetuo streperet, ac ferveret.

Dum in hunc modum apud Venetam urbem, unusquisque pari æmulatione saluti patriæ consulere studet, Bajazethes numerosam classem, cui Thaudem (Venetis Scriptoribus Deuthes, aliis Daudes) odio veteri in Venetos flagrantem, summo jure præfecit, Hellesponto in Eubœam, inde in sinum Saronicum navigare mandat. c) Vix Byzantina urbs & numero navium, & apparatu rerum instructiorem viderit. Nonaginta supra ducenta navi-

A) Leunclavius ait pacem viginti, & quinque annorum inivisse Bajazethem ad speciem cum Zacano, quem alii Zancanum, & Zancanium volunt. B) Tubero multis probris oneratum scribit Legatum. Negat naves subornatas ad eum mergendum: neque enim tantum scelus jussisse Bajazethem arbitratur, cum laudem justitiæ ab omnibus semper tulerit. Cæterum eo animo fuisse videtur Tubero in Venetos, quo Achimates Purpuratus; adeo ungues suos exerit. c) Classis Turcica Hellesponto excurrens, mare Ægæum ingressa, Eubœa, sinu Saronico, & Malea superatis, ingenti aquarum spatio Peloponnesum circumnavigans, jam Methonen, jam Patras accessit, Naupactum obsessura. At Veneta mari Adriatico immissa, in Jonium, qua hostis vocaverat, cursum deflexit. Corcyram prætervecta, Naupacti civibus auxilio fuit, mox Methonen abiit. Lege sis Peloponnesi descriptionem apud Strab. L. VIII. pag. 389. ubi Tabella totius regionis, & sinus Corinthiaci imaginem refert.

A. C. navigia numerabantur; ex iis quinquaginta præaltis proræ, puppisque propugnaculis, & turribus conspicua erant, e quibus miles adversus vim hostilem tectus, in subeuntes impune tela jaceret. Ipsa latera navigiorum tormentis in orbem locatis horruerunt, ut quocunque seu tempestate, seu nautarum ministerio se obverterent, æque noxia in assilientes fulminarent. Præter commeatum numeroso exercitui suffecturum, arma diversi generis videbantur. Ad hæc mira arte constructam turrim e solitissimo ligno, & suas in partes solutam, classi imposuerunt eo consilio, ut in promontorio Patrensi eandem iterum erigerent, & Venetos per Corinthiacum sinum Naupacto urbi (hanc oppugnatum iverunt) opem laturos, destinatis ictibus impeterent. A) Per eosdem dies Bajazethes Constantinopoli florentissimum exercitum Adrianopolim movit, inde per Macedoniam in Thessaliam. Mustapham Argivum, armorum Præfectum terrestri itinere ad Naupactum obsidendam B) mittit; ipse ad radices montis Othryos castra metatus, eventum rei expectavit; infra suam dignitatem ratus, si unius urbis fortunæ, Imperatoriam dignitatem committeret; auxilia tamen, ut res postularit, missurus. Obfirmaverat enim animum non ante pedem referre Byzantium, quam Naupacto expugnata. Quippe cum sinum Corinthiacum, qua late patet, & Peloponnesi majorem partem obtineret, iniquissimo ferebat animo, Naupactum in faucibus ipsius sinus positam, veluti ad frænandum sinum, a Venetis usurpari, & in Jonium mare non sine injuria tot insulanorum dominium exercere.

1499.

Posteaquam Grimanus Architalassus, vires Ottomanorum in Peloponnesum, & vicinas urbes conversas animadvertit, Corcyræ, cui maxime timebatur, præsidio injecto, vela flexit Methonen, c) Senatumque Venetum certiorem fecit de Bajazethis apparatibus, multisque contendit, classem longe inferiorem Turcica, navium subsidio augeret. Itaque sexdecim longioris formæ, mercibus vehendis, quam prælio navali aptiores, cum sexaginta onerariis Methonen versus jubentur festinare. Addidit Ludovicus Galliarum Rex duodenas turribus insignes, & quatuor triremes, quas Massiliæ, ad preces Rhodiorum nuper armaverat. Nam & Rhodii incendio vicino exciti, insulam suam domesticis, externisque auxiliis defensum ivere. D)

Interea Thaudem prospera navigatione usum, fœdissima tempestas excepit. Legerat is Eubœæ oras E) pacato mari, cum repentino turbine concitato mari, classis jactari cœpit adeo pertinaci malo, ut nautæ Turcici frustra artem, quam modicam id temporis possederant, consulerent, nec quo vellent, sed quo impetus ventorum impulit, cursum navigiis cederent. Quinque supra viginti navibus oblongis, vastis gurgitibus absorptis, ad ad Munychiam F) Atticæ vicum compulsi, classem fœde jactatam, ac imminutam refecerunt. Thaudes aleam belli non absimilem maris vicissitudini aliquoties expertus, classem Venetorum numero fere parem (erant centum & quinquaginta naves) eorumque artem nauticam non mediocriter formidavit. Quapropter ex Imperatore anxius sciscitatur, quid sibi agendum foret, cum jam Veneti præcluso mari ad Methonen classem circumagerent, prælioque navali decertare arderent? Hoc nuncio perturbatus, in adornandis tot navigiis, celeritatem Reipub. non potuit non mirari: utque maritimas vires naufragio haustas sarciret, decem millia armatorum, Achimate Cossitio Ductore, id muneris sibi ultra deposcente, in Thaudis auxilium deligit. Dederat vero in mandatis Achimati, ut si hostis prælium offerret, classiariis se jungeret; cæterum Peloponneso infunderet equitatum, urbes-

A) Inter urbem Patras, & Naupactum, vulgo Lepanto, sinus Corinthiacus intercurrit, ac in angustum coit, ut facile naves sinum ingressæ, ex hujusmodi turrito opere lacerari potuerint. B) Naupactus nomen sortita a navibus compactis; Ætoliæ Princeps civitas. Strabo L. IX. C) Methone, Corone (ubi & Pylus, Nestoris patria) Messeniæ urbes, Peloponnesiaco bello nominatæ, mari adjacent. D) Tubero L. VII. E) Eubœa insula sat vasta e regione Bœotiæ, & Atticæ sita. Princeps civitas Chalcis, de qua supra, totius Græciæ clavis. F) Olim celebris locus Munychia, nunc vicus ignobilis. Primum a Spartanis, dein Romanis mænibus spoliata. Strab. L. IX.

urbesque maritimas incursibus territaret; nusquam tamen pugnam iniret. Classem vero sinum Corinthiacum, quem veteres Rhion dixerunt, petere jubet, & Achimatem ita classiarios a latere comitari, aut a tergo sequi, ut imperium communicatum sibi potius, quam Thaudi ademptum animadverteret. Verebatur enim non abs re Bajazethes, ne, si alterum alteri præferret, bini Duces æmulatione abrepti, in exitium traherent copias. PLURES quippe exercitus domesticis discordiis Ducum, quam hostium fortitudine imminutos, aut cæsos meminimus. NEC vires militum uniuntur, ubi animi Ducum, insana æmulatione succensi, discordes. Sed Bajazethes curas bellicas longius porrexit. Ut delectu militum prohiberet Venetos, & uno tempore variis in locis eorum vires distineret, antequam classis Hellesponto excurreret, primos belli furores in Italiam effudit. Alexander, vulgo Scenderes, ulterioris Bosniæ Præfectus, Trapezunte oriundus, cum octo millibus equitum ex Acarnania, Epiro, Illyrico collectis, Tiliavento, Sontio A) fluminibus superatis Forum Julium, Aquilejæ agrum diripit; ipsas adeo Venetias sparsis incendiis terret. Cum nemo Præfectorum istiusmodi latrocinia inhiberet, regionem fæcundissimam prope in solitudinem populabundus vertit. Eodem itinere cum ingentibus spoliis ad Tiliaventi ripam, provectioris ætatis captivis (quatuor millia dicuntur fuisse) interfectis, in Bosniam reversus est. Ultus est Deus non multo post hominis barbariem. Nam erumpentibus toto corpore pediculis, fatis cessit eo infelicioribus, quod Religionem Christianam, quam cum lacte materno hauserat, impio Mahometi posthabuerit; DOCUMENTO futurus posteris, non esse diuturnam in scelere felicitatem.

Iisdem fere diebus unus Purpuratorum, minoris classis Præfectus, portus Dalmatiæ incursavit, Jaderamque Venetæ Reipub. urbem B) improvisus obruit. Triduo ante, quam prædas ageret, memorabili dolo est usus. Cum in Jaderenses duceret, ac juxta Sicum c) maritimum Dalmatiæ oppidum, haud procul Scardona situm, iter faceret, Sicensis agri incolas per equites suos excipi jussit. Prætor Sicensium, ubi suos hostili more abductos intellexit, confestim mittit, qui cives e fœdere repeterent. Nondum enim Bajazethes apertas cum Venetis inimicitias habuit, neque bellum indixit. Præfectus homo versipellis, vultu severiori dolum obtegens, in prædones animadversurum se finxit, quod amicam regionem infesti vexarint. Mox captivos perquiri, & reddi incolumes jubet. Utque omnem suspicionem hostilitatis eximeret Dalmatis, adversus Pannonios se profecturum mentitur. FACILE nempe id sibi quisque persuadet, quod optat. Monebantur interim Jaderenses sub manu: caverent Turcam; firmis præsidiis oram maritimam, mænia suæ urbis tuerentur; classiculam Adriatico mari adventare, haud dubie populationem vecturam. Amicorum monita incassum ciciderunt. Itaque nihil hostile suspicati, redditis præterea captivis Sicienfibus audaciores, portus nullo præsidio tenebant. Inde eo luctuosiori calamitate oppressi sunt, quo majori spe amicitiæ ducebantur. Namque Turcæ metu omni expeditos adoriuntur, supra quinque agrestium millia capiunt, pecorum greges partim cædunt, partim abigunt; frumento classem onerant; demum quidquid avehere non licuit, incendiis hauriunt. Paucis post diebus Scardonitanum agrum pari furore quingenti equites evastare occipiunt. Hi locorum angustiis conclusi adeo ab iratis colonis cæduntur, ut vix quadraginta celeritate equorum salutem repererint. Sed in Peloponnesum, belli theatrum, redeamus.

Thaudes, ut nuper memini, statim ac Bajazethis mandata accepit, Maleam versus cursum intendit, & superato Asineo promontorio, Methonen,

A) Hanc irruptionem refert Chronicon Carionis ad annum superiorem, quo bello Polonico implicitus erat Bajazethes. B) Jadera, sive Jadra, & Zara urbs Dalmatiæ, ditionis Venetæ ad oram maris Adriatici, propugnaculis, portuque gemina munitione robusto, instructa. c) Sicum intra Jaderam, & Tragurium. Sub hac nomenclatione vix reperies urbem apud Geographos. In tabellis tamen Orbis Antiqui, studio Weigelii concinnatis reperi. Fors Ptolomæo Sicum, hodiernis Geographis Sebenecum est.

A. C. nen, ubi Veneti stationem fixerant, proficisci voluit. Sed tempestate dis-
1499. jectus, ad Sophiæ insulam, tribus leucis Methone dissitam, applicat. Ut præsensum est hostem appropinquare, extemplo datum est e speculis signum, & ad arma conclamatum. Et Grimanus cum in conspectu hostem haberet, recepit classem in altum, veluti pugnam decretoriam tentaturus. Miles ardore certaminis incitatus inter remorum pulsus, ac nautarum celeusma arma expedit, nobilem ea die relaturus victoriam, si tantum animi, consiliique Duci fuisset, quantum fervoris militi. Persuasum sane habuerunt plerique, futurum fuisse, ut si adversæ inter se concurrissent classes, Venetus victoria potiretur. Erat quidem ille numero navium inferior, at maritimæ rei scientia, & celeritate triremium, longe præstabat. Quæ res fecit, ut Turcica classis oram Peloponnesi legens, non multum a litore abscederet, & æquo gradu cum terrestri exercitu institutum cursum persequeretur. Interim occursare Venetus ex alto, nunc a fronte vim intendere, nunc a tergo minitari, & quasi vires conferre velle, id præcipue solicitus, ne e conspectu suo hostem amitteret, donec in Sophiæ portum ventorum injuria compelleretur. Hic velut obsessus Thaudes sat diu adhæsit. Verum Grimanus cunctando pulcherrimam vincendi occasionem elabi est passus. Ottomani enim animadversa Architalassi ignavia, faventibus ventis e portu solvunt, plenisque velis classem Venetam prætervehuntur. Andreas Lauretanus, sive jussu Grimani, sive quod malim affirmare, suo consilio, cum tribus grandioris molis navibus, quibus præerat, hostilem navem a classe navigantem aggreditur. Cretense navigium (erat unum e tribus Lauretani) dum primæ pilarum tempestati fortiter occurrit, discerptum cum non paucis vectoribus continuo interiit. Duo reliqua cum eminus, & per intervalla dimicare satius haberent, & post ferreis manibus injectis pugnam consererent, neuter Dux laborantibus auxilia misit, ne scilicet affluentibus paulatim copiis, vires universas uni certamini committerent. Duas horas ancipiti Marte pugnatum; tandem in desperationem acti, ignem in naves mutuo conjiciunt, quo correptæ intra breve spatium hauriebantur. Paucis ex utraque parte incendium pepercit. Turcarum sors melior; qui excepti a suis, naufragium evaserunt. At Christiani cum Lauretano gemino malo circumventi, aut incendio, aut fluctibus perierunt. Stephanus tamen Ottobonus unius navis Gubernator, feliciter ad suos enatavit, multis deinde muneribus a Repub. cultus. a)

Interea classis Turcarum, nullo accepto detrimento Cyparissum tenuit. Veneti eandem insequuntur, & portum paucis leucis dissitum capiunt, deliberaturi num prælio navali non tam exercitus, quam Reipubl. fortunam committerent. Existimarunt enim, si maritima pugna vincerentur; vires Reipub. non accisum modo, sed funditus eversum iri. Convocato consilio, quorundam sententia erat, hostem invadendum, nec longiori mora animos addendos. CELERITATE plerumque victorias confici. Et spem victoriæ faciebat Thaudes, maritimæ rei imperitus, & fugere assuetus, quive pro gnavis epibatis rusticam fæcem ex agro ad transtra verberibus adactam haberet. Venetis navarchi experti, nautica turba a Dalmatis longo usu exercitis, duris, ac labori innutritis. Gallorum præterea classis nunc primum appulsa auxit animum. At Grimanus prælium detrectare videbatur, quod potius ad victoriæ fructus legendos, quam suo milite pariendam, in pugnam inclinaret. Quippe non nisi perturbato jam hoste a Gallis, & ad fugam accincto, navigia sua educere voluit. Isthæc vero Grimani sententia adeo non probata est Gallis, ut omni potius pugna abstinendum censerent. Turcæ seu per transfugas, seu inutili Confœderatorum cunctatione edocti, ab universi certaminis alea Grimanum alienum, sublatis palam anchoris, Patras abeunt, sinum Corinthiacum intraturi. Veneti more suo Thaudem insequuntur. Et ille, quanquam progrediendi consilium ceperat, obver-
sis

a) Tubero loco laudato; qui, ut alias, bilem in Venetos effudisse videtur, dum Grimani res persequitur.

sis illico in hostem proris, in pugnam prodit. Ea ostentatione virium perterritus Primanus, iter non sine perturbatione relegit. Instant Turcæ ingenti cum clamore, & pene unam Venetam, alteram Gallicam triremem intercipiunt. Adversus sexaginta hostium navigia, mira fortitudine ab utraque non minus ardenter, quam perseveranter dimicatum fuit. Primum machinarum ictibus vim inimicam arcebant; ubi vero ad manus deventum, & cominus lanceis, gladiis res agi cœpta, haudquaquam par numerus armatorum ex fœderatorum navibus pugnavit. Itaque hostes numero superiores in Venetam transiliunt. Gubernator, gente Illyrus, ne inulti caderent, Christianos hortatur. Pertinaci certamine in tres horas extracto, Turcas in navim receptos trucidant, assilire ausos, præacutis contis in ora adactis, præcipites in mare agunt, victoriam denique prodigio parem, incolumi navi reportant. Nec Gallica minori fortuna obstitit. Sex Turcicis demersis, vento prospere flante, cæteris navibus se integram reddidit, docuitque victorias non numero, sed virtute militum confici. Postero die Ottomani quatuor triremes e sinu Corinthiaco in Venetos emittunt. Occurrit iis Grimanus cum duodecim oblongis navibus. Commisso prælio adeo male mulctatæ sunt tres Turcicæ, ut socii navales cum milite in quartam, quæ supererat, navim semet recipere cogerentur. Ne sua multitudine obessent, turba nautica in interiora navigii accepta, cæteri armati quinque horarum spatio fortissime impressionem sustinent; tandem vulneribus debilitati, omnes cadunt. Multorum sanguine ea victoria Venetis stetit. Duo prope millia desiderata. A)

A. C. 1499.

Naupacti cives diutina obsidione per Mustapham Argivum fracti, cum in dies classem Confœderatorum ultimo in discrimine, mæsti e mænibus operirentur, præter omnium opinionem Turcicam, sinum Corinthiacum ingredi vident. Tum enimvero conclamatis rebus, de deditione urbis immaturo consilio actum. Putaverunt illi, Venetos prælio navali superatos, ac desperata Naupacti salute, alio sua studia vertisse. Præsidiarii Reipub. etsi initio vehementer repugnarent, tamen metu proditionis impulsi, in deditionem urbis, & arcis consentiunt, oppidanis omnia per tumultum agentibus. Nunquam Mustaphæ lætius spectaculum obtigerit, ac dum candida signa e turribus volitare conspexit. Confectis propere tabulis, ne visa fortassis classe, civium animi mutarentur, utilissimas conditiones concessit, quo mitius jugum Ottomanicum ferrent: quinquennio nempe integro ab omni tributo, publicisque oneribus ut essent immunes: legibus iisdem, quibus sub imperio Veneto, deinceps uterentur. B) Bajazethes nobili urbe potitus, cladem alteram ut adderet, Alexandrum Trapezuntinum rursus in Italiam mittit. Coactis decem circiter millibus equitum inauspicato provinciam suscepit. Emensus Istriam, haud procul ab Aquilejæ mænibus prædabundum agmen continuit, ut & vires longo itinere attritas reficeret miles, & hostium consilia, quos loca vicina insidere relatum est, exploraret. Sed tantum formidinis fama venientis Alexandri injecit tyroni militi, ut statione deserta cum agrestibus fugam arripuerit, latrocinia, cædes extra ictum positus spectaturus. Patefacto in hunc modum prædandi campo; incendiis, rapinis, omnique infelicitatis genere ita deformata erant vicinarum regionum oppida, ut vix aliquid pristini decoris retinerent. Cum præter spem minus prædarum reperirent, summo furore in miseros colonos, quos turbo ille involvit, bachatum est. Multa mortalium millia in Turciam avecta, qui aut operi faciundo, aut explendæ libidini valentiores habebantur. Imbellis, & provectior ætas omni crudelitate interempta. Ducenti equites Albani sub signis Venetis, nonnunquam hostium postremum agmen carpebant, & maximæ instar victoriæ erat, quod hic modicus manipulus, ne Turcæ uspiam pedem figerent, prohibuerit. Non tamen impune patriam repetierunt. Quippe cum autumno jam præcipitante,

A) Navigationem Turcicæ classis quam optime intelliges e Tabulis Geographicis, ubi Eubœam, Maleam, Methonen, Cyparissum, sinum Corinthiacum, Naupactum suis locis reperies. B) Joann. Bapt. Verus hæc ad sequentem annum refert.

A. C. 1499. quo fluvii, quibus regiones illæ abundant, omnia loca late mergunt, prædatrices turmas longius dimissas reduceret Alexander, transitu tot aquarum miles hauriebatur cum spoliis. Postremo fames vexare cœpit exercitum, frumento in castella, arcesque munitas ab agrestibus comportato. Unde tantis ærumnis premebantur toto illo itinere, ut maxima pars jumentorum, hominumque miserabili strage caderet, crebrisque funeribus militares viæ signarentur. Malo suo didicit incautus Dux: FAMEM, & sitim, domesticos hostes, præ magnis exercitibus esse formidandos. Hæc calamitas vel maxime ad mancipia pertinuit, præcipue cum falso vulgatum esset, Hungaros in Dalmatiam ad intercipiendam prædam properare.

Dum hæc in Italia, Illyricoque geruntur, Imperator per interiorem Macedoniam exercitum Adrianopolim in hyberna deduxit, relicto uno e Purpuratis cum valida manu, qui erectis duobus castellis in angustiis Rhii, altero in Peloponnesiaco, altero in Ætolico litore ad Corinthiaci sinus custodiam. Hoc opere perfecto Achimates Nauplia, natura, arteque munitissimæ urbi, insidias struit hyeme jam adulta. Incolebant eam Albani Equites, gens dura, & bellicis laboribus a prima juventute assueta, qui e Peloponnesi, & Achajæ provinciis, Turcarum armis, velut tempestate haustis, eum in portum enatarunt, & aliquot annis, illatis Ottomano cladibus, libertatem suam tuiti fuere. Ut procursandi audaciam castigaret, aliquot millia suorum sub montem condit; paucos mænia obequitare, prædas facere, hostem lacessere tamdiu jubet, dum in insidias præcipitet. Albani insidiarum ignari, Turcas ferociter repellunt, & fugientes, ultra quam oportuit, sequuntur. Tum e latebris suis emergunt alii, Albanosque circumventos adeo concidunt, ut e mille equitibus pauci acceptæ cladis nuncii in urbem redierint. Eodem fere tempore biremis Turcica classem Venetorum exploratura forte in Venetam incidit. Fervente pugna cum Veneti ferreis vinculis biremem captam tenerent, quinque Janicsarorum in Venetam transiliunt; circumductoque haud impigre ferro, funes, quibus vela, antennæque explicatæ stringebantur, dissecant adeo feliciter, ut in pugnantes summo impetu omnia ruerent. Adempta videndi, dimicandique potestate, victores fere victi discesserunt.

1500. Cum Veneti terra, marique vincerentur, pronum cogitatu est, quantis angustiis Respub. fuerit pressa. Grimanus, maritimæ classis Præfectus, ob res minus prospere gestas, populi invidia. & odio ardebat. Hujus unius inscitiæ multiplex clades superioris anni tribuebatur. Imperio motus, ignominiæ plenus, ferro onustus Venetias revocatur ad causam dicendam. A) Huic successit Melchior Trivisanus, (Tuberoni Trevisanus) nihil felicior Grimano. Refecta per otium classe in Methonensi portu, novus Imperator expeditionem adornat; lætis militibus, qui mutato Duce mutandam belli fortunam ominabantur. Ne quid temere agat, vigili cura omnia dispicit, HAUD NESCIUS æstimationem Belliducis non aliunde, quam a prima expeditione pendere; quæ si feliciter cedat, etiam per clades apud militem triumphabit: si secus, multis victoriis opus, ut semel vincat. Itaque cum videret sinum Corinthiacum præsidio Turcico teneri, excitatis, utroque in litore munitionibus, Cephaleniam B) aggrediendi consilium capessit. Methone adducta classis ad Cephaleniam applicat, ejusdemque nominis urbem circumdat. Verberati muri paucos intra dies procumbunt. At Turcæ pro mænibus erant, Venetosque omni spe capiendæ urbis exuebant. Integram fere hyemem ea in oppugnatione contrivit nullo operæ pretio, nisi quod urbem munimentis nudarit. Tandem re infecta militem mor-

A) M. Alphonsus Ciaconius in Vitis Pontificum, & S. R. E. Cardinalium hæc habet: Antonius Grimanus a Majori Consilio relegatus, Romam ad filium Cardinalem Dominicum condendit, paulo post patriæ redditus, Procuratoris D. Marci munus (quod nemini antea obtigerat) assecutus, Lauretano Venetorum Principe vita functo, ipse Dux creatus est. Pag. 1330. sub Alex. VI. Si lubet, adi etiam Sabel. Enn. X. L. IX. B) Cephalenia, Zacyntho, Ithaca, Dulichio insulis cincta, quæ olim Ulyssi paruerunt. Multum nobilitatæ a Principe Poetarum Homero. Imaginem Cephaleniæ expictam habet Strabo L. X. pag. 520.

morbis, labore imminutum ab infausta oppugnatione reducit, desideratis circiter bis mille classiariis. Trivisanus incœpto coactus desistere, animo magis, quam corpore æger, paucis post diebus inglorius obiit, ærumnasque multorum annorum, si ætatem egisset diuturnam, uno momento absolvit. A) A fatis Trivisani Hieronymus Cantarenus classis Legatus, summam rei maritimæ interim administravit. Hic cum allatum esset frequentes nuncios Bajazethem inter, & Neapolitanum Regem ultro, citroque commeare, ad intercidenda ejusmodi commercia quatuor armatas triremes expedivit. Istrica reliquas celeritate prævertens, sole jam inclinante ad Sasonem insulam, ex qua Brundusium brevissimus trajectus, substitit. Nautæ nimio labore exhausti, postquam de more anchoras fixerunt, quietem capiunt. Securitas hæc omnibus exitio fuit. Eremi incola Græcus, ubi videt metu vacuos altum stertere, e loco editiori succensa, quam ad naves Christianorum prodendas de industria comportavit, strue lignorum, notum Ottomanis signum dedit. Adsunt intempesta nocte tres triremes, Istricam somno sopitam truci clamore circumsistunt, inermes sternunt, Præfectum navis bipenni obtruncant, captamque triremem Aulonem trahunt.

A. C. 1500.

Tot adversæ fortunæ telis dum Veneti urgentur, & in dies acerbiora vulnera a Bajazethe metuunt; Peloponnesum suo sanguine toties perfusam damnabant. Ærario præterea multum exhausto, restincta populi liberalitate: milite tum in Græcia, tum in Italia varia fortuna attrito, nihil reliquum supererat, quam ut pacem æquis conditionibus inirent. Fœderati auxilia potius ostenderunt, quam serio tulerunt, & plerumque sui commodi studiosiores, quoties in arma coorti sunt. Nec Bajazethes ab armorum cessatione alienus videbatur; verum felici rerum successu elatus, adeo perniciosas leges Venetis tulit, ut plus detrimenti pax, quam ipsum bellum, allatura censeretur. Nam omnia maritima loca Græciæ, atque Illyrici iniquissime sibi tradi postulavit. Spe pacis statim in principio præfocata, Veneti misso Legato Sebastiano Justiniano B) Hungaros auxilium orant. Thomæ Bakacsii Cardinalis industria fœdus cum Uladislao Hungariæ Rege peragitur; ut singulis annis centum aureorum millia Hungaris pendant Veneti, quoad bellum cum Turcis gestum fuerit: triginta millia deinceps, ubi bellum desierit. Bajazethes suspicatus id, quod erat, Hungarorum gentem adversus se incitari, Oratorem suum lautis cum muneribus Budam festinare, inducias quibusvis conditionibus firmare jubet. Mandatum insuper ei; Regem ingentibus promissis oneret, bello ut abstineat, aut missitandis nunciis ita extrahat, ut Hungaris nondum ad inferendum bellum comparatis, ipse in Venetos tot malis fessos exercitus ducat. At Uladislaus obfirmato animo, Legati pollicitationes rejecit, partesque Venetorum amplexus, summo Pontifice Alexandro VI. impellente, in Turcas militem suum armat. Joanni Corvino Illyrici Pro-Regi, Josepho Somio Temessiensi, Petro Comiti S. Georgii Transylvaniæ Præfectis, æs ad legiones complendas datur, utque finitimos Turcarum agros omni hostilitate impetant, pro Regia potestate mandat. Armorum strepitus confestim Ottomanorum agmina in arenam excivit. Jaiczam, Bosniæ caput, adorti, prius a se captum iri autumarunt, quam a nostris succurri posset. Corvinus, in cujus provincia bellum exortum est, obviam progressus hostibus, in ipsis castrorum munimentis aleam tentavit. Consertis aciebus victi turpiter, fugatique Turcæ, opulenta castra direptioni Hungarornm reliquerunt. Sed hæc victoria, Venetorum fortunam in Peloponneso pedetentim collabentem erigere non potuit. Majoribus sane viribus opus fuisset, ut in Græcia tantisper res nimium afflictæ respirarent.

* Imp. Ottom. Tom. I.

 Inte-

A) Tubero. At Sabellicus Enne. X. L. IX. vult, Trivisanum gravi morbo conflictatum obiisse, Methone, Junco, & Corone a Bajazethe occupatis: Benedictum vero Pisaurum Trivisano suffectum. B) Tubero. Istvanffius Petrum Paschalicum summa cum potestate munere Legati functum Historiarum Libro IV. inseruit.

A. C. 1500. Interim Bajazethes, etsi Venetos validis fœderibus illigatos sciret, classi ter centum navium Jacuben præficit, semivirum quidem, sed in rebus gerendis animi magnitudine, arte bellandi, solertia supra magnos Duces magnum, & illustrem, jubetque Methonen versus navigare, & urbem, quasi aliud ageret, lenta obsidione premere. Ipse equitatum omnem cum copiis pedestribus per Macedoniam, Phocidem, Bœotiam, Isthmum Corinthiacum in Peloponnesum ducit. Ut suspicionem eximeret Venetis de impugnanda Methone, rumorem spargit in castris: Naupliam obsessum iri. Res credita militi, latius manare cœpit, curasque Venetorum in Naupliæ custodiam vertit. Evastato circum agro, veluti rediturus, in Arcadiam rapit copias, captusque amænitate, ac ubertate regionis, pluribus diebus, itineris difficultate lassatum militem recreavit. Terræ istius jucunditatem haud ulla majora commendant indicia, quam magnis nemoribus, saltibusque ferarum greges conclusi. Spatiosas habet sylvas, crebris perennium aquarum fontibus amænas, Principesque viros facile hospites tenet. Bajazethes cum primoribus gentis suæ, nemora multis annis intacta, ingressus feras exagitavit, gravioresque belli curas tantisper seposuit. At Eunuchus bello intentus, e sinu Corinthiaco eductis navigiis, prospero vento usus, Methonen accessit. Cantarenus quidem in medio cursu barbaræ classi se magis infestum ostendit, quam præbuit. E Sybota insula prorumpens, navigantium tergo hæsit: ubi proras obverti vidit, remis in portus vicinos sollicitatis, apertam fugam init, duabus navibus amissis, quas Turcæ non sine suorum jactura expugnatas, vix uno, & altero classiario superstite in triumphum duxerunt. Cyparissiam oram invecti ad ostium Alphæi amnis stationem capiunt aquandi causa. Huc cum Imperator studio videndæ classis cum ala equitum venisset, visis tot navigiis, & quod caput erat, victricibus, equo desiliens, humi prostratus Deo immortali gratias egit, quod non terra modo, verum mari etiam de Venetis triumpharit, quos tantus jam timor subiit, ut præliis se maritimis subducant, maris dominatum tot retro lapsis annis possessum, genti Ottomanicæ concedant. Jam pedestres copiæ (centum quadraginta millia virorum dicebantur) Methonen vallaverant a septentrione, qua urbs continenti jungitur, spatio unius stadii. Amplissimum suburbium vallo, turribus egregie munitum, interiora urbis opera ambit, hostesque arcet. Igitur in suburbanas munitiones admota tormenta, paucis post diebus propugnacula diruunt. Præsidiarii ob paucitatem non ausi vasta, disjectaque opera tueri; injecto tectis igne, ne usui forent, in oppidum trepide fugiunt. Instant Ottomani perculsis, vallumque urbis fascibus, terra certatim complent, nulla quiete oppidanis concessa. Incalescente oppugnatione, Benedictus Pisaurus Venetæ classi datus, ad Strophades insulas in portu substitit, opportunæ occasioni intentus, si qua via obsessis, jam ultima perpessis, posset succurrere. A) Hunc in finem delectæ quindecim triremes, quæ delusis Turcarum custodiis in portum Methones irrumpant. Sed in conspectu hostium res prodita. Præfecti enim maritimæ rei, cum viderent Venetorum naves acri impulsas vento Methonen ferri, suas pariter in altum movent, quarum conspectu subito perterrefactæ undecim, ad classem redeunt. Quatuor stimulo gloriæ magis, quam vento incitatæ, cœpto cursui insistunt, & prospere in portnm elabuntur, grande subsidium Methonensibus futuræ, ni exitium juxta invexissent. Nam dum excensionem alacres faciunt, acerrima pugna inconditos inter clamores oboritur. Præsidiarii errore decepti, quod hostis una in urbem irruperit, sive quod subsidiarias copias vellent defendere, relictis temere stationibus in pugnæ locum evolant. Omnium oculis, animisque illuc conversis, Turcæ, qui terra Methonenses urgebant, ab Imperatore assultum postulant. Scalis innixi mæniorum partem occupant, cæsisque, qui accurrerant, se in urbem conjiciunt.

At

A) Tubero Lib. VIII. §. IV.

At ora maritima nondum ſuccubuit. Hic utraque pars vires exeruit. A. C. Eunuchus claſſi præfectus, ut fortibus factis labem deleret, quod Venetos 1500. aditu portus non prohibuerit, ſuos ſine ſcalarum adminiculo arduas rupes, quibus pars una urbis incumbit, ſubire jubet. Eluctantur illi inter ſaxorum, pilarumque tempeſtatem in faſtigium, mox a Venetis in ima præcipitantur. Sed dum alii atque alii ſuccedunt; & jam a tergo Janicsarorum ululatus audiretur, projectis armis prælium amittunt. Turcæ inſperata victoria potiti, rabiem in miſeros cives effundunt. Sævitum ſine diſcrimine in armatos juxta, ac inermes. Quid crudelitatis barbarus victor poſſit, dies ille infauſtus oſtendit. Quibus primus iræ impetus pepercit, urbe jam pacata, juſſu Bajazethis, pecorum ritu jugulantur. Adeo SÆVIENDI libido mentem homini eripuit, ut minime videret, prudentem victoriam ſuo in armamentario clementiæ, & moderationis telum repoſitum habere. Sed fruſtra clementiæ nomen barbaro oggeras, cujus animum odium Religionis, contemptus victorum occupavit: nec moderationem novit, cui ſæviendi licentia pro Duce eſt. Quæ ſors Prætorem urbis Antonium Cantarenum manſerit, mihi incertum. Nonnulli Scriptorum eum cum Epiſcopo Andrea Falcone, & primariis militum Ductoribus peremptum prodiderunt: Ludovicus Tubero ait: Prætorem perbenigne acceptum a Bajazethe, atque rogatum, *cur tanta pertinacia oppidum defenderit?* in corona Purpuratorum audacter repoſuiſſe: *ſuarum partium non minus fuiſſe, urbem ſuæ fidei commiſſam quam ſtrenuiſſime tutari, quam Ottomanis eandem impugnare:* quo reſponſo mire delectatum Bajazethem, veſtes culti operis eidem donaſſe, liberosque in aula ſua liberaliter habuiſſe, quoad pax conficeretur. Urbe capta, quinto & quadrageſimo die poſtea, quam obſideri cœpta eſt, Janicsaros, qui primi in urbem deſilierunt, præmiis affecit: ſegniores ignominia notatos in vincula abripuit, Præfectos muneribus exuit. Ne capitis ſupplicio luerent deſidiam, Achmetes Coſſicius ſuas preces, authoritatemque interpoſuit. A)

Methonenſis victoria, quam ſua ſævitie multum obſcuravit Bajazethes, urbes Coronen, & Pilum cum caſtellis aliquot, non poſt multo, ut præmia laborum, ſic fructus victoriæ Turcarum imperio ſubdidit. DIDICERUNT nempe alieno malo iſtarum urbium cives, præſtare amicum ſalvis mœnibus, quam dirutis inimicum accipere. B) His ſat proſpera fortuna geſtis, claſſe Helleſpontum juſſa repetere, Iſthmo digreſſus Imperator, per Serras Macedoniæ urbem, victorem exercitum Adrianopolim fauſtas inter acclamationes deportavit. Nullam, quod ſciam, expeditionem quæſtuoſiorem Ottomani, nunquam Martem magis propitium, aut Veneti iratum habuere.

Venetorum fortuna ſic miſere afflicta, nondum belli conſilia Reipub. 1501. eripuit. Placuit rurſum copias reparare, & acceptas ſuperioribus annis clades ulciſci. Imperator claſſis Piſaurus, omni infortunio major, rebus domi, militiæque geſtis facile Princeps, Patriciis ſtimulos admovit, ut priſtinæ dignitatis memores, non precario, ſed armis a Bajazethe pacem extorqueant. TURPI, miſeraque pace, quodcunque bellum potius eſſe; iſto ſpem relinqui; illa futura, & præſentia abſumi ajebat. Addidit: integrum prope militem, & bello intactum ſub ſuis ſignis habere, quibus, abducto in hyberna Adrianopolim, Byzantium Turcarum exercitu, occaſio facta, res præclare pro Repub. in Peloponneſo agendi. Fœdera præterea trium Regum Galliæ, Hiſpaniæ, Hungariæ, aliorumque Principum Italiæ multum firmarunt Rempub., ne victorem de pace interpellaret. Ingens profecto ſpes Europæ eſt data, Turcam, ſi unquam alias, hoc anno multis cladibus atterendum. Et certe ſi una mens Ducibus fuiſſet, concordibusque animis bellum geſſiſſent, omnis Peloponneſus in libertatem vindicari potuiſſet. Sed diſcordia in caſtris dominante, ſpes pulcherrima everſa eſt, fœdus-

A) Tubero L. VIII. Annales Turcici hoc, quo retuli, modo Methonen captam teſtantur. B) Annales Turcici.

A. C. 1501. que non ſine dedecore nominis Chriſtiani diſſolutum. Ferdinandus Hiſpaniarum Rex, primus res Venetas recreare eſt viſus, miſſo Conſalvo Magno, ſuæ ætatis clariſſimo Duce, cum copiis e Sicilia evocatis. Piſaurus novis legionibus animoſior, Cephaleniam A) urbem, nuper nequicquam tentatam repetit. Aſſilientes in mænia præſidiarii aliquoties repellunt. Admota operibus turris lignea, e qua deſtinatis ictibus barbari figebantur, faciliorem oppugnationem dedit. Propoſito ſigno invadendæ urbis, Marcus Orius primus vexillum in muros ſuſtulit; quo inflammati Hiſpani, magno numero præſidiarios recedentes inſequuntur; omnemque fugam in arcem intercipiunt. Plerique victoris ferrum jugulo exceperunt, pauci in numerum mancipiorum relati. Subacta urbe, inſula ſub imperium, ditionemque Venetorum cecidit. Mira voluptate perfuſus Piſaurus, Conſalvo ob navatam ſtrenue operam grates rependit, utque victoriarum curſum, armorum conjunctione proſequeretur, hortatus eſt. Sed is congeſta in claſſem præda non modica, in Siciliam veluti offenſus rediit, contra Fridericum Neapolitanum dimicaturus.

Abeuntibus Hiſpanis Galli ſucceſſere cum duodenis navibus turritis. Hi ſociorum victoria allecti, Mitylenen B) expugnandam ſumunt, majori animo, quam fortuna, Turcis pro aris, & focis acriter pugnantibus. Urgebat nihilominus obſeſſor Gallus, ut omne decus captæ urbis cum omni præda ad ſe pertraheret. Uſſit præterea laudis bellicæ avidiſſimam gentem, quod urbs a perpaucis, nempe ducentis, & viginti militibus defenderetur adverſus aliquot millia. Jam mænia adeo magna ſtrage dehiſcebant, ut ruina quingentis circiter paſſibus lata, facilem aditum in urbem præbere videretur. Contra loci Præfectus, & præſidiarii ita ſuis partibus funguntur, ut duodeviginti aſſultus (alii octonos ſcribunt) magno ardore Gallorum tentati, in irritum omnino ceciderint. Refrigeratum tot continentibus infortuniis calorem, quingenti Janicsari, eluſis Vaſconum excubiis, feliciter penetrantes in urbem, penitus extinxerunt. Conclamatis vaſis Mitylene receſſum eſt, non absque ſtomacho in Venetos, quos non dubitarunt proditionis arguere propterea, quod navibus quadraginta Aſiæ oram obſiderent, ne quid obſeſſis præſidii inveheretur. Quanquam & altera cauſa ſolvendæ oppugnationis ſubfuerit. Nam Bajazethes Mitylenæorum periculo excitus, celeriter ut ſubveniret, Byzantinos ad inſtruendam claſſem coegit; tantæque opes in unum collatæ, ut affatim ſufficerent ad omnem apparatum maritimum, nunquam ante Conſtantinopoli viſum. Privatorum itaque civium impenſis, claſſis refecta, auctaque innatabat Helleſponto, bellum in Peloponneſum deportatura, niſi ſpe ſua fruſtrati Galli, ad primos expeditionis rumores oppugnatione deſtitiſſent. Regulus Raveſtanus (id nomen erat Gallicarum navium Præfecto) & Venetis, & fortunæ ſuæ iratus, in patriam navigaturus propter inſulam Cytheram, C) nunc Cerigum, naufragio periit; paucis, quibus vires, animusque enatandi in portum, ereptis. D) Piſaurus, qui abeuntem Turcarum claſſem in Helleſpontum uſque ſecutus eſt; extremum navium agmen carpendo, viginti & amplius navigia cepit. In reditu hoſtiles inſulas, locaque maritima depopulatus, militem ingentibus ſpoliis ditavit. E) Zacyntho redditus, æmulatione ſociorum in arma pronior, cum oblongis duodecim navibus fauces Ambracii ſinus F) occupat, tredecim triremes armis, & commeatu oneratas eripit, materiam ædificandæ claſſi comparatam incendio perdit, toto triduo regionem evaſtat, ſpoliiſque lætus reditum maturat. Ubi Ambraciæ, & Epiri montes in anguſtum coeunt, ibi barbari armati circa litus fremebant. Per denſa hoſtium tela victori Veneto eundum fuit, ſed fortuna adeo favit, ut tormentorum globis

A) Urbs hæc inſulæ nomen dedit, urbi vero Cephalus conditor. B) Typum Mitylenes apud Strabonem L. XIII. habes cum adſitis oppidis. C) Cythera maris Jonii inſula, ceſſit Turcis 1715. D) Sabell. ait Gallos Chium petiiſſe, inde digreſſos in tempeſtatem incidiſſe, prætoriam navim & duas alias ſævitia maris hauſtas, Præfectum præter ſpem evaſiſſe mortem Enn. XI. L. I. E) Idem Enn. X. L. IX. F) Ambracius ſinus ab urbe Ambracia Epiri urbe dictus.

bis nulla navis læsa, minus absorpta fuerit. A) Calentem victoria militem Leucadi, B) insulæ non ignobili, admovet, & post dierum aliquot oppugnationem vi ea potitur. Denique partitus classem cum minoribus Præfectis, per maritima loca bellum circumtulit, majori utique hostium terrore, quam damno.

A. C. 1501.

Hæc dum Pisaurus magna sui, & Reipubl. gloria prospere gerit, in Byzantina aula varii ut animorum motus, ita & sententiæ erant: audaciam Pisauri classe recens adornata infringendam esse dicebant alii: alii tædio laborum victi pacem præ bello malebant. Ipse Vezirius multum sermonem cum Andrea Gritto, aliisque summæ nobilitatis Venetæ viris, quos vel publicæ, vel privatæ res Constantinopoli eo temporis detinuere, de fœdere ineundo miscuit, significavitque Gritto: Bajazethem ab armis discessurum, modo præsidium Venetum Leucade insula deduceretur. Respubl. ingenti desiderio pacis flagravit; at illud quoquo modo prodere, tutum non erat. Opulentissimum ærarium sumptuum magnitudine, mercatura velut naufragio hausta, succisa opum vena, jam dudum fatiscebat. Ut bellum prosequeretur, novo milite, nova classe opus, Gallis, Hispanis cessantibus. Neque ab Hungaria, dissensionibus inter Regem, & Proceres ortis, multum auxilii sperandum. Igitur utrinque in pacem pronis, missis Oratoribus Constantinopolim, inde Venetias; opera Gritti apud Purpuratos gratiosi, fœdus percussum est, sat æquis conditionibus, si fortunam hujus belli spectes. Summa pactorum hæc erat: Veneti Leucade Turcis restituta, Cephaleniam jure suo possideant: quidquid Bajazethes occuparat, id ceu victoriæ præmium deinceps obtineat, nec fas sit Venetis seu proditione, seu vi aperta aliquod præsidium in Peloponneso occupare: res negotiatoribus Venetis initio belli ademptæ ab usurpatoribus primo quoque tempore reddantur: Pontica navigatio, ut ante hoc bellum, libera sit cum Venetis, tum subditis Reipublicæ. c)

Bello Veneto defunctus Bajazethes, cum Hungaris levioribus præliis decertavit. Jaicza nuper rejectus Corvini virtute, in Posseganum agrum, incussa haud mediocri formidine colonis, populabundum equitem immittit. Comes Petrus Scepusiensis, Josephus Somius, Joannes Corvinus, pluresque alii clari nominis Ductores, raptis legionibus Vidinum capiunt, captumque funditus exurunt. Eandem fortunam experta sunt vicina oppida, subita impressione Hungari equitis evastata. Nicopoleos suburbia fœdissimo incendio deleta, Byzantinis metum incusserunt. Mancipiorum greges aliquot in Hungariam pulsi: Turcæ ad opera facienda damnati, aut sub hasta venditi: Græci ritus hominibus nova sedes ad Temesiam attributa. Repressa una procursione barbarorum audacia, res Pannoniæ quietæ erant, quando quidem Ismael Persarum Sophus, ut religione, ita & animo multum alienus a Turcis, rerum gestarum magnitudine in Oriente clarissimus, Imperio Ottomanico exitium minabatur. Auxerant solicitudinem Bajazethi turbæ domesticæ, quas nimius dominandi ardor, in filiis excitavit, ut jam narrabimus. Igitur Achomate Vezirio agente, bellum Hungaricum amica pace composuit, misso ab Uladislao Barnaba Belajo, viro industrio, & multarum linguarum perito, induciis prorogatis in annos octo. D) Cæterum quid Bajazethes sexennio egerit, quibus bellis implicitus fuerit? etsi perdiligenter Scriptores illius ætatis consulerim, nihil tamen reperi, quod ad rem meam facere posset. Scilicet ET MAGNORUM Principum fama in obscuro jacet apud posteros, nisi Scriptorum beneficio in lucem prodeat, & ceu alteram vitam ab eorum diligentia adipiscatur.

1502.

Fu-

A) Sabel. Enne. XI. L. I. B) Leucas, aliis Leucadia, vulgo S. Mauræ insula, olim Peninsula. A Corinthiis, qui eam usurparunt, Isthmo Peninsulæ perfosso, in insulam redacta. Strab. L. X. ubi etiam de Cephalenia. c) His conditionibus pacem initam plerique meminerunt Scriptores. Et Annales quidem Turcici, Codex Verantianus, Hannivaldinus hoc anno. Istvanffius vero primum anno 1504. qui initio Libri sui IV. Historiarum, Peloponnesiacum bellum compendio recitat. Joannes Sambucus putat fœdus istum in centum annos, diem unum. Eadem fere recenset Joann. Bapt. Verus. pag. 179. qui hoc bellum vocat quartum Turcicum cum Repub. D) Istvanffius l. c. putat eodem tempore cum Venetis pacem fuisse conclusam.

A. C. 1509. Funeſtum Iſmaelis bellum, inteſtinasque diſſenſiónes aulæ Byzantinæ, indigenis advenisque publica, & luctuoſa calamitas, quaſi prodromus ingentium malorum, præivit. Quippe repentino motu concuſſa tellus, Conſtantinopolim, & Græciam late diffuſam exterruit, diramque ſtragem ſine diſcrimine intempeſta nocte edidit. Sed nusquam hæc peſtis atrocius deſæviit, quam in urbe Conſtantinopoli, ubi ſplendidiora ædificia Græcorum Imperatorum, dum rerum potirentur, ad omnem luxum, voluptatemque ſurrexerunt. Plurimæ domus partim exciſæ e fundamentis, & in auras, veluti vi pulveris impulſæ, ſummo fragore vibratæ: partim ſic ſepultæ, ut hiante terra, locus ubi ſtetiſſent, quæreretur. A) Mœnia urbis, qua parte mare ſpectat, collapſa, domos prope adſitas ingenti ruina ſepeliverunt. Arx, quo ſpolia, & theſauri totius Imperii reconduntur, quinis turribus munita, cum ſuperbæ molis ædificio, leonibus, peregrinisque feris deſtinato, in præceps acta. Sinus Ceratinus victis limitibus vim aquarum in urbem effudit, & everſas domos obruit. Neque dies huic malo finem attulit. Aer pulvere involutus atram induxit noctem, ac multos mortales ſpiritu intercluſo præfocavit. Tenuit hæc calamitas, vix brevibus conceſſis induciis, quadraginta admodum dies. B) Illud haud omiſero: inter tantam tot ædificiorum ſtragem, Sophiæ ædes nullo vitio facto integras perſtitiſſe, ſi turrim demas ab Ottomanis capto Byzantio, majoris ornamenti gratia adjectam, quæ radicitus everſa concidit. Tredecim hominum millia eo turbine oppreſſa, ſincera lamenta a ſuperſtitibus expreſſerunt. NAM TUNC potiſſimum veris lachrymis defletur publica calamitas, ubi illa cum domeſtico funere conjuncta eſt.

Bajazethes, niſi a quodam Monacho Græco admonitus fuiſſet ante, quam horribilis motus urbis viſcera convelleret, ut ſe ſubduceret, neve loco minime tuto crederet vitam ſuam, ex qua omnis perinde civis, ac miles vitam traheret; haud dubie in ſuo palatio hoc malo correptus periiſſet. C) Cum vero in dies vis mali præter modum creſceret, e tignis, quæ non facile ſolverentur, domum ſibi extrui juſſit, & velut carceri incluſus, corpore, menteque æger dies, & noctes transegit. Hanc calamitatem excepit peſtifera lues, quæ in civium capita graſſata, fere ad ſolitudinem, frequentem & incolis refertam urbem vertit. His ærumnis exagitatus Imperator, ſenio & podagra inſuper oppreſſus, ſalubrioris cœli gratia, in Thraciæ amæniora loca ſeceſſit, quietem capturus, cui ab adoleſcentia magis, quam bellicis laboribus addictus erat. Et ſi quam ferociam barbaræ menti res feliciter geſtæ indiderunt, ea ab ultore Deo, immani terræ motu, & immiſſa poſtea lue penitus compreſſa eſt. Deſudavit dein omnis induſtria Bajazethis, quantum per ſeniles morbos licuit, ut urbem ſuis ruinis conſepultam veteri nitori reſtitueret. Datæ ad Præfectos provinciarum literæ, ut operas conquirant; lapides, calcem, cæteramque materiam tot ædificiis ſuffecturam in portus Byzantinos deportent. Raro alias tantus numerus omnis generis machinatorum, artificum, operarum viſus eſt Conſtantinopoli. Octoginta millia confluxiſſe dicuntur, quibus Purpuratum Januſen præfecit. Hic partito inter magiſtros, ac operas labore, vicos, domosque dimenſus eſt, paucorumque menſium ſpatio, non tam ſumptu, magnificentiaque nobilis urbs, quam civium habitationi commoda caput e ruinis extulit.

1510. Reſtituto Byzantio, cum animadverteret Imperator ſenio ingraveſcente, morbos pariter ingraveſcere, & haud procul ultima fata abeſſe, ne Imperium filiorum ambitio inteſtino bello involveret, de ſucceſſore ſibi deligendo mature, & ſalvis adhuc tum rebus proſpiciendum putavit. Iſtud diu, noctuque volvit animo, ſperavitque fore, una hac via omnem bellorum fomitem, quæ deinde fere everterunt Byzantium, extinctum iri. Sed contra accidit, quam volebat, ut jam narrare aggredior. Adrianopolim comitia indixit Bajazethes, Purpuratosque evocavit, deliberaturus cum iis, ecquem-

A) Codex Verantianus. B) Idem. C) Bizarus L. X.

ecquemnam filiorum (tres A) superstites erant Achomates, Corchutes, & Selymus) deligere vellent, quocum Imperii molem partiretur, quive secundum fata sua amplissimas provincias moderaretur. Suo quidem judicio, ajebat Imperator, neminem aptiorem tanto muneri, atque Achomatem, quem ipsa nascendi conditio, & Amasiæ, Cappadociæque summa cum æquitate administratio commendant. Firmarent id communibus votis Purpurati, quod rerum ordo, tot gentium consuetudo olim stabilivit. Non aliud præmium impensis pro salute civium laboribus, non aliud fulcrum senectuti suæ tot expeditionibus infractæ petere. Paucis admodum grata fuit Imperatoris petitio, inclinatis jam animis in Selymum Trapezuntis Præfectum, quem pugnatior indoles, & mores populares cum Purpuratis, tum Janicsaris acceptissimum fecere. Erant tamen nonnulli opibus florentes, otio magis, quam bellicis laboribus assuefacti, qui Achomatem, mitioris ingenii Principem, nec ulla sævitie notum, præ Selymo fovebant. Corcuthes vero, quod stirpe virili careret, omnium consensu Imperii dignitate exclusus est. Metuebant enim Ottomani, ne Imperatore sine liberis decedente, turbarum quidpiam enasceretur, in tam vasto, seditionumque feraci Imperio. Ad extremum, ubi viderunt, Bajazethem a sententia sua nullis argumentis abduci posse, plurimi Procerum, ejus consilio impulsi, in Achomatem suffragia contulerunt. Cæterum ut sine tumultu e sua provincia Constantinopolim acciri posset, Persarum Rex Ismael, religionis suæ propagandæ potius, quam dilatandi Imperii studio inflammatus, opportune res novas moliri cœpit. Pretium operæ me laturum haud existimo, si Regis istius genus, ortum, progressum, prælia, obtentas victorias, & regiones narravero, cum id elegantes Scriptores B) cumulate præstiterint, suisque monumentis Historiarum, ad posteros transmissis inseruerint. Quid negotii facessiverit Bajazethi, instituti mei rationem secutus, compendio recitabo.

A. C. 1510.

Ismael, cæso in acie Persarum Rege Aluante, occupato regno, stabilitaque domi authoritate, in id summa contentione deinceps incubuit, ut sectam authore Hali c) repertam, annis adultam, sed modicis interclusam limitibus, in totum qua patet Orientem disseminaret. Hunc in finem ad Bajazethem Oratores suos ausus est mittere cum ambitiosis postulatis, quibus primum flagitavit, veteri religione abjecta ut suam amplectatur: mutatæque religionis indicium, rubei coloris Cidarim, duodenis interstinctam plicis sumat. Dein Caramaniæ provincias, hæreditario jure sibi, Regibusque Persiæ debitas, minacibus verbis petiit. Neutrum impetravit superba legatio. Quin imo Bajazethes, placita Persarum, ferro, & igne extirpanda jam dudum in animum induxit, pœna mortis statuta in Ottomanos, quicunque peregrinam hanc sectam profiterentur. Non enim ignorabat; vulgi animos nihil magis turbari, concitarique, quam novitate opinionum, quas si semel totis medullis imbibat, adeo constans est in iis retinendis, ut jacturam fortunarum, vitæque facere, quam ab iisdem recedere malit. PERTINACIUS nempe novitiæ opiniones præ antiquis in mortalium animos dominari solent, ut quantum novitate placent, tantum dominatu præcellant. Et vero non pauci in Caramania, Persarum cerimoniis capti, doctrinam Halis, an Haidaris? nam utrumque Persicæ legis D) conditorem Historici putant, certatim sequebantur, pluresque in dies a Mahomete deficiebant. Inde cum turbulentis concionibus motus fierent in provinciis Caramaniæ (nunquam enim sectæ institutum sine tumultu, turbis convelli, aut antiquari potest) veritus Bajazethes, ne post plebem Purpurati eo hamo caperentur,

A) Tubero L. IX. quatuor filios in vivis fuisse ait, nempe Cichanem, Achomatem, Corcuthem, Selymum. Annales Turcici, Codex Verantianus, Hannivaldinus, Bizarus L. X. solum trium meminere. B) Petrus Byzarus Persicarum rerum Historiam in XII. Libros descriptam, gentis originem, mores, res domi, forisque gestas stylo terso, nitidoque edidit Antuerpiæ MDLXXXIII. c) Hales fabulosi Mahometis Gener, ut Bizarus L. X. narrat, extincto Mahomete infelices nugas magnam partem convulsit, novas pro libidine adjecit, loca quædam, secens, ac Mahometes, hujusque sectatores, interpretatus est, ut nova quædam congeries religionis, rudi plebeculæ appareret. Nempe facile est inventis addere. D) Leunc. Pandect. Histor. Musulm. c. 188.

A. C. 1510. rentur, & cum plebe ob privatum commodum conſpirarent, quotquot contra edictum Imperatorium, capitis ornamentum Perſico more ſumpſere, ſupplicio affici juſſit; MEMOR religionem, & linguam hoſtium antecedere: tum ipſos hoſtes venturos, & civium animis jam occupatis, facile eorum etiam corpora, & mœnia occupaturos.

Quantum Bajazethes laborabat ad exſcindendam Perſarum hæreſim, tantum Iſmaelis Dux, Techelles, ſui inſtituti acerrimus vindex, ad eam dilatandam curas intendit. Pellectis Cappadocibus in ſectæ, & armorum ſocietatem, exercituque Perſarum copiis affluentibus firmato, in Lycaoniam ducit, regionem ab agri ubertate, hominumque frequentia priſcis celebratam, atque ad Iconium A) caſtra ſtatuit. Orchanem, & Mahometem, Nepotes Bajazethis, aperto Marte congredi auſos profligat. In Galatiam procedens, Corcuthem uno prælio debellat. B) Effuſus in Bithyniam, non procul a Sagari, ſive Sangario amne, Caragum Aſiatici equitatus Magiſtrum, minoriſque Aſiæ Præfectum, ordinata acie excipit, conſertaque manu victor evadit. Caragus disjecto exercitu & ipſe fugam init; verum captus inter Cuthajam, & Ancyram urbes, palo ſuffixus vitam poſuit. C) Proſpero rerum ſucceſſu ferox, Pruſam Bithyniæ caput circumſidet. Sed audito Alim Vezirium cum quadraginta millibus armatorum, & Achomatem Bajazethis filium cum auxiliaribus copiis appropinquare, Galatiam repetiit tanta feſtinatione, ut quintis caſtris campos Galatiæ emenſus ad Ancyram metatus fuerit. Alis victoriæ decus ut ſuæ virtuti tribueretur, non expectato Achomate, militem inedia, itineribusque exhauſtum arma capere, prælium inire jubet. Perturbatis in prima acie ordinibus prope erat, ut Techelles, tot palmarum Dux, vinceretur. Verum Alis victoriæ cupiditate in omne diſcrimen præceps, dum ferocientis potius militis, quam moderati Ducis munere fungitur, cæſus eſt a Perſis. Ottomani velut Ducis ſpiritu pugnaſſent, in fugam præcipitati ad internecionem cæduntur. D) His actis Techelles copias ſuas in Perſidem reduxit.

Perturbata Aſia Perſarum armis, Selymus ampliſſimas ſpes concepit, Imperium occupandi. Quapropter nihil cunctandum ratus, Trapezunte cum quinquaginta celocibus per Euxinum mare, ad Socerum ſuum Tartarorum Regem ſe Caffam contulit. Collectis tribus millibus armatorum Iſtri oſtia prætervectus ad Iſtropolim, Tomoſque E) copias exponit. Mox in Triballorum agro inter Hæmum F) montem, & Danubium conſidens, cum omnia pacata conſpiceret, prope Rhodopen militem, ſpeſque ſuas apertius explicat. Datis inde ad Patrem Adrianopolim literis, queſtus eſt, ſecum durius agi, ac par eſſet: crebrius ſe & nunciis, & literis egiſſe de Imperii ſalute cum Patre; at Purpuratorum invidia ſaluberrima conſilia fuiſſe præfocata; imo magnopere ſe dubitare, num quidpiam eorum Bajazethi relatum. Quapropter majorem in modum ſe rogare: poteſtatem ſibi faceret, Patrem annis, ægritudineque confectum propius adeundi, & manus paternas oſculo ſtringendi. Facile, quid ſub iſta humanitatis larva occuleretur, perſpexit Bajazethes. Sed & Juvenem altorum ſpirituum, & Imperii dignitate ineſcatum, molliori manu tractandum cenſuit. Prætorem Byzantinum, & Segnanem Purpuratum expedit, monerent etiam, atque etiam Selymum, ne quid temere in Patrem moliatur: ſatis, ſuperque peccatum, quod jure, legibus, Imperii contemptis provincia ſua exceſſerit, militum manu per Euxinum mare, per Thraciam volitet, in bellum civile

A) Iconium urbs Lycaoniæ. B) Sic Bizarus. At Tubero ait: ſimulatis inimicitiis Corcuthen pugnaſſe in Lydia, pulſum Phocæam Ægæi maris urbem. Si ita? Techelles e Lycaonia in Phrygiam majorem, tum in Lydiam contendit, e Lydia tandem Bithyniam petiit. C) Annales Turcici. Bizarus ait Caragum fugiſſe Cuthejam (hodiernis Geographis Cotiæum) eaque expugnata cum uxore captum, paloque infixum. D) Perturbate hanc Perſicam tempeſtatem referunt Annales, & Codex Verantianus. Prælium primum commiſſum ajunt cum Carago, alterum cum Corcuthe, tertium cum Ali Vezirio. De Orchane, & Mahomete ſilent cum Tuberone. E) Iſtropolis apud Strabonem L. VII. Iſtri oppidum a Mileſiis conditum ad oram Ponti, ubi & Tomi, notum oppidum carmine P. Ovidii. F) Hæmus, ſive Æmus mons Thraciam ſecat. Rhodope ejuſdem regionis mons.

vile populum conciat. Sat negotii esse cum Persa. Videret, ne primus A. C. per duellionis signum efferret. Fratres perinde arma correpturos exemplo 1510. Selymi, & pro Imperio dimicaturos eo pertinacius, quo justius contra perduellem arma induuntur. Si tanta in Patrem reverentia fertur, quantam verbis jactat, rediret festinanter Trapezuntem, militem non in exitium Patris, & civium circumducat, sed ad limites Imperii tuendos servaret. Flecti videbatur Selymus, ut erat vafro ingenio, nec urgebat ad Bajazethem, ut antea, accessum; pollicitus insuper se in parentis potestate futurum, nec vi, nec fraude acturum. Illud tamen oravit; ne se Trapezuntem velut in exilium releget, atque ingloriam vitam agere cogat. Nullis incursionibus eam provinciam patere, nullum virtuti suæ campum aperiri. Committeret sibi limites Hungariæ vicinos, daturum se operam, ut Christiani intelligant, se Majoribus suis armorum gloria nihil cessurum. Non tenuit iram Bajazethes, propeque erat, ut armatas filii preces vi intentata repelleret. Prætorianorum Præfectus exulceratum animum mitiori consilio temperavit, apertumque discrimen tum majestatis tum Imperii ostendit. Denique eo permovit anxium Imperatorem, ut Selymum præfectura Serviæ insigniret, sedem tamen non Semendriæ, sed Trapezunte figeret. A)

Hoc successu animosior, non Trapezuntem modo non rediit, ve- 1511. rum quo factionem viribus novis corroboraret, provincias inter Danubium, & Hæmum montem usque ad Drinum amnem porrectas, imperatis pecuniis, atque acerbissime exactis, divexavit. Exercitum præterea Imperatorium partim auro, partim promissis solicitavit, multumque imminuit. Auctis in hunc modum legionibus, non jam susfurari Imperium, quod indecorum existimavit, sed collatis generose signis sive cum Patre, sive cum fratribus, extorquere voluit. Fluctuabat solum animo, Byzantiumne invaderet, opes multarum gentium direpturus? an Adrianopolim, Patrem oppressurus? Bajazethes interim crebrioribus nunciis pulsatus de Selymi factione, ne Constantinopolitanis novarum rerum cupidis, occasionem sui absentia tumultuandi præberet, illuc cum Prætorianis movet; eo etiam consilio, ut si Selymus vim adhiberet, cum Achomate potius fratre de summa Imperii contenderet, quam se in infelicem arenam traheret; in qua seu vinceret, seu vinceretur, utrumque luctuosum foret, quando quidem de civibus triumphare perinde sit, ac vinci.

Exacta Adrianopoli hyeme, principio veris Bajazethes Byzantium 1512. abiit. Selymus congregato quinque & viginti millium exercitu, Patrem lentis itineribus secutus ad oppidum Tzurolloen B) tandem subsistere, & rebus suis consulere cogit. Sed is acutissima podagra oppressus, vix jactationem viarum ferre potuit, nedum aciem, si necessum foret, struere. Itaque non de Imperio, sed vitæ incolumitate solicitus, Sinanem Purpuratum, cujus fidem in rebus arduis perspectam sæpe habuit, cum aliquot turmis equitum elato candido vexillo, Selymum jubet accedere, ac rogare: *equid rei esset, quod Patrem tantis copiis sequeretur? cur Trapezuntem non repeteret?* Vix Sinan in conspectum Selymi venit, continuo omni telorum genere impetitur, & trepide fugatur. Prætoriani, qui Bajazethem stipabant, adeo inique hoc facinus tulere, ut concussis ferociter armis non obscura indicia dederint, quo animo pugnam capessituri essent. Jussis propius accedere amicis, tenui voce (nam ægritudo, & dolor animi loquendi facultatem fere ademit) ut pone adstantes vix intelligerent, perfidiam filii accusabat, utque se defensum irent, hortabatur. Dein ultimas vires colligens, sagittam leviter impulsam ejaculatus, prælii ineundi signum dedit. Duces & milites explicatis subito signis Tartaros impedimenta diripientes facile disjiciunt. Sed Selymus cum milite suo, Prætorianis acriter obstitit, donec accepto vulnere fugam arriperet. Fertur Bajazethes, cum acies e curru spectaret,

A) Annales Turcici, & Tubero L. IV. B) Tzurolloe, aliis Ciurlum, urbs ad Propontidem sita, ut vult Leunc. c. 26. Selybria dissita sex leucis. Tubero asserit, in Selymbrianis campis pugnatum.

A. C. de Selymo in primis ordinibus dimicante, percontatum prope adſtantes:
1512. quisnam ille homuncio (erat enim corporis habitu infra dignitatem Ducis) eſſet, qui prælium cieret, ſolusque victoriam moraretur? atque ut intellexit Selymum eſſe, pauliſper attonitum hæſiſſe, dein vultu in riſum explicato dixiſſe: *corporis habitum non reſpondere fortitudini, animique præſtantiæ.* At barbarorum eſt dotes animi, ſive a natura parente ultro conceſſas, ſive multa arte, & labore quæſitas, a corporis habitu metiri.

Profligato, ut diximus, exercitu, ad Pontum Euxinum fugam maturavit Selymus, ſolutisque navibus cum ſuis, quos adverſa fortuna illuc compulit, in Tauricam Cherſoneſum A) trajecit. Non tamen ſpem Imperii poſuit, maxime cum allatum eſſet, Prætorianos ab Achomate, neſcio quibus ſtudiis literariis implicito, alienos eſſe, neque admiſſuros, ut vivente Patre Imperator renunciaretur. Præterquam enim, quod voluptatibus deditus, annos adoleſcentiæ alto otio transmiſerit, & propterea deſpicatui habitus, non leve odium apud militarem ordinem incurrit. Nam fugato Selymo, cum Imperium factionibus ſciſſum potentiori obventurum diceretur, hæreditatem ſuam non jam jure, ſed armis, & vi aperta proſequi ſtatuit. Contracto valido exercitu, per Aſiam minorem Scutarim B) pervenit. Janicsari, qui Imperium plerumque plura pollicenti deferunt, per ſuos Legatos quæſiverunt ex Achomate quantum annonæ, ærisque in ſe ſpargeret, ſi prodito Bajazethe Byzantium, & cum Byzantio totum Imperium traderent? ſuperbe repoſuit: *meminiſſent ſe Principem, non mercatorem eſſe, nec velle Imperium precario a ſubditis ſuis accipere, ſibi paterno jure alioquin tranſcriptum, & vel ab invitis, armis extorquendum.*

Hoc audax reſponſum a vecordi Principe datum, usque adeo Janicſarorum abalienavit animos, nullo ut deinceps tempore, donis etiam cumulate effuſis, potuerint devinciri. Quapropter ne in apertam ſeditionem erumperent, in provinciam ſuam juſſus redire, ingens odium in Patrem concepit. Mox ira, dedecoreque accenſus, quod rebus infectis recedere debuerit, in populationem effuſus, minorem Aſiam diripit, omnia armorum terrore miſcet, non animadvertens, quam lethalem plagam rebus ſuis imponeret. Ad hæc Patris ſui Oratorem de vi ditionibus alieni juris illata quiritantem, contra gentium jura naribus, auribusque mulctatum ludibrio habuit. Quæ res ei exitium, ut dicemus, maturavit. At Selymus fortunæ ſuæ aſſiduo intentus, ſummam a Prætorianis inierat gratiam, dum urbi Byzantinæ annona laboranti e Taurica Cherſoneſo, Trapezunte naves frumento onuſtas mitteret, & levi pretio militibus divenderet. Quo facto quid quid nuper in Patrem, Prætorianosque peccatum fuit, id largitionibus peropportune diſpertitis non modo ex omnium animis eraſit, ſed novum inſuper aditum ſibi aperuit, ad ſceptrum Imperii obtinendum, docuitque felicius vinci mortalium animos inermi beneficio, quam armato milite. Et jam ipſe Bajazethes Achomatis audacia commotus, æquiori animo in Selymum ferebatur, quem Janicsari palam ſibi Ducem dari adverſus Achomatem flagitarunt. Mox ſeditione oborta, exuto militari obſequio, duodecim primarios deligunt, C) qui ſine ambagibus Bajazethi denuncient: Imperii habenas Selymo committat moderandas: privatus vitam degat, cum per vires ætate, morbis nimium attritas Rempub. adminiſtrare non valeat. Pro ſene membris, vigore animi capto, ac magna ſui parte præſepulto, Principem ætate, viribus florentem ſubſtituat. Imperator ſubita Janicsarorum defectione turbatus, inter ſpem, & metum fluctuans, quid ageret, quid arriperet, incertus animi non videbat. Muſtapha Purpuratus, niſi votis militiæ ſubſcribat, actum eſſe de Imperio, & vita conclamat: cedendum militum furori, ut rapaciſſimo torrenti, cui ſi obicem opponas; ſævius furit,

A) Annales Turcici. B) Scutaris, priſcis Chryſopolis, at Straboni L. VII. Chalcedon, in altera parte faucium Propontidis contra Byzantium per Megarenſes ſurrexit. C) Annales Turcici, Codex Verantianus.

rit, & ſtragem edet. Dum ſecum luctatur Bajazethes, impotenti ſimilis, modo Imperio ſemet abdicare, modo dulcedine regnandi abreptus, ſententiam mutare eſt viſus. A. C. 1512.


Interim e conſilio ſeditioſorum, Selymus Byzantium feſtinatis nunciis evocatur, quem ad Odeſſum A) urbem, qua Panyſus amnis ſe in Pontum exonerat, repertum, inter ſigna militaris lætitiæ deducunt in urbem. His diverſo partium ſtudio agitatis, Corcuthes ſpe Imperii allectus, Phocæa Conſtantinopolim iter accelerat, una ſolum biremi vectus, quo invidiam Janicsarorum declinaret. Patrem adit, hortatur, provincias ſibi cederet, quas olim in puerili ætate militum favore obtinuerat, Bajazethe abſente. Sed animadverſo non niſi umbram dignitatis Imperatoriæ ſupereſſe Patri ſuo, Prætorianos in ſuas partes pellicere adlaborat. Ea ſpe deluſus, velut Imperium tot diſcriminibus obnoxium exoſus, Selymi fidem implorat, multaque oratione, & blanditiis agit, liceret ſibi in provincia, cui multis jam annis præfuerat, quieto eſſe, & reliquum vitæ curriculum ſine metu conficere. Fide interpoſita, junctisque dexteris ad pontem B) minorem Propontidis, Selymus omni metu liberum eſſe jubet. Sed RARO fidum experieris tibi, quem metuiſti: ſemperque inter ſuſpectos, & ſuſpectantes fides labaſcit. Recepto intra mænia Selymo, crevere animis ſeditioſi, Muſtapha Purpurato clanculum colludente. Ergo Bajazethes undique proditus, tandem Imperio ſe abdicat; & quaſi non neceſſitate, ſed ſponte opulentum patrimonium in filium transferret, theſauros Majorum, ex æquo dividit, & Dymam præmittit, C) ubi curis Imperii ſolutus, fati ſui legem expectaret. Lecticæ impoſitus, inter lachrymas iter capeſſit Januſe Purpurato comitante, cui plurimum fidei ſemper habuit. Selymus tamen hujus opera, & Medici, porrecto veneno Patrem interemit; eo audacius, quo minor ſuſpicio tanti flagitii. Itaque ante extinctus eſt, quam Dymam perveniret. Sed & illi pari fato mori jubebantur, qui infamis parricidii conſcii, operam etiam ſuam commodarunt, ut vel ſuo infortunio ſentirent, A PERFIDO *non niſi perfidiæ præmia expectari debere.* Medico cervix inciſa cum voce Selymi prævia: *Veteri Domino infidum, novo fidum non futurum.* Unus Januſes melioribus fatis debuit, quod ſupplicium patrato immani ſcelere evaſerit; tamen poſt aliquot annos affectatæ tyrannidis apud Imperatorem delatus, memorabili morte punitus fuit, ut ſuo loco dicemus.

Porro pecuniam, cæteramque ſupellectilem ſane non modicam, Selymus ceu jure belli captam in militem diſperſit. Cadaver Conſtantinopolim devectum, barbaro ritu Mauſolæo, a ſe in vivis extructo, conditum D) fuit. Præfuit rebus Turcicis duos circiter & triginta annos, ætatemque ad ſeptuageſimum annum perduxit. Valetudine plerumque afflicta uſus, & ſenilibus annis, pedum doloribus cruciatus, & corpore, & animo languidior, neutiquam par fuit tam vaſti Imperii adminiſtrationi. Salubrium conſiliorum patiens, facile Purpuratorum ſententiam amplexus eſt. Victorias non ſua peritia, non ingenio confecit, ſed numeroſo, exercitatoque milite. Tubero multas in eum laudes liberali animo ſparſim congerit, & Principem ſua ætate juſtiſſimum, brevi, at illuſtri elogio, abſolvit.

A) Odeſſus urbs ſita ad oram Ponticam. Panyſus intra Meſſembriam, & Odeſſum in Euxinum mare præcipitat. Percurre Thraciam antiquam Chriſtophori Weigelii. B) Bini pontes ſinum Propontidis domant. Opus Conſtantini Magni, quemadmodum refert Leuncl. c. 196. C) Tubero L. IX. Dyma Græcis Didymotichos urbs ad fluvium Hebrum, non vero ad Euxinum Pontum, ut putarat Bizarus. Vide Tabellam Weigelii Græciæ ſeptentrion. Hanc urbem terræ motu concuſſam, veteri decori reſtituit Bajazethes. D) Annales Turcici, & Libitinarius Index Oſmanidarum.

A. C.

SELYMUS' IMPER. OTTOM. III.

1512. Arto per summum scelus Imperio, ingens solicitudo incessit Selymum, ne insidiis, aut aperto bello suorum fratrum, Principumque Ottomanici sanguinis oppressus, sua excideret felicitate. Noverat enim non sibi uni cupiditatem regnandi inditam: sed & alios, quos vel conditio nascendi, vel nobilior indoles supra vulgus evexit, hoc hamo capi, & mirifice pertrahi. Quapropter ut omni metu solutus, Imperium sibi stabiliret, rivales suæ fortunæ e medio tollendos consilio sanguinario statuit. Corcuthem quidem studiis magis, quam armis addictum, data iterum fide in Lydiam dimisit, attributa præfecturæ insula Lesbo, ut novo beneficio delusum, commodiori & tempore, & loco incautum occuparet, ne crudeli facto Purpuratorum animos a se averteret, segnioresque tyrannidis metu ad bellum redderet, quod in Achomatem fratrem moliebatur. Mustapha Jurisius, vir belli, pacisque artibus clarissimus, tantisper expeditionem, periculi plenam differendam suasit, quoad Præfectorum provinciarum animos sibi devinctos certis indiciis teneret, non vane existimans, facile tot inter reperiri unum aliquem, qui partium studio impulsus ab Achomate staret.

Sed frustra apud Principem insana dominatus prurigine intricatum hæc talia dicebantur. Cum periculo amittendi Imperium, in arma ruere maluit, quam superstite tali æmulo cum timore rerum potiri. *Celeritate*, ajebat, *bella confici, nec expectandum bellum, sed potius inferendum. Animos, viresque hostibus crescere, dum vident adversam partem lente in campum prodire. Achomatem solo Patris judicio superbum, nondum clientelis, rebusque bello necessariis validum sine armis opprimi posse. Grandem denique gloriæ suæ labem inuri, si bello præveniretur.* Nec mora: excitis Præfectis cum veterano milite, in Bithyniam A) trajicit, ac ponte imposito Sangario B) amni, Paphlagoniam emensus, Ancyram C) Galatiæ urbem petit, indeque motis castris cum ingenti exercitu ad Amisi D) mænia consedit, pacatamque regionem Amasiam, cui imperitabat vivente Bajazethe Achomates, in fidem suscepit. Tanto armorum apparatu perterritus Achomates, non audebat patentem in campum prodire, atque de summa Imperii decertare; satius existimans si vires, quas modicas tum temporis censebat, montium jugis defenderet, nullaque pugnandi facta copia, fratrem prælii avidum cunctando frangeret. Quod si vero montes invaderet Selymus, in spem venit, posse transeuntem per angusta loca, & cum nemorum, viarumque difficultatibus luctantem clade aliqua affici. In his rebus spem omnem, ac victoriam collocavit. Neque Selymus in apertum discrimen exercitum conjicere voluit, uberrimo hac expeditione relato fructu, quod Achomatem provincia sua depulsum in angustos admodum limites retruserit. Quapropter maturo jam autumno in Bithyniam rediit, præsidio relicto ad Amasiæ fines tutandos. Prusæ E) ubi hyemem transegit, insigne crudelitatis spectaculum edidit. Mustapha gente Macedo cum expedito equite ad intercipiendos filios Achomatis, Muratem, & Aladinem missus fuerat in Amasiam ante, quam Imperator Byzantio cum robore legionum Bithyniam peteret, sed Mustapha erga juvenes pietate motus per celeres nuncios monuit, rebus salutique suæ ut fuga consulerent. Uterque manus sanguinarias evasit, non item

A) Annales Turcici ajunt Selymum in Natoliam duxisse, quæ hodie quatuor præfecturis definitur: nempe Natolia, Caramania, Amasia, Aladulia. B) Sangarius, aliis Sangaris, Bithyniam intersecat. C) Ancyra hodiernis Geographis Angori, & Angiro. D) Amisus nobilis urbs Ponti Galatici. E) Prusa urbs Asiæ capta a Turcis 1327. Regia Ottomanorum fuit. Vide pag. 1.

item Mustupha, quem recens suspicio proditi consilii, A) & nupera in Baja- A. C. zethem perfidia (hujus quippe clandestinis collusionibus Selymus Imperium 1512. occuparat) Deo vindice ad supplicium raptavit. Hac cæde quodammodo inescatus Selymus, in domesticos, & sanguine junctos ferro grassabatur, utque omnem crudelitatis notam a se amoliretur, cum literis, tum voce testatus est, se non tam sui causa, quam Imperii tranquillitate, ac civium salute adductum ad tam sæva imperia exequenda.

Erant in aula, comitatuque Imperatoris, fratrum jam fato functorum quinque B) filii, omnes fide, incorruptaque pietate in Selymum clari, opibus, vastisque in Asia regionibus florentes. Hos signo dato apprehendi, atque jugulari jussit, & magnifico funeris apparatu honestatos, Ottomanorum monumento Prusæ inferri. Eodem turbine involutus fuit filius Cichanis, quem Tubero Bajazethis liberorum natu maximum fuisse in suis scriptis edidit. Hunc cum carnifex, Selymi jussu adiret, manusque loro, quo obniti non posset, vincire vellet, aversatus ignobilem mortem, stricto acinace carnificem repulit; non sine acerbitate, Selymi impietatem accusans, quod Bajazethem senio, ac morbis confectum virulento potu sustulerit, Principes Imperatoriæ domus fœde jugulaverit, seque etiam nullius criminis convictum (nisi id crimini detur, quod Imperii hæres jure suo cesserit) ad necem deposcat. Reluctari tantisper licuit, non tamen supremam moriendi necessitatem effugere. Nam Centurio cum armato manipulo munus carnificis occupans, magnanimum Juvenem, strenue repugnantem multis vulneribus trucidavit, ipso Imperatore heroicos Adolescentis spiritus probante, qui militari potius manu, quam carnificis perire maluerit.

Tot funera eodem fere tempore edita ingenti mærore civium animos confuderunt, & ipse Selymus, quo crudelia facta pietatis larva tegeret, atque in cæteros majori fiducia inposterum ferrum stringeret, doloris signa edidit vestem lugubrem indutus: palam dicere auditus: *se fratrum filios non privatis inimicitiis, aut cupiditati regnandi, verum Reipublicæ commodo immolasse: constare alioquin Imperio Turcico, quantum turbarum excitarint annis præterlapsis e Domo Imperatoria oriundi Principes, qui nisi mature, & nondum adultis factionibus perimantur, spem supremæ dignitatis nunquam abjiciunt, & arridente paululum feliciori fortuna, per excidia urbium, civiumque neces in solium eluctari conantur; sibi fixum, deliberatumque esse, non ante illaturum exteris bellum, quam stirpis Imperatoriæ surculos radicitus evulsos viderit. Quot Principes Imperatorii sanguinis viverent, totidem bellorum fomenta in sinu Reipub. ali, se hactenus semper expertum fuisse.* Nemo unus erat e Purpuratis, qui auderet suapte natura ferocem, ac cognati sanguinis sitientissimum, a tam fœdis consiliis avocare. Itaque Corcuthem sui securum, & nihil hostile metuentem ob juris jurandi sanctitatem, quo se Byzantii obstrinxerat Selymus, insidiis interceptum pari furore funeribus addit. Adornatis mendaciis, fictisque calumniis primum innocentis famam traducit, mox criminis læsæ majestatis reum, quo omni invidia semet eximeret, apud delectos Judices capitis arcessit. Telam accusationis orditur; ad Corcuthem animi explorandi causa se dedisse literas nomine prætorianorum, quibus Imperatoris crudelitas acerbe exagitabatur: omnium jam invidia ardere, quod nobilissimos Principes, nullius culpæ conscios immani barbarie e vita proturbarit. Domestico sanguine exhausto timere Purpuratos, ne in civium capita ferrum vertat. Nunc bellum gerere adversus Achomatem, quo Ottomanorum vires maximopere atteruntur. Quanto satius ageret, si positis fraternis odiis, in Christianos has copias duceret, malisque eriperet Rempublicam. Ismaelem Persiæ Regem justo exercitu succinctum, Achomatis partes suscepturum, neminem jam ambigere. Posse imminentes clades ab Imperio Turciæ avertere, si Corcuthes placido, ac miti

1513.

A) Tubero L. IX. longe aliam causam cæsi Mustaphæ adfert, nempe quod veneno tentarit sufferre Selymum opera Tonsoris. B) Ita Leuncl. c. 202. & Genealogia Osmanidarum, ubi nomina recensentur. Tubero senos fuisse perhibet.

A. C. 1513. miti vir ingenio imperitaret. Isthoc Purpuratos in votis habere, Janicsarosque palam in circulis flagitare. Uteretur nunc fortuna sua Corcuthes, Byzantinum thronum, procul agente Selymo, sine strepitu armorum, sine cæde popularium occuparet; plenis agminibus secuturos prætorianos novi Principis auspicia, modo occasionem e manibus elabi minime patiatur. Profert præterea alteras literas quasi a Corcuthe sparsas, quibus ambitiosa imperitandi cupiditas haud levibus indiciis prodebatur A)

Causæ arbitri, etsi scirent omnia ex composito agi, nihilque horum, quæ a Selymo, vaferrimi ingenii Principe, adferebantur, speciem veri habere, sive metu impulsi, sive auro corrupti, velut immanis sceleris convictum, neci addicunt. Continuo Bostangi B) Bassæ (Gener hic fuit Selymi, & a perfidia in Bajazethem multum acceptus) negotium datur, navibus Ægæum mare insideat, triremes e litore Lydiæ solventes omni adhibita industria occupet, Corcuthem Ottomanicæ quietis perturbatorem quoquo modo in potestatem redigat: ipse cum parte exercitus in Lydiam profectus ad Tmolum C) castra defigit. Tanta molimina rerum, Corcuthi amorem studiorum exemerunt, quæ ad insaniam usque, missis aliis negotiis, deperibat; cumque rebus suis diffideret, neque in armis voluptatem, minus victoriam speraret, sparsa in servos, cæteramque familiam ingenti vi pecuniæ, tribus tantum comitibus stipatus, quo securius latitaret, præcipiti fuga in Cariæ montes se abdit. Hic squallore, inopia rerum vexatus, in gravem incidit morbum, ægerque in ignobili oppido intra spem, & metum tantisper delituit. Sed cum sagacitatem tot hominum in sui perniciem excubantium eludere posse desperaret, ad Rhodios meditabatur. Colono, apud quem versabatur, sonipedem, quo uti consueverat, tradit, ut Halicarnassum abiret, triremem mercede conducturus, qua in insulam Rhodum trajiceret. Vix iter ingressus, a militibus vias omnes obsidentibus capitur, moxque tormentorum metu expugnatus, hospitem prodit. Corcuthes visa militari manu non expectandum ratus, deserto vili tugurio, in editiores montes se proripit, atque in specum tenebris obsitum se condit. Instant prædæ vestigiis milites, omniaque sigillatim quam diligentissime excutiunt. Denique virgulta ori speluncæ admota Principem prodiderunt. Deductus in vicum, unde fugerat, ad Imperatorem codicillos dedit, quibus id unum rogaverat, ut Bibliothecam, quam ingenti numero librorum adauxerat, Sacerdotibus in Asia degentibus cederet, familiamque suam incolumem abire sineret. Dicitur Selymus uberes fudisse lachrymas perlectis literis, ac in mandatis dedisse suis ut quantum fieri posset, absque ullo doloris sensu, suavi morte, captum interficerent. Itaque convivio instructo, somno, vinoque gravem obruunt, faucibusque elisis mentis impotem conficiunt. D)

Supererat Achomates, ad quem opprimendum omnes Imperii, & ingenii vires collegit; utque incautum e montium jugis in campum proliceret confictas Præfectorum literas E) ejusdem argumenti mittit. *Selymum arripuisse quidem Imperium per summam iniquitatem: sed adesse jam ultricem Dei manum, qua præceps e supremo fastigio ruat. Flagitia tyranni toti Imperio invisi, notiora esse, ac ut referri mereantur, vel possint. Omnia humana, divinaque jura atrocibus, sacrilegisque factis temerasse. Belluarum naturam videri indutum Selymum, quæ viso sanguine magis ferociunt. Imperatoriam Domum cædibus funestasse. Superesse unum Achomatem tot funeribus jam editis In hunc omnium oculos, omnium animos defixos, qui sævissimæ tyrannidi modum imponat. Bajazethem etiamnum in civium animis vivere: nondum interiisse summi Imperatoris egregias dotes,* *quas*

A) Tubero laudatus Lib. IX. Alii non meminere literarum. Hannivaldus e sententia Judicum & Corcuthem, & reliquos e domo Bajazethis prognatos, neci datos scribit. B) Ita vocitatur Hortorum Præfectus. C) Mons Lydiæ auro dives, de quo Strabo L. XIII. E Tmolo, inquit, Pactolus defluit, qui antiquitus ramenta auri deferebat copiose: unde Cresi, & ejus Majorum nomen celebre habuisse tradunt. Nunc defecerunt ramenta D) Tubero l. c. hæc omnia. Annales Turcarum in paucis discrepant. E) Annales quinquaginta, vel sexaginta missas innuunt.

quas in Achomatem transfusas mira voluptate cives, militesque intuentur. Prodiret modo e latebris suis, non defuturos, qui signa sequentur. Ad Prusæ mœnia pauculos cum Selymo fide, æreque vacuos excubare. Hos, si terrorem admoverit, levi impendio, quo vellet in suas partes traducturum. Fidem habuit tot eodem tempore scriptis ad se literis, quantumvis copiarum Duces monerent, ut ne se, neve exercitum perditum iret; e Selymi officina ejusmodi commentum prodiisse sibi videri: nec posse tanto silentio rem agi, ut ne suspicio quidem in omnes partes pervigilem Imperatorem afflet. ARCANA apud paucos tuto quiescere, apud plures plerumque prodi. Verum Achomates, si non cauta, certe forti manu jacturus belli aleam, excitis a Rege Persarum subsidiis, Prusam A) versus exercitum movet. Selymus spe pugnæ lætus, Turcarum, Tartarorumque manu armatus, instructa acie occurrit. Id, ubi videt Mussias, Achomati perquam familiaris, omniumque consiliorum particeps, cum tribus aliis spectatæ fortitudinis viris, desertis ordinibus ad Selymum deficit. Tam aperto transfugio perturbatus Achomates, ratus, ut erat, se proditum, ac in insidias præcipitatum, adeo animo concidit, ut nec aciem struere, nec signum certaminis, metu, pudoreque consilium vincente, edere posset. Cum interim Selymi exercitus plenis ordinibus, Ducis torpore confusos incursat, primoque impetu sternit. Pauci locum, quem pugnaturi ceperant, retinuere, fortiterque cecidere. In fugam acti circiter quinque millia occubuerunt. Achomates rei bellicæ parum peritus, paululum restitit; tandem & ipse permutato vestium cultu, fugam laxatis habenis capessivit. Interceptus, ac retractus a Cialapia Ducagino hostilis turmæ Præfecto, in castra, unde a fratre conspici posset, cum frustra alloquium illius expeteret, nervo e militari arcu arrepto, in conspectu militum jugulatur decimo octavo Cal. Majas. Meliori fortuna usus uterque filius, Aladines, & Amurathes, quorum alter fuga elapsus, Ægypti, Syriæque Soltanum petiit; at in itinere febribus correptus finem vitæ, & calamitatum fecit: alter Ismaelem Persarum Regem adiit, qui filia in matrimonium data res prolapsas erigere omnibus nervis adlaboravit cum Ægypti Soltano, ut nunc aggredimur narrare.

A. C. 1513.

E medio sublatis fratribus, ac propinquis, Constantinopolim reversus filium Solymanum, fatale Hungariæ nomen, Amasiæ præfectura insignit octo & decem annos natum. Ita quippe apud Turcos consuetudine receptum, ut is Amasiæ præfectura fungatur, qui Patri in imperio successurus est. Curam deinde non modicam impendit rei navali, quam ducentis bellicis, centum onerariis auxit, extructo tantis apparatibus armamentario in patenti loco Byzantium inter, & Peram jacente. His expeditis, Rhodumne, an Hungariam bello domestico involutam, aut Italiam discordiis intestinis, bellorumque incommodis laborantem, terra, marique invaderet? deliberavit. Jam exercitus sub signa confluxerat, quantus a primis initiis Imperii Ottomanici nunquam visus, quadringenta peditum, equitumque millia fuisse dicuntur: veterani plerique, & bello Peloponnesiaco vincere insueti. Par tantis copiis castrensis supellex, tormentorum, curruum, ac pecuniæ inprimis vis immensa. Nutantem, quem in hostem has formidabiles vires verteret, Ismael Sophus, Persarum Rex, Ottomanicæ fortunæ perpetuus æmulus in se concitavit.

1514.

Amurathes infelicis Achomatis filius, manes paternos vindicaturus, bellum in Selymum agitavit, auxiliis Persicis supra fortunam ferox. Et jam valido exercitu collecto in provincias Turcarum irrupit, Cappadociam ferro, & flamma evastans. Selymus, ut alieno in agro bellum gereret, maxima celeritate ad Euphratem iter suscipit, & sexagesimis castris prope Moschicos B) montes metatur. Nullo reperto hoste, ita proximus Euphrati incessit, ut dextero latere agminis, ripam teneret, donec ad Paryadros

 A) mon-

A) An in Bithynia, an in Caramania signa collata? multis disputat Leunclavius. Tuberonem secutus sum. B) Hi montes ante Armeniam majorem.

A. C. 1514. A) montes ingentium fluminum Euphratis, & Araxis fontibus inclytos pervenit. Cum omnia pacata conspicit; nec per exploratores extundere posset, ubi locorum Ismael tenderet? aut vim vi repulsurus? ne viarum errore in insidias præcipitaret, militem castris continuit. Et jam summa rerum inopia laborante exercitu, ad famem deventum erat; nam Persæ omnia ignibus corruperant, ne hosti cederent; neque commeatus a Rege Armeniæ submissus tantis copiis suffecit, propeque seditionem res erat; cum nunciatum est, Ismaelem haud procul abesse. Potuisset Ismael sine suorum strage nobilem victoriam referre, si copiam pugnandi negasset; verum ferocia militum certamen poscentium, & ne fame potius, atque armis vicisse diceretur, insita superbia stimulatus, castris motis prope Ottomanos substitit in campis Calderanis B) ad urbem Choum. Selymus hostium conspectu lætus, militem arma capere jubet sexto, & vicesimo Augusti. In dextro cornu, ubi Asiatici constiterant, Sinanem Bassam præfecit: in sinistro cum Europæis Cassanem Bassam collocavit; mediam aciem ipse tutandam suscepit, ut magis in subsidiis, quam in prælio versaretur. Præter sena millia prætorianorum, qui nusquam a latere Regis prælio ingruente abscedunt, decem equitum millia custodiæ causa sibi attribuit, æreis machinis longo ordine dispositis.

Ismael perpetuis victoriis elatus, Ottomanos numero, & armorum apparatu longe superiores, acie aggredi non dubitavit, factoque prælii initio tanto ardore in sinistrum Turcarum cornu invectus est, ut non mediocri strage edita, perturbatis ordinibus terga vertere coegerit, cæso Cassane cum aliquot turmarum Præfectis. Alterum cornu Ustageluoglis supremus copiarum Dux non minore fervore aggressus, minus prospere pugnavit. Quippe Sinan tormentis, quibus Persæ destituti erant, hostes arcebat, quo minus ad manus deveniretur, crebriusque displosis plurimos confecit, ipseque Dux majori pila ictus occubuit. Ismael suo successu utendum ratus, disiectis, qui obstiterant, ad mediam aciem penetrat. Sed æreis machinis undique solutis, Persæ sternuntur cum Ottomanis, quos fervor pugnæ miscuerat, nec poterant submoveri hostes sine certa strage Turcarum. Quod si peditum robur habuisset Ismael, facilem ad plenam victoriam sibi aditum aperuisset, ipsumque Imperatorem consilii inopem, cum castris cepisset. Sed apud Persas pedibus stipendia facere pene insolitatum. Hunc in modum cum ancipiti Marte prælium ferveret, Malcozides, & Mahometes fratres, expertæ virtutis militum Præfecti, victoriam confecturi, perruptis ordinibus hostium, ad Ismaelem penetrant, vulnereque in sinistra manu minori fistula inflicto, pugna excedere cogunt occidente jam sole. Recedentibus Persis ingens strages apparuit. Ferunt hoc prælio quadraginta Turcarum millia cum decem, & septem Præfectis cecidisse; Persarum non multo pauciores. c)

Insperatam victoriam ut fructuosiorem redderet Selymus, castris hostium sat opulentis direptis, cæsorumque suorum cadaveribus præter morem crematis, ne magnitudo cladis victoriæ quidpiam decerperet, quæ totam Armeniam pervaserat, ad Tervam D) urbem cum opibus, tum incolis florentem, agmen promovet, eamque, civibus repugnare non ausis, victor ingreditur. Ne urbs a milite diriperetur, E) disciplina militaris cohibuit: tum quod ultro se dedidissent; tum quod Selymus clementiæ famam apud illius regionis incolas quæsierit, quam eatenus domestici desiderarunt, nunc eam experti, quando minime voluerunt. Inter hæc nunciis trepidis perferebatur, Ismaelem recentibus subsidiis instructum, rectis itineribus

Tervam

A) Bini fluvii Euphrates, & Araxes multis nominibus celebres, his montibus suum ortum debent. Strabo Taurum montem Paryadris supponit. B) Calderani campi, Turcis Zalderani prope Choum, veteribus Artaxatam appellatam, quam Araxes secat. Ita Tabella utriusque Armeniæ Weigelii in descriptione Orbis antiqui. C) Et Tubero, & Bizarus ex literis Henrici Penia. ad Cardinalem Saulium Constantinopoli datis anno 1514. isthoc prælium Turcis cruentum fuisse scribunt. De Persis mire variant. Tubero mille quingentos cum Duce Ajace Devio (Annalibus Ustageluoglis, Bizaro Ustaoglo) Bizarus vero viginti millia interiisse ajunt. Nec Ismaelem pugnæ interfuisse vult Bizarus L. X. D) Terva urbs Armeniæ, hodie Tauris, Tamrisium, Tebrisium. Inspice Tabellam laudatam. E) Bizarus ait etiam urbem direptam.

Tervam maturare, bellum redintegraturum. Facile id sibi persuasit Selymus, neque in animum induxit in agro hostili hyemem transigendi. Quapropter acceptis secum non paucis fabrilium operum magistris, quorum opera præcipue ad cudenda varii generis arma uteretur Byzantii, iter relegit in Cappadociam nulla civibus, quod mirum, illata injuria. Aladeules, cujus filius generosa morte functus in prælio, ad montes Cappadociæ non magnæ provinciæ Regulus jam a latere, jam a tergo agmen infestus carpebat, viarumque difficultate, maxime in amnium trajectu, impeditos, ac ab agmine divulsos frequentes opprimebat. Has injurias ut primo vere vindicare posset Imperator, in vicinæ Cappadociæ oppidis hiberna deligere statuit; at Janicsari regionem in solitudinem a Persis redactam detestati, negarunt ferociter, ea stativa se accepturos, quæ præter famem, & communes incolarum calamitates, militi tot itineribus fracto tribuerent nihil: superesse bello intactas provincias; concederet tantillum quietis, & solatii, quo vires instaurent: promptiores in arma ruituros, si cum summa rerum inopia confligendum non fuerit. Ne in apertam seditionem prorumperent, conclamatis vasis Amasiam, Trapezuntemque exercitum reduxit. a)

A. C. 1514.

Interea Selymus variis cogitationibus fatigaverat mentem, qua nam potissimum ratione, Amurathem Achomatis filium, ab Ismaele suas in partes alliceret, atque incautum morte mulctaret, ut cæteros. Videbat enim hunc solum Ottomanæ familiæ surculum superstitem, quem Janicsari, gens mobili ingenio, & ad seditionem prompta, sibi in Imperatorem deligere possent. Ismaelis studium adversus Amurathem, satis, superque patuit anno proxime superiore, quando gravissimi belli incommodis vexari maluit, quam eundem violato hospitii jure, proditum sibi tradere; neque in futurum traditum iri sine armis, spes affulsit. Idcirco bello cogendum ratus, ut primum per anni tempestatem licuit, copiis per Cappadociam, minoremque Armeniam raptis ad Euphratem contendit, qua is Melanta fluvium ex Argæo Cappadociæ monte accipit, Ciamachumque oppidum, in majori Armenia edito loco positum, præterfluit. Transmisso Euphrate, primam curam eo vertit, ut oppido potiretur, ne Ismael minoris Armeniæ Regulis suppetias venire posset. Statuerat enim istos subjugare, antequam in Ismaelem moveret. Admotis machinis, cum milite præsidiario vacuum foret, oppidum subactum est primo fere impetu Turcarum, cæsis ad internecionem puberibus. Præsidio loco imposito, castra communiit Selymus, Principesque ejus regionis ad se accersivit. Quorum alii Selymi triste, crudumque ingenium veriti ad Ismaelem, commune id temporis miserorum perfugium, se contulere: alii cum fortunis, & vita semet in fidem permisere. Solus Aladeules nullo sive timoris, sive obsequii edito indicio, sua in regione perstitit, asperitateque locorum, ac fere justo exercitu subnixus, in certam spem exarsit, opes, dignitatem, vitam retinendi. Ad hujus pervicaciam edomandam cum parte exercitus immissus Sinan militiæ Præfectus, per angustos anfractus in regionem penetravit, ipso Imperatore, cum reliquo agmine haud procul subsistente. Aladeules temere in certamen progressus, vix conserto prælio a suis desertus, sive mala fide, sive metu ad fugam impellente, ægre admodum inter tumultum, cum paucis amicorum se proripuit, atque in montes Ciliciæ, vix pediti pervios profugit. Quo arma penetrare non poterant, perfidia civium penetravit. Etenim nobiles, qui in ditione Aladeulis degebant, ubi animadvertunt, belli tempestatem in suos agros effusum iri, nec mitigandum Selymum superstite Regulo, consilio inter se inito Aladeulem adeunt, orant, obtestanturque, ut sibi, liberis, provinciæ consulat, posito fastu clementiam potius Victoris, quam vim experiatur. At ille veniam desperans negavit se adversus dignitatem suam quidquam facturum, mortem potius oppetere velle, quam supplicem crudelissimo hosti accidere. Itaque gratiam inituri ab Imperatore, nimia securitate

1515.

a) Annales Turcici, Tubero L. X.

A. C. in angustis illis montium faucibus exultantem circumsistunt; adjuvantibus,
1515. quos in sceleris ministerium delegerant, vinciunt, vivumque Ottomanis tradunt: quem Selymus sine mora capite truncavit, illudque per Asiæ oras ad ostentationem victoriæ obtentæ circumgestatum, Venetæ Reipub. transmisit. Accepta in fidem regione Aladeulis, ac tradita Alibego Suarensis Scachi filio, Constantinopolim discessit, ubi ferali supplicio viros opibus, laudeque bellica illustres non sine horrore bonorum omnium affecit. Achmetes Bassa, Ducagini filius primus damnatorum agmen duxit Amasiæ interemptus; mox Byzantii theatrum sanguinarium aperuit, & primi nominis Præfectos Ischenderem Generum suum, & Seguanem capitis pœna mulctat, quos turbarum a Janicsaris. A) Amasiæ, aliisque in locis excitarum fautores arguebat: quanquam & aliæ suberant causæ supplicii; quod nempe procul agente Selymo, provincias per summam avaritiam exhauserint, plebemque exactione pecuniarum crudeliter vexarint. B)

1516. Extincto militari tumultu Ducum sanguine, novam expeditionem in Syriæ, Ægyptique Soltanum, sive Regem Cansavum C) Gaurium suscepit, qui cum Ismaele fœdere icto, junctis viribus in Turcos agere decrevit; sed Ismael domesticis turbis implicitus, pactis conventis stare non potuit, quod Cansavum in extremum exitium conjecit. Ut utrumque Selymus deluderet, ingentes belli apparatus in vicinis Persiæ provinciis adornavit, quasi bello Ismaelem petiturus: Legatos vero Cansavi diuturna expectatione suspensos in aula, postremo spe pacis irretitos domum remisit. Advenerant ii cum postulatis: ut minori Armenia, præsidio deducto, decederet, Aladeulis filium paterno regno inique depulsum, in integrum restitueret: hæc ni faxit Imperator, minime admissurum Cansavum, ut regni hæres, in flore ætatis, exilio mulctatus calamitosam senectutem expectet.

Selymo etsi impudens Legatorum petitio vehementem iram, cujus alioquin vix potens erat, concitaret, tamen certus jam belli inferendi, simulato animo insigne amicitiæ studium præsefert: sermonem, vultumque ita effingit, ut facile ejus rei certos faceret Oratores: addidit denique se omnes partes boni vicini impleturum, daturumque operam, ut non magnopere Aladeulem provinciis, quibus jure belli exciderat, restitui desideret. Ludovicus Tubero Dalmata, aliorum opinionem hoc loco adfert, scribitque a Selymo Oratores acerbe perstrictos: minis additis, non permissurum se, mancipia ære empta, in Mahometanos, gentem liberam, nullique obnoxiam, tam impotenter dominari. Cansavus, sive suspicione belli Ottomanici motus, quod præ foribus adesse frequentibus nunciis accepit, sive ex fœderum lege, quibus se illigaverat nuper, copias suas maxima celeritate in Syriam promovit. Triginta D) prope millia armatorum sub signis habuisse fertur, quos vulgo Circassos, aut Mamaluchos E) appellare consueverant. Erat hoc hominum genus e vilissimo servorum grege collectum, & prope tercentum annorum spatio in Ægypto, Syriaque dominabatur. Plurimi e Circassis (gens isthæc Mœotidem inter & Phasim sedes habuit) huic militiæ nomina dedere, omnes vero Christianis parentibus orti, atque iisdem sacris imbuti esse debebant. Hos partim ipsi parentes (ut nuper dicere institui) præsenti ære Ægyptiis vendidere, nihil sceleris inesse arbitrati, quod non servituti, sed libertati potius addicerentur: quippe ex eorundem ordine militari, Reges legebantur liberis Mamaluchorum suffragiis, & plerumque is summam rerum obtinuit, qui scientia militari insignis, proximus dignitate Soltano fuit. Partim Tartari Ponticas regiones populando, captos tenerioris ætatis puerulos Syris mercatoribus venales exposuerunt, brevique tempore adeo numero, & viribus crevere, ut vicinas regiones armorum studio perpetuo territarint. Nam ubi ex ephæbis excessere, ejuratis Christianorum

A) Amasia urbs provinciæ Amasiæ. B) Leuncl. Pand. c. 206. C) Scriptoribus aliis Campson. Tuberoni, & Annalibus Cansavus. D) Tubero octo duntaxat millia contra Bizarum affirmat fuisse. E) Hos diversis nominibus insignitos reperias apud Historiographos. Nunc Mameluchos nunc Zindos, Turcomanos, Zercassos &c. appellant. Imperium hujus gentis fundatum in Ægypto ad annum MCXCV. Consule Forbesium L. IV. cap. XV. & Leuncl.

rum ſacris, Mahometanam legem ſunt amplexi. Traditi deinde militiæ Præfectis, omni arte armorum tractandorum erudiebantur. Horum incredibili virtute ingentes de hoſtibus relatæ victoriæ. Sed extincto Caithbejo, A) cujus meminimus, graviſſimis turbis exagitatum regnum fere interiit, certe luculento vulnere proſtratum, multum virium amiſit, diſceptantibus inter ſe armis pro Imperio, Achbardino, & Campſone. Mamaluchi ubi vident quotidianis præliis Imperium ad incitas redigi, cædium pertæſi Campſoni, ſeu (ut placet aliis) Canſavo, ſago, togaque clariſſimo inter ſuos ſummam Imperii deferunt, cujus authoritate regnum e fluctibus domeſticis evolutum priſtinam tranquillitatem accepit.

A. C. 1516.

Ottomanus, ut diximus, decreto jam bello in Ægyptios per Cappadociam Cæſaream B) petiit, Ciliciæ campeſtris urbem, unde facilem viam ſuperato Euphrate in Perſiam, vel Amano C) monte, in Syriam habebat. Ad fallendum tamen Canſavum de induſtria rumor diditur, Selymum Perſiam invaſurum. Inter hæc Aleppi, totiusque Hierapolitanæ regionis Præfectus ad Ottomanos defectionem molitus, frequentibus literis Imperatorem pulſavit, ne ſine operæ pretio in caſtris tempus tereret, admoveret exercitum Hierapoli, D) ſe urbem cum præſidio dediturum. Iſthæc proditio clam agitata, neſcio qua rima, ad Canſavum emanavit, effecitque, ut iter maturaret Hierapolim verſus. Selymus ſpe obtinendæ urbis æſtuans poſita larva, incredibili celeritate Amani juga ſuperat, machinis muralibus, magnitudinis non vulgaris, peditum labore ſubvectis, atque haud procul ab Ægyptiis, munitis caſtris, conſedit. In mutuo conſpectu uterque exercitus dies aliquot exegit, neutro auſo vires univerſæ dimicationi committere. Metuebat Canſavus hoſtium multitudinem, vim ingentem tormentorum, genus armorum non minus hominibus perniciosum, quam equis formidoloſum, qui ad primos fragores conſternari ſoliti, ordines perturbare conſueverant. Selymus præterea, qui victus bello Perſico fructus victoriæ legere novit, omnium animos exterruit. Sed nec Turcis plena ſpes victoriæ erat. Circaſſos bello exercitatos, tot victoriis inclytos verebantur; quive ſub Bajazethe ſtipendia fecerant, memores cladis acceptæ, vix aſpectum eorum ferebant. Itaque levioribus præliis mutuas vires periclitabantur, & uterque Dux parvæ rei diſcrimine, ſummæ operiebatur eventum. Circaſſi plerumque victores in caſtra redierant, idque multum fiduciam erexit Canſavi cuncta cernentis e vallis caſtrorum.

Quo animadverſo, ne ſuorum animi ejusmodi ſiniſtris procurſionibus penitus infringerentur, ſtatuit Selymus univerſas copias in aciem educere, atque uno prælio hoſtem levibus victoriis exultantem profligare. Accitis Præfectis militum, pugnam edicit, ſeduloque hortatur ſuos, ut quisque moneat, ne ante in hoſtem procurrant, quam claſſicum caneret: ſuis in ordinibus quieti conſiſtant, Circaſſos ad teli jactum accedere patiantur: tum diducta media acie, ad latera ſemet recipiant, ut in ſubeuntes tormentorum pilæ ſine noxa ſuorum commode ingeri queant. Ubi viderint hoſtem fugæ accinctum, ſubditis calcaribus equis ſtrenue invehantur. Hæc tanta fiducia, ac vultus conſtantia dixerat, ut non tam ad dimicationem, quam certam victoriam iturus videretur. Arma ſubinde capere milites, & ire in ordines juſſit. Et jam Circaſſorum aciem ad equeſtre certamen inſtructam admoverat Canſavus, Turcis, ut juſſum erat, quieſcentibus; cum intra teli jactum conſiſterent, tum repente ingens pilarum tempeſtas in eos effunditur: equi fragore nimio conterriti, in fugam non ſine ſeſſorum ſtrage vertuntur:

A) Hic Caithbejus aliis Caith Begus Bajazethem ad Tarſum repetita clade fregit ad annum 1487. &c. B) Plures hujus nominis ſunt urbes. Hæc ad amnem Pyramum, qui ſe in mare Syrium exonerat, ſita eſt in Cilicia campeſtri. Inde via tum in Perſiam, tum Syriam. Adi Geograph. Tabellam Weigelii ſextam, & viceſimam Aſiæ Peninſulæ, Aſiæ intra montem Taurum. C) Amanus Mons jungitur Tauro, aut potius, ut ait Strabo, fruſtum Tauri eſt. D) Hierapolis, nonnullis Lariſſa, nunc Aleppo ad fluvium Ptolomæo Singam, Plinio Marſyam, omni genere mercium floret, & fere umbram facit Cairo, ſive Memphi, Byzantioque, divitiis ſuis. Tubero ait Selymum ad Heliopolim prælium commiſiſſe, quæ civitas longo terrarum intervallo Hierapoli diſtat.

A. C. 1516. tuntur: instant ferociter Ottomani perculsis, & cladem undique inferunt: duo millia eo prælio cæsa feruntur. Soltanus Cansavus, vir exactæ ætatis, quippe septuaginta sex annos numerabat, in fuga ex equo præceps datus interiit, nullo quidem ab Ottomanis accepto vulnere, sed ungulis equorum oppressus. Circassi extra ictus tormentorum positi, resumpto spiritu rursus in pugnam ruunt: ubi vero Cansavum cecidisse intelligunt, laxatis habenis Gazam, A) mox Memphim B) petunt rebus afflictis medelam quæsituri.

Selymus lectis insignibus spoliis Hierapolim, Damascum, Tripolim, Berytum, Sydonem, Tyrum, Ptolomaidem C) in fidem accipit, lætissimis incolis, quod ab ignobili Mamaluchorum servitute, pristinæ quodammodo libertati redderentur. Tam prospero rerum successu non Syriam modo, Phœniciam, & Judæam suo Imperio adjecit, verum & Ægyptum, ubertate agrorum nulli provinciæ secundam, sibi aperuit, & si vel arma ostentaret, facile in potestatem venturam. Ne quid igitur hostilitatis post tergum relinqueret, Gazam, quo se fugitivorum globus receperat, Sinanem Bassam cum delecta militum manu præmittit, ut urbem illam Ægyptiacæ expeditioni perquam utilem vi, aut deditione civium caperet. Eam regionem insedit Zambardis Gasalis, D) vir impiger, ac strenuus cum equitatu Circassorum, viamque in Ægyptum Ottomanis intercipere voluit. Ubi Sinanem ad Gazam castra locasse intelligit, occasione utendum ratus, in hostem maximo impetu fertur, tantumque terroris ea invasione intulit, ut si Turcis parem numerum armatorum in pugnam egisset, nobilem haud dubie victoriam reportasset. Verum Janicsarorum phalanx in certamen coorta, edita non contemnenda strage, Gasalem in solitudinem Idumæam inter & Ægyptum interjacentem retrusit, relicta in hostium manu civitate Gaza, totius Ægypti janua.

Interea Circassi, qui bello supererant, magno numero Memphim convenere novum Regem lecturi. Omnium suffragia tulit Tommanbajus, E) rerum gestarum gloria nulli secundus, quive supremam a Soltano dignitatem obtinuit. Hic ultimas vires colligens Regiam majestatem non tam favore militum oblatam, quam rebus pro patria fortiter gestis partam, omnibus nervis defendendam suscepit, certus vel cum excidio patriæ jus suum tueri. Memphim, Ægypti caput, adjectis novis operibus firmat: ab Rhodiis fœdere junctis æneas machinas postulat: nulli ab armis vacatio data in tam vicino libertatis discrimine: nullum denique optimi Regis erga patriam suam officium desiderari passus est. Isthæc minime Selymum latuerunt. Quam ob rem, ut Regis igniculos temperaret, Muratem ad Tommanbajum Oratorem ablegavit, qui mitiora Regi, cæterisque Ducibus suaderet. Verum adeo novi honorum tituli Tommanbajum in transversum egere, ut Oratorem non modo Memphi facessere jusserit, verum etiam cum suis comitibus fraude interceptum trucidarit. Ottomanus oblato plausibili continuandi belli obtentu lætus (nam & querelas suorum de tanto itinere crebrius audire debuit) advocatis Purpuratis rogabat sententiam: *num obtentis Syria, & Palæstina miles in patriam reducendus? num vero Ægyptus, belli sedes, petenda, nulla hostibus indulta quiete? sibi equidem in mentem venisse, ne ultra Gazam, Turcici Imperii limites proferret; superandam esse ante solitudinem omni cultu humano, annona, aqua destitutam, quam Ægypti ubertatem viderent; vix tanto exercitui suffecturam aquam camelos portaturos. Præterea Byzantium ingenti terrarum spatio Memphi sejunctum. Tam vastum Imperium ipsa mole ruiturum. Ut enim humani corporis membra maxime continet ea communio, qua in unum colligantur universa, nullum ut absit ab altero longius, sed omnia cohæreant, ac per fibras, nervosque cor ipsum, &*

A) Gaza urbs in præfectura Damasci in limitibus Ægypti, a ruinis notior: B) Memphis vastissima, totiusque Ægypti urbs primaria, Antiquitates illius apud Strab. L. XVII. habes. C) Hierapolis, Damascus, Tripolis, Berytus Syriæ civitates. Sydon, Tyrus, Ptolomais urbes Phæniciæ &c. Descriptionem harum, uti & Judææ Strabo refert L. XVI. D) Sic eum appellant Annales Turcici, qui Tuberoni Cassalius Jamberdinus. E) Tuberoni Thomas Soldanus Lib. X. §. XVIII. Aliis Tomumbegus, & Tomanbegus, plerisque Scriptorum Tommanbajus.

A. C. 1516.

& caput attingant, unde vis omnis in reliquum corpus dimanat; ſic Imperii partes conſtare, ac firmo nexu inter ſe contineri nequeunt, ſi aliæ ſint ab aliis, & ab ipſius Imperii capite ſeparatæ. Vix Nilum quidpiam collaturum ad ſubjugandum Iſtrum, unde Turciæ maximæ imminent tempeſtates. Sed timere ſe, ajebat, *ſiniſtram famam omnium Principum, niſi jus gentium in Legato læſum, vindicaret. Dignum ſane omnium Regum, Principumque vindicta facinus. Humanæ ſocietatis vinculum; fidem immani auſu temeratam. Tommanbajum tanto ſcelere admiſſo, minime deſiturum. Qui communia generis humani jura contemptim habet, is nullius fœderis tabulas quantumvis juratas colet. Conſulerent nunc in medium, quid ſibi faciendum exiſtimarent? hoſtem, an amicum Tommanbajum vellent?* Purpurati etſi probe noſſent, non niſi maxima difficultate late patentes, & vaſta etiam ſolitudine diremptas regiones in officio contineri poſſe, victosque non niſi mutatis moribus, & religione victorum jura ſancte ſervaturos, tamen libertatem animi ſenſa expromendi metus quidam, ac pudor cohibuit; Januſes Purpuratus, gente Dalmata, aſſentatorum facile princeps, Imperatoris mentem de bello in Ægyptum tranferendo firmavit dictitans: *militum eſſe juſſa exequi, Regum imperare: duceret, quo vellet, ſe magnis animis ſecuturos.*

1517.

Decreto communi conſilio in novum Regem bello, Byzantium celeres nuncios dimiſit Selymus ad Pirrhum Caramanum urbis Præfectum, ut quadraginta navium claſſem A) rebus neceſſariis inſtructam ad Peluſiacum oſtium expediret, inde Nilum fluvium ſubituram, ut & Nilo prohiberet hoſtem, &, ſi transmittendus foret, haberet naves, queis ſine mora militem ſuum trajiceret. Ipſe interim, ne ſpatium daret majores vires contrahendi Circaſſis, copias in Judæam movit. Ramæ Oppidanos B) in jus vocavit propterea, quod e Sinanis militibus, quos caſtrorum præſidio ad Ramam reliquerat, dum Gazam peteret, non paucos interfecerint didito rumore, Turcas metu Circaſſorum fugam arripuiſſe, occiſorumque corpora in puteos ſine funebri apparatu præcipitarint. In tanti facinoris authores vindictam exercuit, ac neci addixit. Subinde cum ab Hieroſolymis haud procul abeſſet, motus ſanctitate loci templum adivit, precibusque more Turcarum vacavit. Ea enim ſive ſuperſtitio, ſive religio, Ottomanorum inſedit animos, ut voti rei Meccha ſua viſitata, ſe minime voto ſolutos arbitrentur, niſi & urbem Bethlehem Chriſti cunis nobilem, & Hieroſolymas una ſupplices accedant. Quanquam iſtud aſſerere mihi non ſit integrum, cum unus duntaxat Ludovicus Tubero hujus conſuetudinis meminerit; cæteri Turcicarum rerum Scriptores altum taceant. Hic exacta nocte poſtero die redditus exercitui Gazam duxit, ubi eum cum reliquis copiis Sinan præſtolabatur. Comparatis iis, quæ adjumento forent numeroſo exercitui in tam vaſta ſolititudine, iter ingreſſus eſt ſpe victoriæ plenus.

Sinanem expertæ virtutis, ac fidei Baſſam ſuis cum copiis præcedere juſſit, ut iter exploraret, hoſtemque, ſi congredi auderet, repelleret; reliquum robur peditatus ipſe ductabat, veritus etiam, ne ſi ſimul totus exercitus, terras illas ab hominum cultura deſertas ingrederetur, tædio laborum victi, militari licentia in Palæſtinam ſigna reverterent, palamque detrectarent imperium. Atque ut forti animo ſuſceptam expeditionem terminaret, alacri vultu Ægyptiorum ingentia ſpolia militi pollicebatur, promptiores honoribus affecit. At Chuſeines Baſſa, qui temeritatis auſus fuit Selymum arguere, quod robur totius Imperii Ottomanici manifeſto diſcrimini objecerit, morte pœnas exolvit. Ne penuria fontium laborarent Turcæ, C) frequentiores iisdem diebus pluviæ effecerunt, pacatisque agminibus ſolitudinem ſunt emenſi. Gazalis tamen nupera clade irritatus nusquam Ottomanos deſeruit,

A) Annales Turcici apparatus maritimi nusquam meminere. Tubero author eſt claſſem accitam. Quid utilitatis ex ea ceperit Imperator? ſilet. Claſſis Helleſponto immiſſa, Ægæo mari ſuperato, Mediterraneum ingreſſa, Peluſiaco oſtio applicuerit, ubi Nilus in mare erumpit; dein adverſo flumine provecta, terrorem Ægyptiis geminarit. B) Rama Palæſtinæ vicus, vulgo Remle, Rammola Leuncl. in Pandectis hiſt. Turcic. c. 209. C) Annales cum Verantiano codice largos imbres iis diebus cecidiſſe ajunt.

A. C. 1517. seruit, plerumque a latere, honoris quodammodo causa, eos comitatus, &, si occasionem nancisceretur, non invitus pugnaturus. Ergo redditurus cladem in hostem iniquitate locorum deprehensum ruit: verum ferocius exceptus est, atque ominabatur. Cæsis plerisque commilitonibus, ipse vulnere perstrictus fuit. Bis male mulctatus dolori nimium indulsit, verebaturque, ne Circassi de fide dubitarent. Denique sinistram Ægyptiorum fortunam exosus, ut patriam etiam proderet, Regia Tommanbai seu Toman-Begi, dignitas, quam absens spe devoraverat, virum cætera fortem perpulit, impetrataque venia in Selymi castra concessit. Qua quidem insigni proditione palam fecit: INVIDIÆ morbo adeo non nullos hominum vexari, ut malint non sine patriæ dedecore, atque etiam excidio ablatum a suo cive Imperium ad externum, qui profecto nulla, aut certe minori invidia ardet, deferre. Nobilem transfugam non aspernatus Imperator, Purpuratis suis continuo accensuit, ne ea, qua venerat levitate, pristinæ dignitatis memor ad suos rediret.

Amæniori cœlo redditi Ottomani post exhausta arenosi itineris tædia, facilem sibi victoriam fore autumabant, quando solitudinem, ceu Ægypti propugnaculum heroo animo superarunt; ut vero uno quodammodo ictu protererent Ægyptiorum vires, Memphim, Regum sedem, subjugandam ante omnia censuerunt, qua superstite nunquam Ægyptus se victam fateretur. Et Tommanbajus huic uni metuebat, huic operam, viresque impendebat, optime gnarus, suam fortunam cum illius conjunctam, nec posse diu se stare cadente Memphi. Quapropter, ad tolerandam obsidionem rebus omnibus adornatis, militem extra urbis mænia, castris ad omnem artem munitis continet, subterraneis suffossionibus, qua Selymum venturum putaverat, cuniculos agit, ingentem nitrati pulveris vim addit, quo succenso invasuri castra in auras vibrarentur: machinas a Rhodiis deportatas hosti obvertit tanto militari astu, ut diligentiam exploratorum facile lusisset, nisi Circassi cujusdam transfugio res Ottomanis patuisset. Hic spe melioris fortunæ allectus Sinani Bassæ, populari quondam suo (nam Sinan iste gente Macedo, Christianis parentibus ortus, Christianæque matrimonio junctus erat, sed bello captus, ac in aula Byzantina liberaliter habitus, ob militare ingenium summas præfecturas cum laude gessit, jam Bajazethe imperitante) Ægyptiorum insidias prodidit, loca cæca fossione subacta, ostendit, docetque, qua parte tuto hostium castra, urbem invadere possit. VERISSIMUM illud: raro Rempubl. everti, aut civitatem subigi sine domestico hoste. Itaque Selymus proditoris ductu, evitatis Circassorum insidiis, alio itinere copias suas in conspectum Tommanbai promovit. Hic in sola virtute victoriam, & libertatem superesse videns suos in Turcas agit. Tanta pertinacia, ac furore dimicatum est, ut æquato Marte diu pugnam, multis ex utraque parte cadentibus, extraxerint, & postremo Circassi desperatione animos acuente, Turcas in castra repulerint. Selymus acri oratione trepidos perstringit, quod hosti toties victo, ac ad paucitatem redacto terga dederint, Circassos integris viribus pugnantes sæpius fusos, fugatosque, nunc diminutis copiis palmam eripuisse victoribus; sibi deliberatum esse, non rediturum se in Europam, nisi Ægypto subacta, genteque Mamaluchorum excisa. Inirent itaque prælium crastina die eo animo, ut non castris modo hostem exuant, sed & urbem, laborum præmium, simul occupent.

Vix illuxerat, jam Ottomani corporibus curatis Duce Sinane signa in hostem verterunt. Circassi hesterno prælio superiores, adeo non detrectarunt certamen, ut ultro illud inivissent, nisi præventi fuissent. Nunquam acrius pugnatum inter has gentes, atque eo die. Circassi velut ad supremam necessitatem compulsi, pro salute, pro patria; Turcæ pro victoria virium, irarumque pari contentione depugnarunt. Illi in ultimum furorem versi negarunt se excessuros prælio, nisi victores: hi belli finem ab hac victoria se relaturos non frustra ingeminarunt. Haud multum diei supererat, nondum tamen pertinacia fracta; cum Sinan ira, pudoreque accensus

cum

cum globo Janicsarorum in primam aciem provolat, pugnam languentem succendit, quem Circaſſus haſta in pectus adacta magna vi præcipitat. Turcæ ſiniſtro tanti Ducis exitu perculſi, pedem retulere, corpus tamen fere exanime, ne ludibrio foret hoſtium, non ſine multorum cæde in caſtra rapuerunt, evulſoque in conſpectu Selymi telo, quo trajectus erat, vultu ferociam ſpirante magnam animam efflavit. Apparuit eo tempore, quo loco Sinan fuerit apud Imperatorem, quando armis induratum, infelix obitus chariſſimi capitis, ad lachrymas fundendas adegit. Imperator ratus Sinanis potius fato, quam virtute Circaſſorum Turcas repulſos, Januſem, ſive Jonam Purpuratum oppugnationem urbis (nam eo ſe plerique receperant hoſtium) repetere jubet. Hic actis ante ſe machinis æreis, Mamaluchos pertinaci glandium tempeſtate propulit, portisque, plenis agminibus ſuccedens urbem in ultimam deſperationem vertit. Cives præſenti periculo evocati, omni telorum genere pro vita, pro libertate dimicant; pars ſagittis, ſaxis, liquefacto plumbo victorem morantur; qua quidem peſte plurimi Turcarum correpti, adeq; Selymum moverunt, ut edicto Byzantium miſſo caverit, ne e terris Turcicis plumbum alienas in provincias deportetur; pars haſtis, gladiis fortiſſime repugnant, ipſis mancipiis ex ergaſtulis undique ſolutis, atque in hoſtem ire juſſis. Januſes dum exemplo & voce militis animum acuit, ſagitta tam validum vulnus accepit, ut e media pugna efferri debuerit. At Selymus ſucceſſu ferox, equites omnes pedeſtri pugna decertare juſſit, expugnatisque in urbe quibusdam locis munitis, victor in armatos juxta, atque imbellem turbam deſæviit. Propter princeps Mempheos templum, vulgo Meſſitam dictum, rurſum Circaſſi aleam tentarunt, ſed urgente jam fato, nihilo felicius certatum, etſi Turcas maximo impetu quaſi ex inſidiis invaderent. A) Ad ultimum cæſis plerisque Circaſſis, quingentis ſupra duo millia captis, plenam victoriam obtinuit Selymus. Arcem ingreſſus, colli non admodum eminenti impoſitam, & ad omnem elegantiam extructam, Soltani thronum occupavit. Tommanbajus optimi Ducis munere functus, cum videret hoſtium viribus ſe minime obſiſtere poſſe, relicta Memphi altius ſe in ſuperiorem Ægyptum B) induit, paucis comitibus ſtipatus, molliorem rebus ſuis expectaturus fortunam. Oratores etiam ſuos ad victorem dimiſerat pacis petendæ cauſa, quos Selymus apparatu ſane eleganti excepit, ſuosque pariter novis mandatis inſtructos expedivit, ut victum ſolarentur, monerentque, ne inpoſterum armis ſe temere committat. Tommanbajus, neſcio qua intemperie actus, Oratores nihil tale metuentes crudeliſſime ſuſtulit, nondumque extinctum bellum magis accendit. Nova quippe injuria læſus Imperator, ad belli reliquias perſequendas, Nilo ſumma celeritate, ponte injecto, Gazalem, atque Cairbegum cum juſto exercitu dimiſit: ipſe interea maxima aviditate, Soltanorum Regios theſauros conquirit, ſpolia multorum annorum, tanquam victoriæ præmia curribus imponit, avecturus omnia Byzantium. Captos ſubinde Circaſſos, ut Oratorum Manes vindicaret, e carcere eductos ad unum omnes abſciſſis cervicibus interfecit. Inter hæc per notos regionis calles copias duxit Gazalis, atque ad Abdiam, ſummum Ægyptiacæ ſuperſtitionis Sacerdotem C) pervenit, apud quem imminentis belli metu latitabat. Cum jura hoſpitii violare non vellet, armis compulſus tandem, Tommanbajum intra paludes, ſuas, regnique calamitates nequicquam lamentantem prodidit.

A. C. 1517.

Memphim abreptus acerbiſſimis cruciatibus divexatus fuit a Selymo ob theſauros, quos mendax rumor longe majores ferebat, ac re ipſa erant. Sed Tommanbajus memor ſuæ dignitatis, incredibili fortitudine, non vocem modo, ſed & gemitus in poteſtate habuit, Selymique avaritiam alto ſilentio

A) Annales bis dimicatum ſumma pervicacia meminere, multis utrinque cadentibus, Tubero ter concurſum ait. Lib. X. B) Ægyptus in inferiorem, & ſuperiorem a Geographis diſpeſcitur. Ipſa Memphis in ſuperiori locata eſt. Tommanbajus transmiſſo Nilo fugit in provinciam, Annalibus, & Tuberoni Sait appellatam. C) Tubero L. X. qui occaſionem hic nactus Alexandrum VI. Pont. ſugillandi (in quem, uti & alios, non uno loco mordacem ſtrinxit calamum) aſſerit: ab Alexandro iſto Zizimum necatum avaritia impellente.

A. C. 1517. lentio elusit. Toto corpore misere laceratum, mulo insidentem, inter militares sannas, ludibria, circumvectum per urbis vicos, postremum ab infelici arbore suspendi jussit ad portam A) Bossuellam XI. Aprilis anni MDXVII. ne scilicet Mamaluchi spem haberent in Tommanbajo, semet in libertatem vindicandi. Triste spectaculum totam urbem in commiserationem tanti viri commovit, quem non ambitio, non avaritia, sed insignis patriæ charitas, ac bellicæ virtutis gloria ad supremum apicem evexit. Funestissimæ tragœdiæ interfuit Barnabas Bellai, quem Uladislaus Hungarorum Rex, pacis componendæ causa, ut nuper meminimus, Byzantium dimiserat ad Bajazethem. Verum Selymus ubi in Imperium successit, & gravissima bella in Persidem, Ægyptumque moliretur, Legatum apud se detinuit, nondum scilicet certus, an prospera fortuna pugnaturus esset. Ergo circumductum Legatum per Syriæ, Ægyptique provincias, Memphi expugnata, tandem triennalibus B) induciis concessis Budam ad Ludovicum Regem, qui Patris Uladislai locum acceperat, liberum abire jussit. Ægre admodum assensere Hungari conditionibus, quas victoriæ ferocia inseruit. Sed cum ab exteris nulla auxiliorum spes affulgeret, serviendum fuit tempori. Cæteras inter fuerant: ut nisi singuli Principes Christiani Oratores mitterent Byzantium, liceret Selymo ad ulciscendam hanc pertinaciam, per Regnum Hungariæ infestis signis progredi. Præter Hungaros, Veneti, Rex Poloniæ, Cæsar, & reliqui Christiani nominis Principes his induciis fruantur, Rhodiis Equitibus exclusis, in quos jam tum bellum meditabatur propterea, quod Circassos machinis castrensibus, atque consiliis adjutum ibant. Sed filum narrationis pertexamus.

Sublato Tommanbajo, Circassorum Imperium cum universa gente internecione deleta cecidit, C) omnisque Ægyptus Ottomanicæ potestati subjecta in immensum eandem auxit, ac formidabilem reddidit. Certe Selymus hac expeditione, qua Aladeulis provinciam Tauro, Antitauroque inclusam, Syriam Palæstinamque torrentis instar occupaverat, fere altero tantas Byzantino Imperio vires adjecit, ea facile ratione, quod Circassos, hominum genus armis assuetum, ac Turcici nominis infensissimum exciderit. Ab eo tempore ipsum nomen cum gente interiit, neque unquam Rempub. suam reparare sunt ausi. Octingenti circiter ad Alexandriam D) substiterant ultimam fortunam tentaturi, si Ducem nanciscerentur; in hos ipse Imperator duxit, atque uno prælio delevit. Memphim reductis copiis, posteaquam Ægyptum in certas præfecturas divisisset, urbemque novis legibus temperasset, opulentiores cives, ne quid turbarum excitarent se absente, Constantinopolim abire jussit. Janusem vero, qui præclaram in expugnanda Memphi operam locarat, urbi præfecit cum valido præsidio, adjuncto socio Cairbego, quem nuper narravimus ad Hierapolim defecisse ad Selymum. SED RARO par duorum potestas, invidiæ, æmulationi exposita, diu incolumis floret. Cairbegus, ni solus administraret Memphim, perfidiæ suæ minora præmia dari interpretatus, literis ad Selymum datis Janusem tyrannidis affectatæ insimulat: *ab Ægyptiis non alio quam Soltani nomine appellari, majorem authoritatem spirare, atque urbis Præfectum deceat. Tommanbai cupiditatem regnandi in Januse superesse. Ni mature, rebus adhuc integris, noxium caput tollatur, novum bellum brevi exarsurum.* Haud difficulter fidem Imperatori fecit, alioquin in ejusmodi suspiciones pronissimo. Itaque Januses amicissimis verbis evocatus in Palæstinam, cum equo vectus assequeretur Imperatorem, ac una familiari sermone inter se colloquerentur, dato prætorianis signo, improviso ex equo deturbatur, statimque capite minuitur. Hic est ille Januses, quem Bajazethes a prima pueritia in aulam suam accivit, militiæque artibus instructum, exercitibus ductan-

A) Leunclavius c. 214. Atque in hoc Ægypti Soltanorum dignitas extincta fuit. B) Istvanffius L. IV. & VI. putat octo annorum inducias initas. At Diplomata, quæ non inspexerat, triennales fuisse evincunt, ut videbimus in vita Solymani. C) Supersunt Circassi ad mare Caspium: num istorum reliquiæ? non convenit inter Scriptores. D) Inferioris Ægypti urbs, nomen sortita a conditore suo M. Alexandro, a Regibus Ptolomæis multis ornamentis aucta.

ductandis admovit. Nemo isto apud Bajazethem gratia, ac authoritate major. Inclinata Bajazethis fortuna, nondum Dominum mutasse videbatur, ut nimirum sævius ferire posset Patronum: veneno enim, ut vulgatum fuit, clam porrecto barbara ingratitudine omnia beneficia rependit. In Syriam regressus Selymus, eam provinciam in ordinem redegit, locaque magis munita præsidio militum firmavit, cumprimis maritima, quæ Christianorum naves incursionibus infestarunt. Et quamvis afflicta valetudine uteretur iis diebus, tamen ipse urbes, præsidia adire, veteribus nova opera addere, annona, milite instruere, nihil per Legatos agere. Damasci amænitate loci invitatus, longiori tempore commoratus est, ut vires multis itineribus fractas recrearet. Cum enim bello Ægyptiaco insomnes noctes duxisset, in omnem occasionem rei bene gerendæ intentus, & mox confecto bello per solitudinem, Palæstinam, Syriamque repeteret, acceleratis profectionibus, valetudo ejus tentari cœpit, qua utcumque firmata Ciliciam versus movit, Gazale Damasco, majorique Syriæ parti præfecto, in præmium perfidiæ. Quæ res vehementer pupugit Ottomanorum animos quiritantium: sibi ab exteris præripi ditiores præfecturas, una perfidia commendatis. Verum Selymus factis transfugorum intentus, suorum dicacitatem facile neglexit. Per Asiæ provincias lente procedens, ubique præsidia disposuit; tandem Constantinopolim cum opimis spoliis, festivos inter civium applausus, victor intravit.

A. C. 1517.

Hic cum imbecilla valetudine esset, gravioribus Imperii curis abstinuit, nec facile quempiam, suum in conspectum admisit: nihilominus clam consilia belli agitavit in Rhodios, & ni morte præventus fuisset, sine dubio ingentem gloriæ segetem filio suo Solymano præripuisset. Præter validissimam classem, in anchoris hærentem, navales socios e maritimis oris Byzantium contraxerat: rei tormentariæ Magistros, oppugnandarum urbium peritos, ingentibus præmiis acciverat: fossorum etiam non exiguam manum, qui metallis eruendis assuevere, per provincias conquisiverat; lanæ tantam vim congesserat, ut prægrandibus saccis imposita commode militem contra hostiles ictus defenderet, fossasque urbis Rhodiæ expleret. Tanta molimina lues legiones depascens, primum cohibuit, tum gravior in dies morbus Imperatoris, penitus afflixit. Cum enim e Medicorum sententia, in Adrianopolitanam mitioris cœli regionem, valetudinis firmandæ causa se vellet conferre, atque ad oppidum Inzuam pervenisset, pestilenti pustula correptus fuit. Locus iste ignobilis haud procul dissitus est Tzuruloe, ubi impio bello, & virulento potu Bajazethem Patrem suum petiit, Divina Nemesi vindicante parricidale nefas. A) Promotis paululum castris, iisdem in campis, in quibus nuper armis parricidalibus Imperium extorquere nitebatur, vi grassantis mali itinere prohibitus, tentoria prætorianos statuere jussit. Achmetem vero, & Pyrrhum, provinciarum Quæstores Adrianopolim misit, ut Bairæ proxime celebrandæ solitos apparatus adornarent. Est Baira B) Ottomanis longe celeberrima dies, eaque superstitione agitur, qua religione, atque cerimonia a nobis redivivi a morte Servatoris nostri memoria solemnes feriæ celebrantur. Voluntariam inediam triginta in dies tanto rigore legis Mahometanæ sustinent, ut a prima luce nihil cibi, potusve admittant, dum sol in occasum præcipitet. Exacto hunc in modum mense integro, tandem Bairam ritu barbaro comessabundi agitant. Vel ex hoc uno argumento luculente proditur, Mahometem, hominem vaferrimum, plurima mutuasse a Romanis sacris, rudemque gentem partim mollibus indultis, partim arduis legibus in suam pertraxisse sectam. Sed his omnibus fatalis necessitas Selymum exemit. Quippe cum pestilens ulcus in dies majores sumeret vires, & diffuso veneno corpus depasceret, Medicorum artem superavit. Adhibuerant illi prima fronte non timidas manus, dum malum suos inter limites conclusum, diligentiam acuit; at postquam cancri instar serpentis, vicinas partes fœde vastavit, ulceris magnitudine perterriti, submo-

1519.

A) Leunclav. ad calcem c. 74. item 26. & 193. B) Idem c. 225. duplicis Bairæ mentionem facit. Altera 60. dies complectitur, Religiosis, sive voti reis familiaris.

A. C. 1520. tis omnibus pharmacis, liberam grassandi viam permisere; operæ pretium se facturos rati, si publica fama absolverentur, se minime accelerasse mortem alioquin desperato.

Itaque quadragesimo A) die, quam ulcus eruperat, in cursu victoriarum, inque æstu novæ expeditionis extinguitur, ætatis suæ quadragesimo septimo anno, XXII. Septembris anno MDXX. postquam octo duntaxat annis, totidem mensibus, diebusque Imperio præfuisset. B) Ludovicus Tubero perelegans Scriptor Historiæ, sui cumprimis temporis, libro decimo prodidit: Selymum stabilem Byzantii sedem nunquam fixisse propterea, quod paternis manibus perpetuo exagitatus, quietem nullam nocturnis horis capere potuerit, ea nimirum in urbe, in qua Bajazethem Imperio semet abdicare coegit. Addit præterea: in hoc postremo morbo Adrianopolim pertigisse Selymum, atque venatione belli curas dissipasse, morboque medelam in umbrosis saltibus quæsivisse. Ea quippe regio & montibus, & sylvis, omnique ferarum genere abundat. Etenim ipsi solenne fuit, dum bello vacaret, belli tamen incitamento, sanguine ferarum violentum, ac ferox ingenium suum pascere. Ut ut hæc, quæ narrat Tubero, ad veritatem quam maxime accedere videantur, tamen Annalibus Ottomanorum fidem dare maluimus, quam illi; cum repetitis vicibus asserant: eo loco vita functum, quo cum Patre manus conseruit. c)

Erat Selymus ingenii supra modum ambitiosi, audacis, atque crudelis, ut e rerum gestarum narratione præclare constat. Adito Imperio, sublatis fratribus, reliquam Imperatoriam stirpem evertit. Mox ingentis animi Principem Persarum Regem, Ismaelem, collectis totius Imperii viribus invadit, qui semel, atque iterum Asiam minorem infestans, ad Darii, atque Xerxis magnitudinem aspiravit. Quo insperata victoria contuso, in Cansavo, Tommanbajoque Ægypti Soltanis, novæ gloriæ materiam repperit. Utrobique sub imagine vindictæ, justas bellorum causas prætexuit. Reipsa immoderata proferendi provinciarum terminos cupiditate accensus, bella e bellis seruit, ut confirmatis, auctisque opibus, Imperium suum adversus quoslibet potentissimos hostes inconcussum stabiliret. Et certe si paucitatem annorum, quibus regnaverat, cum provinciis Imperio adjectis paululum conferas, nullum e Majoribus suis, qui plures domuerit, remque Turcicam auxerit, reperies. Mahometem avum, cognomento Magnum, duos supra triginta annos imperitantem, ardore pugnandi longe antecessit, victoriis prope æquavit. Nunquam e bello victus rediit, nunquam, prælio quantumvis fusus, hosti victoriæ fructus cessit. Cibi, potus, somni parcissimus fuit: laboris, frigoris, supra quam credi potest, patiens; sub tentoriis, quam in palatiis ætatem agere maluit, vultuque ipso tristi supercilio, atque rigenti a superiori labro ad cervicem retorto mistace horrido, Martem spiravit, ut facile in vultu legeres trucem, cædibusque turbidum animum. Cæterum prolixam, ut Turcis mos est, barbam non aluit, *ne*, ut facete dicebat, *Purpurati injectis in eam manibus ducerent Imperatorem, quo ipsis luberet.* Id unum Bajazethem Patrem perdidisse. Hinc in arduis Imperii negotiis Purpuratorum quidem sententiam exquisivit, sed in capiendo consilio suam plerumque secutus, maxime cum de bello suscipiendo ageretur. Suspicione enim non modica laboravit, eos, qui sub Bajazethe senio jam præfracto, prostratoque, rebus præerant, quietis, quam belli studiosiores esse. Propterea sæpius auditus dicere: *se neminem habere, quocum de rebus magnis consilia conferret.*

Matura

A) Ludov. Tubero. At Leunclavius opinatur vi invalescentis mali citius sublatum. B) Annales Turcici. c) Justus Lipsius in suis Monitis & Exemplis politicis Lib. II. C. V. eandem mecum opinionem amplexus est. Juverit ejus verba adferre: „ Persas, inquit, vicit Selymus, & repulit, Sultanum Ægypti sustulit, & amplum id regnum sibi, posterisque firmiter subjecit. Nihil etiam privatim adversum; & dormire videbatur cœlestis justitia, nisi quod in extremo actu se ostendit, & peste correptum extinxit, ipso loco & vico, ubi prima cum Patre signa contulisset. „ Hæc elegantissimus Scriptor.

Matura deliberatione ipse prius decoxit omnia, quam manum admoveret, & præter paucissimos admisit neminem in sanctiorem senatum; cavitque sedulo, ne quid consilii in multorum conscientiam efferretur. Nunquam temere in prælium progressus, nisi vires hostium, locorum ingenia, cautus magis, quam timidus Dux, ante æstimaret; ut adeo nunquam cœpti eum pœnituerit; si unicam pugnam demas ad Ciurlum (aliis Tzurolloen) ubi fortuna potius, quam temeritas peccavit. Avaritiæ infamia maxime apud omnes flagravit. Quos opibus eminentes suo in Imperio vidit, criminibus confictis accusatos interfecit, bonis ærario illatis. Hac tam iniqua sorte provinciarum Præfecti, militum Ductores non pauci, e summis dignitatum fastigiis præcipitati, divitias cum vita amisere. Si quid otii concesserunt curæ graviores, id literarum non rudis, Magni Alexandri, & Julii Cæsaris rebus gestis pervolutandis impendit, hausitque ex iis militarem disciplinam, aciei ordinem, cæteraque, quæ ad castrorum metationem pertinent. Auro, gemmisque ornatus, nunquam in publicum prodiit, contentus cultu modico, & vix a privato abhorrente, nec admisit, ut more Turcico procumbentes in terram, se venerarentur. In solitudinem plerumque abditus, conviviis abstinuit. Suorum vitia castigavit acerbius, quam par erat. Sororem, fratrisque filiam, quod parum pudice viverent, necari jussit.

A. C. 1520.


Aloysius Mocenicus, Venetorum Orator, vir clarissimus, brevi elogio, at summis Imperatoribus digno, Selymum ornavit, dum Memphi, ubi res Venetas curabat, in patriam redux narravit: *se neminem unquam hominum huic parem, quod ad justitiam, humanitatem, animi magnitudinem, atque alias hujusmodi virtutes attinet, invenisse, nullosque barbaros mores in eo fuisse, & quidquid a vulgo illi objectum; Imperatoriis artibus, naturæque dotibus haud parce retudisse.* Sed unius hominis de Selymo existimatio tanti nobis non est, ut publicam Historicorum fidem convellat. Certe multum vapulat in Turcicis Annalibus. Equidem provinciarum Rectores severo Imperio coercuit, ut ne civium opes abligurirent, rapinas exercerent, & vel leviter exerrantes gravissimis pœnis castigavit. Verum ipse vulturis instar in omnium jura involavit turpissime, multos paternis bonis ex hæreditate obvenientibus, aut multo sudore quæsitis possessionibus evertit, DOCUITQUE, neminem unquam Imperium flagitio occupatum, bonis artibus exercuisse.

Quæ, quantaque humanitas commendarit Selymum, non obscure intelligere potuit Mocenicus Memphi, quando Circassiæ genti excidium intulit, Tommanbajum, licet hostem, sed Regiis insignibus ornatum, summo dedecore affectum, suspendio necavit. Cæterum ad ultima fata deductus, Imperio consuluit, ne in solitos domestici belli fluctus incideret. Solymanum filium, ingentis animi Juvenem, accivit e provincia Amasiæ; qui Byzantium ingressus, cives in officio continuit, ut testatur Tubero. In Annalibus Turcicis lego, decem & amplius diebus mortem Selymi celatam fuisse, ne quid tumultuum oriretur inter militem. Ferhatem Purpuratum authorem extitisse Solymano, Byzantium ut maturaret iter. Adventanti obviam progressas peditum legiones, & novum Imperatorem mira animorum conspiratione salutasse. Quidquid sit de hoc; Imperii insignia non prius accepit, quam parentem obiisse intellexit, aulaque toto illo tempore abstinuit. Ita suaserat Solymano mater, raræ prudentiæ matrona, ne fortassis Selymus æmulum Imperii aspernatus, quidpiam absens moliretur in filium. Omnia enim præter consortem Imperii ferre potuit. Verum mors ambitioni finem imposuit. Cadaver a Solymano Constantinopolim delatum, monumento a se erecto funebri pompa impositum fuit. A)

A) Index Libitinarius Osmanidarum.

SOLYMANUS II.

IMPER. OTTOM. IV.



1520. T Selymus omnibus Imperii sui annis, in perdomandis barbaris desudavit ingenti commodo rei Christianæ, ita contra Solymanus ætatem suam ad evertendos Christianos, potissimum Hungaros, impendisse videtur, maximo, ut apparebit, malo Reip. Romanæ. Videbatur Solymanus plerisque, multum a bellicis tumultibus abhorrere, cum a prima pueritia palæstram potius literariam, quam Martialem singulari studio amplecteretur, & ipse Selymus mitiori filii indole haud multum delectatus, Pyrho, inter Præfectos clarissimo, commendavit, ut igniculos latentes stimulis bellicæ laudis, crebriori sermone in adolescente excitaret. Verum Imperio admotus, ferocissimi Principis animus eluxit, & opinionem de se ceptam perpetuis expeditionibus fefellit. Primis mensibus, quo suorum animos arctius sibi devinciret, a pietate, a justitia regimen auspicatus fuit. Constantinopoli templum in memoriam Patris cum ædibus non vulgaris elegantiæ, atque magnitudinis erexit, A) ubi peregrini, quorum ingens numerus apud Turcas, hospitium, victum, cæteraque longiori itineri necessaria nanciscerentur, ne precario aliena limina tererent, aut miseriis conflictati cœpto desistere cogerentur. Adjecit ædificiis magnam partem Ægyptiorum vectigalium, unde cum templi Sacerdotes, tum indigi perpetua liberalitate sustentarentur. Hæc postquam decrevit, publicos nuncios in provincias destinavit cum mandato, ut quibus erepta forent per iniquitatem bona, iisdem discussa diligenter causa Fiscus redderet. Atque hoc modo quidquid rapacitate Præfectorum, aut Selymi civibus ablatum, non minori nominis fama novi Imperatoris, quam admiratione in integrum plerisque restitutum fuit. Nefas enim Ottomani putant, quidpiam vel injuste illatum in Imperatoris ærarium rursum efferre, nisi in Principis, aut Reipub. usum vertatur: sed isthoc pietatis studium inquies Gazalis, seu Gazellis, Præfectus Syriæ, abrupit. B)

Nam is extincto Selymo, existimans sub clientela Ottomanorum, provinciam administrare infra suam dignitatem fore, in libertatem plenam, se cum tota regione vindicare voluit, invitato per Legatum in communionem tanti moliminis Cairbego, quem facile in suam sententiam pertractum iri confidebat, veterum injuriarum genti Circassiæ illatarum memorem. At Cairbegus tutiora secutus consilia, incertæ fortunæ semet subduxit, ne tanto scelere perfidiæ, præmiis excideret. Imo, ut novum Imperatorem beneficio obstringeret, Legatum supplicio affecit, conjurationis seriem Solymano patefecit. Hac spe dejectus Gazellis, apud Equites Rhodios egit, ut castrenses machinas, naves, militem sibi in tempore mitterent. Verum neque isti tantos animos habuerunt, ut primos Solymani furores experirentur, satis gnari in se tempestatem effundendam, si quid in Turcas occiperent. Nihil inde fractior, alienis auxiliis destitutus, suis viribus ad principatum Syriæ armis obtinendum animum adjecit. Vicinas Damasco urbes partim vi, partim

A) Tubero L. XI. ait: Ottomanorum consuetudinem esse, ut opulentiores hujusmodi ædes cum templis statuant, Auctorem operis sibi in eodem templo monumentum erigere, cui post mortem inferatur. In ædibus templo annexis diversoria simul, & cibaria egenis perpetuo, peregreque advenientibus triduo exhiberi. B) Annales Turcici, & Verantianus codex nihil prodiderunt de hac expeditione, at Tubero meminit Lib. XI. §. I.

tim deditione occupat, ejectis Turcarum præſidiis. Hierapolis victoriæ curſum ſtitit, & in plures dies obſidentium conatus luſit. In æſtu capiendæ urbis adfuit Ferhates Baſſa cum ingenti exercitu, ad cujus famam Gazellis trepidus ſe recepit Damaſcum, in latibulum ſuæ perfidiæ. Poſtquam vidit ſibi omnem fugiendi occaſionem interciſam (nam Ferhates jam Damaſcenum agrum inſederat) eductis in campnm copiis de ſumma rerum cruentiſſimam pugnam commiſit, qua ad internecionem Syri deleti libertatem adverſa fortuna quæſitam uno prælio amiſere. Dux infelicis perduellionis in acie cæſus fertur, A) ut ipſe Solymanus ad amicos ſcripſerat. Damaſcus cum Syria ad officium revocata, junioris Aladeulis fidei attributa fuit, cujus bellica fortitudo in hoc prælio maxime enituit. Hic eſt ille Aladeules, qui conjuratione inita cum quibusdam minoris Armeniæ Proceribus, ſeniorem Aladeulem ſanguine ſibi junctum cum regno prodidit, & vinctum in caſtra Selymi adduxit.

A. C. 1520.

Pacata hunc in modum Syria, cum victor exercitus Byzantium perveniſſet, cupiditatem Solymano injecit ex Aſia bellum transferendi in Europam. Nec diu deliberatum, quem in hoſtem arma vertenda. Hungaria tot victoriis clariſſima verſabatur ob oculos, quam ſi ſubjugaret, facile Occidentis Imperium ſuo milite ſe obtenturum ſperavit. Audierat enim a ſuis: unam Hungariam Majorum ſuorum conatus perpetuo retudiſſe, quo minus in Europa Turcicum Imperium propagaretur. Verum id temporis adeo male comparatum erat regnum ad defendendos ſocios, ut vix ſemet ipſum ſuſtineret. Juvat altius morbos repetere.

1521.

Floruerunt res Hungarorum ſub Mathia Rege fortiſſimo adeo feliciter, ut longe, lateque terrorem ſpargerent, vicinis regionibus umbram facerent. Nulla gens plura de Ottomanis erexit trophæa. Illo extincto, militaris diſciplina mirum quantum emarcuit, ſuccedente in ſolium Uladislao, magnisque paſſibus in ruinam abiit. Non erat jam illa Hungaria, inclyta, potens, & Turcarum formido, mutila multis partibus, & acciſa, ægre ſe, ſine alieno auxilio ab ultimo præcipitio tuebatur. Nec per tenellam Ludovici ætatem, qui regnum a fatis Uladislai Patris obtinuit, reſpirare potuit. Rex Juvenis, B) etſi bellicoſæ indolis, in perturbato regno ſimulacrum Regis erat. Procerum animi factionibus, inprimis eloquentia Stephani Verbóczii regni Prætoris, & Joannis Zapolya Tranſylvaniæ Vaivodæ potentia, confuſi adeo, ut veluti in civili bello duas in partes abſceſſerint; alii Vaivodæ, alii Bathorio Pro-Regi adhærentes. Inde conſilia timida, ac lenta, nec Reip. ſed privatorum commodo magis proficua. Ærarium Regium ſupra quam credi poſſit, incuria Uladislai exhauſtum, & nominum immanitate adeo ægrum, ut niſi ab vivaci, armatoque Rege reſtitui minime poſſe videretur. Nec miles tam alacer, ut olim ſub Mathia. Nigra militia, robur Hungarici exercitus, cujus ſtrenuitate nunquam non victor Mathias e pugna exceſſit; extincta erat. Copiæ ad defendendas ampliſſimi regni provincias prope nullæ. Præter Vaivodam offenſum illum, C) quod Gubernatoris, & Palatini munere excluſus ſit, nullus Dux bello ſpectatior. Neque ſpes ſuppetiarum erat, flagitioſo apoſtata Imperium novis erroribus perturbante. Equidem Leo X. ſummus Pontifex Hungariæ Rempub. ſibi curæ fore pollicitus eſt, effecturumque, ut Principes Chriſtiani ſociatis viribus terra, marique opem ferrent, ſed præter certum auri D) pondus nihil ſubſidii Ludovicus accepit.

Languens adeo Hungaria hoſtem habitura erat, omnibus rebus diſparem, exercituum, claſſium, opum, peritorum Ducum alacrem; ſolertem, per ſe agentem omnia, & qui Hungariæ morbos non accurate minus, quam

A) Sic quidem Tubero. Nonnulli affirmant ſalvum evaſiſſe Gazellem, quem idem Tubero Jamberdinum nominat, & ad Ismaelem Perſarum Regem ſe contuliſſe. At is jam ante vita exceſſiſſe fertur. B) Ludovicus Rex, ante DIEM natVs, prima videlicet Julii 1506. anno ſequenti corona cinctus, Patri Uladislao ſuccedit 1516. C) Iſtvanff. Lib. VII. D) Idem loco laudato. Tubero vero auſus eſt ſcribere, Oratori Hungaro calamitates patriæ in Curia Romana exponenti, Leonem repoſuiſſe: conſulerent ſibi Hungari, ſuum ærarium penitus exhauſtum.

A. C. 1521. quam suas vires nosset. Quippe Oratorem miserat ad Ludovicum Regem Solymanus pacem petitum, qui omnia rimatus, Byzantium deinde renunciavit. Fertur hunc Legatum durius habitum ab Hungaris, quam oportuisset, atque hac injuria accensum Imperatorem arma in Hungariam movisse. Diversa hic Scriptorum opinio; Tubero author est Legatum (cui nomen Berhamus) subdole missum, injectaque spe pacis delusos Hungaros remissiores fuisse. Spanduginus ait: Legatum hunc tributum petiisse a Ludovico, at cum dedecore rejectum. Istvanffius vero scribit: exploratorem potius, quam Legatum fuisse, Ludovicum præterea suorum consiliis impulsum, ut Berhamum ad arcem Tatam, cum universo comitatu interfici, ac in piscinam, quæ arcis mænia alluit, projici juberet. A)

Tot incommodis conflictantem Hungariam, ut altius feriret Solymanus, non uno loco impetendam censuit. Balibegum B) Semendriæ, & Mustapham Bosniæ Præfectos, cum valida equitum, & peditum manu ad hostilitatem inferendam dimittit. Hi intellecto Strebernicum desidia Thomæ Mathusnai neque sufficienti præsidio, neque annona instructum, ipso Thoma in Hungariam profecto, tenebris faventibus locum aggrediuntur, rati appositis scalis se eo potituros. Acerrime repugnantibus præsidiariis, oppidum cingunt, atque intra decimum diem, fame, & inedia subactum capiunt, pacta fide, ut armati incolumes abirent. Sed ventis, & mari, quam Ottomano, fidem tutius habuissent; omnes contra fas, fidemque trucidati. Tessenienses, & Szokoliani suæ paucitati diffisi, incensis arcibus, cum fugam arriperent, plerique a Turcis, ac incolis, qui ad hostem defecerant, capti sunt. Propitio Marte C) utendum rati barbari, in Jaiczam vires obvertunt. Præerat arci Petrus Keglevichius, vir intrepidi ad omnes casus animi. Is cum exploratum haberet, Jaiczam impugnatum iri, extemplo, ubi mænia non satis firma, excubias geminat, suos ad omnem occasionem prælii instructos tenet. Turcæ haud procul ab oppido vallem occuparant, noctem sine tumultu transacturi, ut sub primam lucem admotis scalis oppidum adorirentur. Keglevichius dolum dolo elusurus, centum equites tenebris tectos, Duce Blasio Kerio, ultra vallem ab hoste insessam silentio consistere, ac cum e majori machina signum daretur, a tergo impressionem facere jubet. Ipse pari astu, dubia adhuc luce, puellarum chorum extra oppidum dimittit admonitas, intenta voce ut canerent, sine metu procederent, se in tempore auxilio venturum. Ottomani insidiarum securi, in prædam improviso oblatam cæco impetu feruntur. Keglevichius fulminis instar ex urbe provolans, a fronte; equites, quos in insidiis collocatos diximus, a tergo circumfusi, eos repentino terrore oppressos, consiliique dubios, adeo pessime accipiunt, ut pauci, qui nuncium cladis referrent, evaserint.

At Solymanus parem suo animo victoriam quærens, Tauruno, sive Belgrado imminebat Pyrhi Purpurati consiliis actus. Ne miles arenam cladibus superiorum annorum infamem (nam & Amurathes Abavus, & Proavus Mahometes amisso exercitus flore re infecta inglorii compulsi sunt recedere) expavescerent, convocata concione verba fecit: se quidem ad reliquam Asiam D) perdomandam animum adjecisse, verum cum insigni injuria Berhamus ab Hungarorum gente affectus sit, se mutato consilio Hungariam velle aggredi, quam fere sine certamine obtenturum se ajebat. Emarcuisse jam priscam illam fortudinem, qua terrori esse poterant vicinis. Nunc sola fama justi exercitus, omnia in deditionem ventura. De victoria nihil dubitarent, modo alacres signa sequerentur. Lustrato exercitu in agro Adrianopolitano, vigesimis quintis castris Semendriam pervenit. Pyrhum interea, cum non temnenda copiarum parte Belgradum ire, initiumque oppugnationi facere jussit; Achmetem, alterum purpuratum, cum equitatu Macedonico, & copiis, quæ Magistro equitum Græciæ subsunt, ad Szabacsium

A) L. VII. B) Istvanffius hanc irruptionem refert ad priorem annum, sed minus recte. C) Tubero Jaiczensem cladem suæ Historiæ inseruit. D) Vide Tuberonem L. XI.

csium subigendum, additis aliquot colubrinis, celeriter dimittit, eo consilio, A. C. ut præclusis itineribus, nemo illinc Tauruno succurrere, nemo secundo a- 1521. mne Savo commeatum inferre possint.

Achmetes positis ad Szabacsium castris, propugnatores opinione sua constantiores reperit. Centum A) erant pedites, & multo pauciores equites, sed egregia fortitudine numerum pensabant, quibus præerat Simon Logodius vir strenuus, atque expertæ virtutis. Hic adventu hostium minime perculsus, propius accedere ausos telis missilibus arcere, majoribus machinis castra infestare, ferocissimos certis ictibus prosternere, ingenti denique animo defensionem parare adeo, ut Achmetes grandioris formæ tormenta e Solymani castris petere coactus fuerit, quibus muros tanta ruina affecit, ut irruptio commode tentari posset. Cæsis dein opera agrestium arboribus, fossas, quæ superandæ erant, tumultuario opere complent, impessionem facturi. Potuissent præsidiarii navigiis, quorum copia ad manus erat, clam hostibus Savum superare, & in tutum abire, sed viri incredibilis virtutis, æternam nominis sui famam ad posteros transmittere, quam minus decoram inter suos vitam agere, maluerunt. Ergo junctis dexteris mutuam fidem dedere, se ad extremos spiritus præsidium defensuros, nec conditiones a barbaris accepturos, minus de fuga cogitaturos. Achmetes interim fortissimos quosque, ad repellendos e muris dirutis, armatos in aciem educit. Ruunt illi vi maxima per fossas, ac in ruinas eluctati cominus acinace pugnam committunt. Hungari etsi vigiliis, inedia confecti, præsenti animo ferociter repugnant, multis cadentibus e prætorianis, qui Persico, Ægyptiacoque bello exercitati omne discrimen alacres subierunt: tandem cum virtus numero vinceretur, nec sauciis integri substitui possent, ad unum omnes in ipsa murorum strage, & eo, quem tenuerant, loco non sine cæde Turcarum fortissime mortem oppetiere. Septingentos in eo assultu amisisse Achmetem perhibetur, sauciatos longe plures fuisse. B) Hoc modo Szabacsium, quadraginta circiter millibus passuum Belgrado dissitum, a Mahomete Solymani Proavo ad ripam Savi Sirmiensibus agris commodius incursantis constructum, atque septennio post a Mathia Corvino magna nominis fama expugnatum, octavo, & quadragesimo anno barbari receperunt.

Expugnatum Szabacsium cum inspexit Solymanus; intellecta suorum clade, visisque jacentium Hungarorum vultibus, in hostem ferociter versis, adeo terrore expalluit, ut omnium animos opinio ceperit, si terna duntaxat millia Hungarorum in ulteriori ripa consedissent, haudquaquam exercitum suum trajecturum fuisse. Verum fatis urgentibus Hungariam, lente admodum copiæ confluxerant ad Tolnam, ubi Rex cum Palatino Bathorio castra fixit, uterque sinistra valetudine tentatus. Interim ne tam nobile præsidium non Hungariæ modo, sed totius Reipub. Christianæ, in manus hostium deveniret, Rex Andream Bathorium, Stephani Palatini Patruum, Præfectum Belgradi renunciavit. At insigni adversus Regiam dignitatem pervicacia Valentini Törökij, & Francisci Hedervari, vir bellica fortitudine clarissimus, provincia sua exclusus est.

Neque isti tutandæ urbis curam suscepere. Quæ res haud dubie excidium longe nobilissimæ arcis acceleravit. Administrarunt præfecturæ munus bini eorum Legati, Blasius Olahus, & Michael Morgaius, obscuri nominis, & fidei suspectæ. Flagitarunt illi crebrioribus nunciis a Rege tormenta, pilas, pulverem, cæteraque necessaria in justam defensionem; istud quoque socordia Præfectorum neglectum erat. In tanta perturbatione rerum, cum essent res Belgradenses, Pyrhus Purpuratus urbi copias affudit, & muralibus machinis mænia quatere incepit. Subinde Solymanus per Savum ponte stratum prætorianos traducit, ut adversam ripam in potestate haberet, ne suppetiæ ea ex parte venirent. Regem enim ad Tolnam castra fixisse probe noverat. Eum ut in pugnam quoquo modo proliceret, Bali-

A) Istvanffius Lib. VII. Tubero solum septuaginta fuisse scribit. B) Cladem magnam passos fuisse Turcas, eorum Annales testantur.

A. C. 1521. den, sive Balibegum, ad Sirmiensem agrum evastandum immittit, qui quidem innato odio in gentem Hungaram, omnibus locis vastitatem, cædem, incendia infert; Simonium oppidum deditione capit, ac præsidiarios fide violata partim trucidat, partim in vincula abactos, sub hasta divendit. Tristibus flammis excitus Bathorius regni Palatinus, ad Demetrium oppidum, Balibegum igne, & ferro Sirmium vastantem aggreditur, & acie victum in castra rejicit; ipse cum nobilioribus captivis ad Ludovicum se recipit suorum paucitati diffisus, campumque dedit Ottomanis nova incendia per amœnissimam regionem spargendi. A)

Dum Solymanus in expugnandam urbem omnem operam impendit, duo Thraces præmiis illecti, turpi transfugio rem Christianam, & urbem prodidere. Nimirum AUREA CLAVI munitissima etiam loca reserantur, & facile trahuntur in alienam potestatem, si domestici hamo aureo capiantur. Horum consilio tormenta, eam in insulam, quæ e regione Savi in Istrum illabentis protenditur, illico provehi, & e suggestibus mœnia præter opinionem infirma, acerrime verberari imperavit. Oppidani hiantibus muris, non expectato insultu, se in arcem recipiunt non sine perfidiæ nota. Occupata urbe ad arcem perdomandam vires verterunt. Protracta præter spem oppugnatione (jam enim sexagesimus dies obsidionis fluxerat, & præsidiarii non nisi quadringenti, hostiles impetus viginti, invicto corporum, animorumque robore pertulerant) prope erat, ut Solymanus conclamatis vasis Byzantium recederet, cum nescio quis (Gallum alii, Italum fuisse Istvanffius ait) summo dedecore Christiani nominis Pyrho, Achmetique persuadet: ad frangendam præsidiariorum pervicaciam cuniculis agerent, propugnacula pulvere supposito in auras ejicerent: hac arte præsidium, cæteroquin invictum casurum. Itaque ad subruendam Miliariam turrim prægrandis cuniculus celeri fossorum opera exstruitur, qui tamen hostibus e sententia non cessit. Quippe propugnaculi pars in auras ejecta ita recidit, ut novam munitionem irrupturis opposuerit.

Nihilominus Thraces excisæ turris ruina tanto terrore perculit, ut fracti animis, nullaque sociorum Hungarorum habita ratione, literas sagitis alligatas ejaculari, ac de deditione cum barbaris nefaria consilia miscere non dubitarint. Præfecti Hungari, cum nulla ratione eos e tam turpi nundinatione dimovere possent, & propugnaculi strage amentes oppidani, in apertam seditionem exardescerent, ne capti dederentur Turcis, pactis conditionibus, ut sibi, conjugibus, liberis potestas abeundi, quo vellent, daretur, arcem tradunt vicesima nona Augusti. Eodem die sole inclinante inter armatos Janicsarorum ordines, egredi jussi, Hungari contra datam fidem ad unum omnes interfecti sunt; B) nec meliori fortuna usi Thraces, quorum major pars ferro cecidit, pauci admodum, quibus senior ætas præsidio esse debebat, in servitutem, morte omni crudeliorem, raptati cum familiis, Byzantium deportati sunt, Divina nemesi eorum perfidiam vindicante. Hac insigni victoria potitus Solymanus, incredibilem animo concepit lætitiam, cum aditum sibi aperuisset ad reliquam Pannoniam perdomandam. Urbi præfecit Balibegum Semendriæ Præfectum; ipse sæviente jam autumno, victorem exercitum Byzantium reduxit, atque in suas stationes ita dimiserat, ut primo vere ad Rhodum terra, marique obsidendam adesset. Cæterum fortuna haud oblita sui moris, lætitiam istam domestica calamitate confudit. Nam Adrianopolim versus iter habenti, trepide nunciatum fuit: filium natu majorem, annum ætatis nonum agentem, morbo extinctum. Nova non multo post perturbatio Imperatoriam aulam excepit, jurgio non levi orto matrem inter, & consortem Solymani. Cum illa acrioribus, quam par erat, verbis, mœrore alioquin dejectam nurum castigasset, & fœminea dicacitate perstrinxisset, quasi ipsius incuria Princeps, spes Imperii, decessisset; illa simul dolore amissi filii, simul quotidiani jurgii, atque reprehensionis impa-

A) Istvanffius loco memorato & Tubero. B) Ita quidem Historici; verum decretum anni insequentis in conventu Budensi editum, aliud prodere videtur. Vide articulum LX. anni MDXXII.

impatientia prope amens, dum socrum frustra abs se amovere nititur, arrepto pugione, quem fæminæ Turcicæ e Principum domo ortæ, e sona pendentem gestare solent, eidem luculentam plagam impegit. A) Quæ res ut Solymanum acerrimo dolore ussit, ita civibus de ejusmodi fæmineis litibus amplissimam suppeditavit materiam sermocinandi. Sed jam anni vigesimi secundi expeditio, haud sane læta rei Christianæ, enarranda est, qua Rhodus, insula celeberrima, in potestatem Turcarum venit.

A. C. 1521.

1522.

Vixdum abstersa hyeme, Solymanus cum feroci sua indole, tum veteri odio in Equites illius insulæ accensus, robur totius Imperii contrahit, suo ductu mari gesturus bellum. B) Equidem Purpurato Pyrho, cæterisque facile in mentem venit, Rhodum hac expeditione impetitum iri; sed versabatur omnium ob oculos superiorum annorum clades, qua Mahometes turpiter fractus amisso flore militiæ fugienti similis Rhodiis herbam porrexit. Istud præterea omnium animos vehementer concussit, quod ipse Imperator adeo infido elemento salutem suam vellet committere. Mare periculis fætum nullo discrimine in navigantes desævit; & si ab hoc induciæ forent, tamen pugna navali coorta, quam facile prætoria navis fluctibus hauriri potest? certe Christianis non deerunt animi ad Rhodum, Palladium suum, nervis omnibus defendendam. Verum magnanimus Princeps arrepti propositi tenax, haud passus est se in mitiora consilia flecti. Didicerat ex Patre suo: VICTORIAS, ni Imperatoris manu metantur, plerumque corrumpi, certe non integras esse. Itaque ipse omni periculo spreto ad hydram illam perdomandam ire statuit. Et erant non leves causæ, quæ Solymanum impulerunt. Noverat Majores suos e Caucasi antris progressos, sola armorum felicitate Asiam, Thraciam, reliquam Græciam, eversis nobilissimis Imperiis, Byzantino, & Trapezuntino subjugasse; omni prope Illyrico subacto, Hydrunte capta Italiam aperuisse; ultimis his annis Syriam, Ægyptum amplissimo Imperio adjecisse; verum ex Lesbo, Chio, Peloponneso, Eubœa, Propontide admodum arduam, atque periculi plenam navigationem intelligebat, quoad Rhodus milite, classe, armis præpotens mari dominabitur. Nam crebrius inimica classe oras Asiæ, Syriæ incursarunt Rhodii, navigia Ottomanis erepta in triumphum abduxerunt, prælio navali plerumque superiores. Præterea ussit Solymanum, urbem Turcico nomini perpetuo infestam, in visceribus Imperii sui opibus, dignitateque florere, quæve auderet caput erigere, circumjacentibus insulis, atque regionibus jure armorum plene subactis. Ad hæc superiori anno Taurunum expugnatum, ambitiosissimo Juveni in dies majores animos afflavit. Denique Principum Christianorum in suam perniciem susceptæ dimicationes; apparatus navales a Selymo maxima cura adornati stimulos acuebant, ut belli aleam contra Rhodum tentaret.

Id temporis, Fabritio Carectano vita functo, Magni Magistri Equitum munus obibat Philippus Vilerius Liladamus gente Gallus, vir præstans animi magnitudine, & bello in Gallia, Hispania, administrato spectatissimus. Vix Rhodum appulit Liladamus post difficillimam navigationem, cum adfuere Oratores Solymani cum literis, quas e Fontano scriptore Rhodii belli, desumptas damus. *Solymanus Tsaccus,* c) *DEI gratia Rex Regum, Dominus Dominantium, maximus Imperator Byzantii, & Trapezuntis, Rex potentissimus Persidis, Arabiæ, Syriæ, ac Ægypti; Dominus Asiæ & Europæ, Princeps Mechæ, Aleppi, Hierosolymarum Dominator, possessorque maris universi. Philippo Vilerio Liladamo, Magno Magistro Rhodi, & Asiæ Legato salutem. Adventus tuus in Asiam, initusque Principatus affecit me incre-*

A) Tubero L. XI. quo etiam Historiam sui temporis finit. Scriptor facundus, sed liberrimi calami, quem bilis in Venetos, & alias nationes vehementer acuit. Præcipitis judicii. Pontificibus Rom. admodum infestus; ut merito de hominis sincera Religione dubitare possis. B) Jacobus Fontanus Brugensis tres libros conscripsit de expugnata Rhodo, periculi & laboris particeps, quem secutus sum in plerisque. c) Fortassis more Persarum Schachus legendum, aut Schyakus, ut habet Ortus, & Occasus Transylva. Laurentii Toppeltini, apud quem immania, fastusque plena nomina legere licet pag. 174.

A. C. 1522. *incredibili voluptate, atque ut eum seros in annos felix obtineas, ex animo cupio. Spem vero firmissimam concepi, tua virtute, & fide superatum iri omnes, qui retroactis temporibus Rhodo præfuerunt, quibuscum Majores mei amicitiam coluerunt. Hæc ut inter meam, tuamque gentem incorrupta floreat, adnitar. Superiori anno nobilem in Pannonia victoriam adeptus sum. Trajecto Danubio, Belgrado, aliisque munitionibus expugnatis, Hungarorum Regem frustra in campum provocavi. Quapropter extremo æstatis victorem exercitum Constantinopolim deportari jussi. Vale. Constantinopoli.*

Recitata in Senatu epistola, facile assecuti sunt Solymani mentem; verbis equidem amicitiam offerre Rhodiis, reipsa bellum atrocissimum in insulam moliri. Visum est igitur eadem arte barbarum petere, datis hunc in modum literis. *Philippus Vilerius Liladamus Magnus Magister Rhodi, Solymano &c. Ex epistola & nuncio tuo victoriam de Hungaris reportatam intellexi. Amicitiam tuam, ut debeo, facio maximi. Eam infregit Cortugolus pirata, qui me e Galliis navigantem infestis armis opprimere volebat; ausus etiam intempesta nocte amicos portus infestare, & Cretensium navigiis vim inferre. Verum toto litore propulsus omnem prædam, insulamque deserere coactus est. Dabam ex Rhodo.*

Fuit Cortugolus, sive Curtoglius ævi sui celebris pirata, mareque infestum reddidit multis annis. Liladamum ad Maleæ promontorium intercipere conabatur, sed spe sua excussus, in portum Rhodium impetum fecit nocturno tempore. In fugam compulsus ab excubitoribus, celeritate navium suarum evasit. Bini ipsius fratres latrociniis infames, a Rhodiis interfecti fuerunt. Tertius in vinculis diu habitus, & obsessa jam Rhodo ærumnis fractus mortem obiit. Subinde Cortugolus Byzantium accitus, Solymanum in Rhodios peracerba oratione incitavit, Pyrho Purpurato, mores aulicos induto, Imperatoris animum væsanis molitionibus incendente. Vehementibus itaque, ac retroactis temporibus ad naves exædificandas incubuerunt Constantinopoli, in insula Chio; omnisque celebrior portus opera fabrorum fervebat. Nunquam sane impensius construendæ classi insudatum fuit; Europa, Asiaque in expectationem tanti apparatus erecta. Fiunt præterea delectus militum in Europa, & Asia, legionarii victoriis innutriti e stativis evocantur, navigia omni apparatu bellico instruuntur. Quem in hostem tanta tempestas effunderetur, anceps opinio multorum erat. De industria Turcæ sparserant, ut Rhodios imparatos opprimerent, in Italiam bellum transferendum, aut Cyprum, A) Corcyramve invadendam. Rhodii imminentis belli metu exciti, velut jam præ foribus hostis præsto esset, sui præsidii junctis viribus curam sumpsere. Ligna cæsa in usum navium, arma omnis generis expedita, annonæ vis maxima importata, ad ferendam longiori tempore obsidionem, molæ intra mænia extructæ; muri, propugnacula, captivis in partem laborum venientibus, instaurata; omnis denique Liladami industria in eo desudavit, ut præsidium adversus barbarorum vim quam optime firmaret.

Dum hæc ingenti ardore aguntur, alteras ad Magnum Magistrum dedit Solymanus, quibus & Pyrhus, homo vaferrimus, suas annexuit. Ne lector eas desideret, fere totidem verbis e Fontani commentariis huc transtuli, ex quo ego non pauca cum delectu in rem meam verti. *Solymanus &c. Magno Magistro Rhodio Legatoque Asiæ salutem. Victoria anno præterlapso obtenta ad limites Hungariæ, stimulos mihi addit alias, atque alias metendi. Si quid feliciter militiæ egero, te certiorem faciam. Constantinopoli.* Pyrhus vero in hanc fere sententiam scripsit. *Epistolam tuam Imperatori maximo tradidi. Cursorem Rhodium, hominem agrestem, ac infimo loco natum aspectu Imperatoris arcui. Inposterum viros mitte Byzantium ingenii facilitate, prudentia, & eloquentia præstantes, aulicarumque consuetu-*

A) Cyprus Insula mari Mediterraneo, Pamphilio, & Syrio clausa. Paphus, Amathus celebrem eam fecere apud Poetas, unde Amathusia dicta. Descriptionem illius reperies apud Strabonem L. XIV.

ſuetudinum gnaros. Id ſi feceris, tibi, tuisque conſules. Vale. Hæ literæ magnos animorum motus inter Equites concivere, alii in eam ſententiam conceſſerunt, ut Oratores mitterentur ad Solymanum pacis ſtabiliendæ cauſa: Pyrhum ætate gravem alioquin a belli conſiliis abhorrere, illius opera Imperatorem poſſe ad mitiora flecti, & imminentem cladem ab inſula, a ſuis cervicibus amoveri. Qui iſthoc munus obirent delecti ſunt Raymundus Marchetus Hiſpanus, & Caſtrophylaca civis Rhodius Turcicæ linguæ gnarus. Alii, ne ſummi viri manifeſto diſcrimini objicerentur, interceſſerunt, rati mala fide agere Pyrhum. Igitur conſilio mutato, ſolum epiſtolæ ad Solymanum, & Pyrhum datæ. Qui eas perferret Byzantium, Turcico nuncio adjunctus erat Rhodius quidam e plebe. Vix litori navis appulſa, continuo Turca in equum inſiliens, citato curſu Conſtantinopolim verſus iter arripit. Rhodius re improviſa perturbatus, quam in viam ſe daret ignarus, ad ſuos rediit; cujus reditus omnem ſpem pacis abrupit.

A. C. 1522.

Ex eo die Liladamus in belli curas omnibus nervis incubuit. E Cretenſi A) inſula optimi ſaporis vina advecta cum ſagitariis mercede conductis, quorum inſignis peritia tela jaciendi in hoſtes, maximo emolumento fuit obſeſſis. Convolarunt præterea literis Liladami evocati, ad hoc belli theatrum viri fortiſſimi, & ab communi potius hoſte in Aſia, quam Chriſtianorum cadaverum acervis ad Rhenum, Moſam, aut Padum, Heroum nomen quærere maluerunt. Joannes Lupus cognomento Bellovacus, navim frumento onuſtam in Rhodum egit, qui deinde in Britannico propugnaculo tuendo, fervente undique pugna, non leve vulnus accepit. Antonius Bouladius triremem delecta militum manu, & omnis generis commeatu inſtructam adxit. Atque ob iſtud in Rhodios ſtudium, præter morem a Magno Magiſtro in numerum Equitum receptus fuit. Ferunt hominem humili, tenuique fortuna natum. At nullum inde dedecus: QUANDO QUIDEM præſtat magnum fieri, quam oriri. Dominicus Fornarius Ligur Alexandria navigaturus in Siciliam, motus præſenti diſcrimine Rhodiorum, ad inſulam defendendam animum appulit.

Alphonſus Eques, dum ſua biremi oras hoſtiles explorat, a piratis oppreſſus hoſti in prædam ceſſit, majori utique ignominia Rhodiorum, quam detrimento, quod jam longiſſimo tempore nulla navium in barbarorum poteſtatem venerit. Haud meliorem fortunam expertus eſt Jacobus Xaycus, vir ſtrenuus, ac rei maritimæ peritus. Hic comite Menetono Equite Gallo exploratum miſſus, ecquidnam ſibi vellent nocturno tempore crebriores ignes in hoſtico? dum ſe Turcarum fidei committit, obſide accepto; in vincula abreptus Byzantium abducitur, ubi acerbiſſimis pœnis tortus, Rhodiæ urbis obſidendæ modum edere eſt coactus. In hoc obſide patuit fraus plusquam Punica. Nam is e grege paſtorum temere raptus, ſplendore veſtium Principem mentiebatur; neque ex eo reſciri aliud potuit, quam ſe e trivio natum, & Turcas bellum moliri. B) Poſtquam in Xayco per fraudem intercepto, ſcintilla belli apparuit, nemini jam dubium erat, brevi in apertum incendium erupturam. Serpunt enim mala pedetentim, nec contenta ſunt infortuniis privatorum, niſi & Rempub. corripiant. Liladamus tot, tantisque impendentibus malis aggeres quodammodo oppoſiturus, provinciam, quam recens iniverat, non minus prudenter, atque fortiter adminiſtravit. E publico armamentario tela deprompta, & civibus ad tuendam ſalutem patriæ diſtributa. Æreis machinis, quarum ingens copia aderat, mænia, propugnacula firmata. Vigiliæ ad cuſtodiam urbis, majori, quam antea numero poſitæ. Luſtrum deinde conditum: qui arma ferre poſſent, quina fere millia explebant, inter quos ſexcenti Equites erant priſca nobilitate, virtuteque bellica præſtantes, & quingenti Cretenſes. Præterea

A) Creta inſula multis nominibus celebrata Poetis. Cingitur mari Ægeo, quod Creticum dicitur, & Lybico. Unde Virg. Creta Jovis magni medio jacet inſula ponto. Strabo L. X. eam deſcribit. Promontorium Malvæ vitibus nectarei ſaporis conſitum, multorum ingenia, & calamos acuit. B) Fontanus L. I.

A. C. classis suos milites, nautas, tormenta habuit: & super hæc omnia Duces 1522. magni nominis, maritimisque victoriis claros Michaelem Vitalem Gallum, Seringum Vandalum, & Nicolaum Megonem Rhodium. Neque Præsules suis deerant partibus, quorum alter Archi-Episcopus Latinorum Leonardus Cœlestinus Ligur, alter Græcorum Clemens, milites, cives ad dimicandum pro aris, & focis hortabantur. Horum facundia adeo accensi sunt omnium animi, ut ægre ferrent, nondum adesse hostem, quocum manus pro Repub. Christiana consererent. Non diu intra vota desiderium hæsit.

Paucis post diebus Byzantio adfuit nuncius cum turma equitum, qui non ausus Rhodum petere, in hostico substitit, crebrisque ignibus nocturno tempore signa dedit, se velle colloqui. Extemplo missus est Castrophilaca cum armata triremi; sed Xayci sinistro casu cautior, pedem non extulit e navi, frustra agentibus Turcis, ut in litus cum suis egrederetur. Turcæ conjectis temere telis ad navim, velocissimo cursu profugiunt, relictis literis Solymani super saxo, minarum, & superbiæ plenis; quibus revocans Equitibus in memoriam maritimas excursiones in mercatores, subditos Imperii Ottomanici, ait: *se tot injuriis merito impulsum, ut Rhodios, veluti publicæ pacis perturbatores, insula armis proturbet. Quod si sponte regionem clementiæ Imperatoriæ dediderint, Religionem sartam, tectamque conservatum iri: si decesserint insula cum omni supellectili, familia, apparatu castrensi; sibi perinde gratum fore. Cæterum spem omnem ponerent insulam propugnandi seu domestica virtute, seu exterorum auxiliis; sibi fixum, statutumque esse, non ante belli curas abjecturum, quam Rhodum sui juris efficiat.* Postremum monuit: *utriusque fortunæ documenta inspicerent, ne contumaciam cum pernicie, quam obsequium cum securitate malint.* Liladamus iniquissimas conditiones aspernatus, armis suam, suorumque libertatem defendendam suscepit. Agros, campos demessis late segetibus, ne hosti cederent, igne corrumpit: ædificia prope urbem posita dejicit: arbores agrestium opera succidit, tanta celeritate, ac sævitia, ut paucos intra dies lætissima insula squallorem præferret. Sexto tandem calen. Julias, classis Ottomanorum e monte, Divo Stephano sacro, provehi visa, oppidanos tristi spectaculo in muros excivit. Ferunt tercentum navigia variæ formæ bellico apparatu prævalida fuisse, & ducenta millia armatorum, cum quadraginta millibus fossorum ad cuniculos agendos. Appulsa in portum Physcum A) inter nautarum, militumque clamores classis, civium oculos, animosque turbavit, dum inconditam multitudinem barbarorum cernerent in exitium Rhodi ruentium. Mox Pyrhus, supremus armorum Præfectus cum Mustapha Purpurato, militem continenti exposuit, terra aggressionem facturus. Gallipolitanus Præfectus B) principem curam impendit classi, marique clauso, ne quid subsidii sperarent obsessi, propugnacula mari obversa infestare cœpit.

Jam pene obsessa urbe, Liladamus Christianorum Principum opem oravit. Ad Imperatorem Carolum V. in Hispanias Ludovicum Andugum; Romam ad Pontificem, Patresque Purpuratos Antonium Bosium; ad Galliarum Regem Claudium Ducenvillum misit. Omnium aulas circumcursantes, præter verba nihil impetrarunt, sive aliis impliciti bellis, sive Rhodo non multum metuentes, quod firmis operibus munita ante annos non multos, hostium conatus fortiter retuderit. Jacet Urbs Rhodus c) loco aperto, & corona undique cingi potest, si naves adsint. Qua septentrionem spectat, portum firmissimi operis habet, turribus in mare procurrentibus, quæ tutam navibus adversus piratas stationem præbent, eaque pars satis defenditur mari. Cæteras urbis partes agri, campique fontibus irrigui, & collibus leniter surgentibus interdistincti, frugiferisque arboribus consiti, excipiunt.

Sed

A) Physcus celebris portus, a Rhodo octodecim milliaribus Græcis dissitus. Ortelius in sua Geographia Natoliæ, hunc portum Fischio appellat. B) Quis fuerit iste Præfectus? Fontanus silet. Alii Cortugolum fuisse tradunt. c) Vide civitates orbis terrarum opera, & studio M Georgii Braun Agrippinensis collectas, ubi Rhodum expictam habes.

Sed quod natura parce admensa est, id ars abunde supplevit. Nam triplici muro versus continentem circumdata, præter quina propugnacula, tredecim turres pulcherrimo ordine superbe ostentat. Munimenta sane omnibus numeris absoluta. Adde dein disciplinam militarem nobilissimorum Equitum, quorum præclara gesta, Europam, Asiamque secundo rumore pervaserunt. Turrim a Francis dictam, & spatium, quod inter hanc, & Ambrosianam portam interjacet, Galli defensabant Duce Joanne Aubino. Germani Equites sub signo Aquilæ, ad portam Divo Georgio dicatam suum manipulum explicuere. Hos iterum excepere Galli cum Hispanis. Istos Britanni Duce Magno Magistro. Tandem Galli Narbonenses; Itali Ducibus Petro Balino, & Gregorio Morgulo reliquam partem urbis tuendam accepere. Illud eo consilio factum existimo, ut diversæ nationes æmulatione ductæ, pro gloria gentis suæ adniterentur, stationes sibi attributas pro viribus defensare.

A. C. 1522.

Interea Pyrhus eminentiori loco ad urbem commodius verberandam occupato, Britannicam stationem, levioribus machinis impetiit, quod magis exercitandi militis causa fecerat, quam præsidiariis nocendi. Cœpti deinde suggestus, & fossiones subterraneæ, ingenti multitudine agrestium ad opus succedente, machinatoribus turbam imperitam dirigentibus. Rhodii, quo incautos opprimerent, non tormentis, sed levioribus telis, e mœnibus strenue incumbentes impedire velle videbantur: ubi conspiciunt fessos, ac sudore diffluentes operi instare, ferocissime erumpunt. Agrestes aratro aptiores, quam pugnæ, in fugam effusi, tormentis e turribus adeo male accepti sunt, ut campus ille cadaveribus sterneretur. Nihilo felicius e castris accurrentes sine ordinibus, pugnæ initium dedere. Crebrioribus ictibus machinarum disjecti, fugientium agmen auxerunt. Janiciaros præprimis eruptiones deinceps etiam feliciter susceptæ exterruerunt, qui fossoribus ad custodiam dati, Equitum impetus sustinere debuerunt, operis fugam capessentibus. In hunc modum sæpius clade illata ab obsessis, tantus metus plerosque incessit, ut abitum minati, fere in apertam seditionem exarserint. Itaque vecordes, & disciplinæ militaris obliti, seditiosis vocibus castra perturbant, ferociusque, quam alias, adorti Præfectos, ut obsidionem solverent, urgent; invictam Rhodiorum virtutem uno ore testantur. Neque Pyrhus panico terrore correptos, ad officium revocare potuit, quamvis turbarum authoribus gravissimas pœnas irrogaret.

Quare Byzantio Solymanum A) trepidis nuntiis evocat, ut sua præsentia militi animum, castris disciplinam restituat. Per eosdem dies nonnulli Rhodiorum, Liladamo animos addente, navicula castra Turcarum petierunt, pomis, peponibus, referta. Nox dolum adjuvit, ut nescirent, unde solvissent. Nam præterquam quod hostilem linguam callerent, hostium etiam more vestiti erant. Divenditis fructibus cum tenebris incumbentibus abitum fingerent, non pauci Ottomanorum, quos Rhodiorum eruptiones perculerant, nautas orant, ut se certo mortis discrimine subducant, atque una in patriam deportent. Rhodii id facinus detestari, supplicium ostendere, si interciperentur, naviculam paucorum hominum capacem oggerere. At salubria isthæc monita pavore cæci non admisere. Octoni ex omni numero accepti, celeri remorum impulsu in portum Rhodium devecti sunt. Tum sero temeritatem damnantes, pro patria ærumnas carceris nacti sunt. Atque ex his cognitum fuit, quantus pavor obsidentes teneret. Tandem vigesima quarta Augusti Solymanus, facto per Cariæ, Liciæque provincias itinere, in castris adfuit, adductis quindecim millibus peditum. Vix partem castrorum obierat, facile intellexit Pyrhi querelas longe modestiores esse, atque ipse e disciplina fluxa, desidiaque palmari sui militis hausit. Ut gravissimos morbos curaret, eo severitatis delapsus est, ut multorum sanguine seditionem vellet extinguere, veteremque disciplinam, & vigorem animi gravissi-

A) Annales Turcici produnt: Solymanum cum copiis terrestribus venisse per Natoliam, misso jam ante Mustapha in Rhodum. Inde exercitus Ottomanorum novis suppetiis auctus est.

A. C. 1522. gravissimis suppliciis in milite suscitare. Sed mitior vicit sententia suadente Pyrho, animos militum amore potius, quam timore occupandos, ne sublata spe veniæ pertinacia accendantur. Ut primum licuit, Janicsarorum concionem advocari jubet, & cum frequentes coissent, armatis, quos secum adduxerat, circumdat. Tum in medium procedens gravi oratione militarem violentiam, ac desidiam castigavit, memorans Majorum suorum triumphos, quos militum constantia, ac invictum animi robur peperit. *Versari,* ajebat, *etiamnum ob oculos, victricibus armis subactum in Pannonia Belgradum: Syriam, Ægyptum iisdem armis debellatas. Rhodios eandem fortunam subituros, modo Imperatoris edicto obaudiant, signa alacres sequantur. Turpissimum fore, deserto Imperatore, desertis Ducibus victores tot regionum, ac urbium in patriam redire transfugarum instar. Triumphaturos Rhodios, si absque præmiis victoriæ ex insula Byzantium inglorii petant.* Citatos deinde ordinum Ductores, seditiosorumque antesignanos, conceptis verbis, ut fide obstringerent se non ante excessuros insula, quam Rhodus totis cervicibus jugum accepisset, coegit. Juvat hic ipsius Solymani jusjurandum adnectere. *Rhodum donec domuero, hic aut mori, aut consenescere decretum; secus si unquam dixero, fecerove, tum hoc caput cum classe, exercitu, & Imperio diris obnoxium, devotumque semper esto.* Atque in hæc verba milites adacti.

Coercita seditione, miles ad pristina officia rediit, Ducumque alacritatem æquavit. Continuo pluribus locis suggestus erecti, missilibusque ignibus urbs infestata. Post eum diem crebriora incendia grassabantur, malumque istud vehementissime oppidanorum industriam acuebat. Ne frequentes vici corriperentur, Æthiopes, servile genus, ad incendia restinguenda perpetuo excubabant, eorumque solertia celeriter sopita, urbem metu solverunt. E turri præterea ære campano signum edidit excubitor, quoties pilæ pulvere nitrato fartæ, in urbem injicerentur: unde ære sonante cives, militesque in tutiora semet recondentes, adeo exiguo damno affecti sunt, ut duobus millibus pilarum haud plures, quam deni sternerentur. Ejusmodi volitantium mutuo ignium militari spectaculo, multis diebus obsessi, pasti fuerant, donec Judæi cujusdam, arte medendi celeberrimi, A) perfidia res prodita Turcis, parcius inposterum pilas ignitas injecere. Itaque multo acrius propugnacula, atque turres verberabantur, quam antea, quibus integris Rhodum dedendam utique desperabant. Quadraginta machinæ murales diu, noctuque majori fragore, quam mænium strage detonuerunt. Globos tum saxeos, tum ferreos novem, nonnunquam undecim palmorum vomebant tanta copia, ut in singulas stationes, triginta supra centum quotidie caderent. B) Rhodii contra machinatores, artis suæ peritissimi, certis ictibus tormenta hostium impetentes, inutilia reddidere, quantumvis validis tignis, ac asseribus septa forent, & nisi pulveris pyrii timuissent penuriam, haud dubie conatu suo dejecissent hostes. Sed nusquam minori successu Ottomani vim suam exeruerunt, quam in turrim a Sancto Nicolao dictam, c) cui præsidium inerat trecentorum militum, Equitum triginta, Guioto Raguso Præfecto, homine Gallo. Hanc illi obversis e classe tormentis subruendam duxerunt. Verum cum quingentis ictibus necquidquam proficerent, & cladem non mediocrem acciperent, irrito conatu discessere, neque deinceps quidpiam in eam tentatum.

Cum admodum lente procederet oppugnatio, & munimenta firmiora essent, quam ut ictibus tormentorum procumberent, cuniculis moliendis vis tota impensa est. Quatuor supra quinquaginta agrestium labore acti, mænibus, atque propugnaculis stragem intulerunt. Urbs tota istiusmodi subterraneis cavernis suffossa, proxima exitio fuit. Ut recte, ordineque cuniculorum opus decurreret, Duces partito inter se labore, diversa propugnacu-

A) Fontanus L. II. B) Ipse Fontanus pene vitam amisit, dum forte globus majoris molis mænia transvolans, ambulantem urgeret. c) Ea turris liberalitate Ducum Burgundiæ assurrexit, ut insignia marmori incisa ostentant.

gnacula delegerant. Mustapha Britannicum, Pyrhus Italicum, Achomates cum Janicsarorum Aga Hispanicum. Æmulatione oborta, miro studio exarserunt fossores, militibus immixti, effectumque continuato per dies, noctesque labore, ut cuniculi extructi supremam manum admoto igne desiderarent. Martinegus, apud Rhodios princeps machinatorum, suo muneri haud defuit. Quidquid artis longo usu comparaverat, perdiligenti opera, ingenti nonnunquam obsidentium damno, exprompsit. Adversis substructionibus hostium conatus excepit, strenueque eruptionibus factis fossarum labra corrupit. Duos, & triginta adeo cuniculos, irritos reddidit, & quam moliebantur stragem mænibus, in suos authores refudit. Impedire tamen haud poterat prægrandem cuniculum Britannico propugnaculo admotum. Nonis Septembris commodum solutus tanto fragore, ut urbs imis visceribus convulsa contremuerit, Britannicæ molis pars major discerpta conciderit, milites sublime ejecti, miserrima strage contumulati fuerint.

A. C. 1522.

Liladamus eo temporis pietati vacaturus, sacras ædes adiverat. Immani fragore, concurrentis populi tumultu excitus, ut erat armis indutus, ad lacera mænia contendit. Quippe Mustapha ad propugnaculum occupandum cum ferocissimis Janicsarorum per lapidum acervos ruebat. Britanni nihil deterriti ingenti hiatu mænium, aperto pectore impetum excipiunt, minoribus fistulis rem non minus strenue, quam feliciter agunt, hostem denique propellunt. Mustapha suorum desidiam increpans, se solum in medium hostium agmen prosiliturum clamat: præeuntem milites sequuntur: redintegratur pugna in ipsa propugnaculi fronte: promptissimi quique e Janicsaris cadunt, rursumque retrusi funduntur. Ceciderunt eo die e Christianis clari nominis non pauci; Michael Dorgelmunt A) propugnaculi, & triremium Præfectus, amisso sagita oculo victoriæ laudem tulit cum Liladamo. Hostis facile mille e suis desideravit. Hanc qualemcunque victoriam tristi nuncio confudit Podius, vir inter suos raræ fidei. Nunciatum ab eo: sibi per transfugas innotuisse, gravissimos cives clam consilia miscuisse cum barbaris: ni malum opprimatur nondum adultum, erupturum cum incredibili Reipub. luctu. Magnus Magister, civium perfidia attonitus, ut authores tanti sceleris e latibulis suis protraherentur, ingentia præmia proposuit. Itaque non adversus solum exteros hostes, sed domesticos etiam urbs vigiliis munienda fuit, tanto nocentiores, quanto minus eorum fides suspecta. Sic fervente metu inter oppidanos, Mustapha quinta die post, quam ad Anglorum propugnaculum (nam utrumque nomen apud Scriptores obtinet) cladem acceperat, eandem stationem adortus est. Duo cuniculi majori trepidatione civium, quam jactura soluti ad novam invasionem hominem vix sui compotem impulerunt; septeni Signiferi cum devota Janicsarorum cohorte, celeriter in nupernam eluctati arenam, paucos præsidiarios depulissent, ni Magnus Magister, Equitum manu stipatus, in tempore suppetias tulisset. Tres horas atrocissimum certamen extractum, barbari virtute Rhodiorum repressi, duobus millibus desideratis, pugna excessere, frendente Mustapha, ac necquidquam sinistram fortunam diris devovente. At nondum vincendi ardorem tot funera temperarunt.

Tertium multo acriorem insultum adornat, accito in tanti moliminis societatem Achomate, virtute cujus plenam obtentum iri prorsus non ambigebat victoriam. Conventum inter se: simul atque Hispanorum propugnaculum rupto cuniculo eversum fuerit, uterque stationem sibi oppositam invaderent: uterque sibi mutuo auxilio essent. Succusso magnam partem munimento, Achomates sine mora in pugnam provolat; idem & Mustapha cum suis agit. Duobus in locis ancipiti Marte diu, multumque certatum. Mustapha nihilo felicior prioribus præliis, amissis duobis signis prior arenam, multo sanguine tinctam, deseruit. Achomates jam in murorum pinnis lunam victricem fixerat, cum Martinegi consilio e tectis op-

A) Ricautius Anglus hunc nominat Michaelem d'Agrilmont; additque duo millia hostium cecidisse. Fontanum sequi malui.

A. C. 1522.

pidanorum continenti colubrinarum diſploſione, capta ſtatione dejectus, Rhodiis non incruentam victoriam ceſſit. Nam, nobiliſſimi Equitum aut occubuerunt, aut honeſto vulnere ſauciati fuere. Miris laudibus hoc loco celebrat Jacobus Fontanus, Rhodiæ obſidionis perdiligens Scriptor, Chriſtophorum Waldericum, Equitem Germanum, qui binis ſignis hoſti ereptis, voce, & manu ardens, victoriæ pars magna fuit. Joannes Buochius Eques, Ærarii triumvir, & Turco maſtix (id dignitatis nomen in Britannica legione fuit) cum aliis dicitur cecidiſſe.

Solymanus ſuorum ſtragem vindicaturus, convocato Ducum omnium conſilio, ſupremam oppugnationem decernit. Inſolita in caſtris concurſatio, fremitusque barbarorum non fefellit Liladamum, quidve agitarent tanta ſolicitudine, e Chriſtiano captivo, ad mænia repente ſilentio noctis, intellectum fuit. Igitur Liladamus urbem, ſuis ruinis conſepultam, adverſus maximam hoſtium vim defenſurus, fortiſſimos Equites hortatur, patriæ, ſalutis communis memores, ſuam ſtationem, ut quam ſtrenuiſſime tueantur. Hac unica pugna victoriam partum iri. A) Dubia adhuc luce, ſigna hoſtium canere, clamor Janicsarorum audiri, armatos properare in diruta mænia. Quinis locis impreſſio ſuſcepta: at nusquam atrocius, quam in Hiſpanorum, ac Italorum ſtationes furor eo die deſæviit. Muſtapha ſuperiorum dierum ignominia ferox, pugnam accendebat, Hiſpanosque vehementiſſime urgebat. Janicsari, Principe viro tormenti globo interempto, in ultimum furorem acti, frameis cædem late circumferunt. Hiſpani contra recenti manipulo adjuti pari animo, & virtute repugnant. Non Sacerdotibus, non fœminis, non pueris otium erat. Haud procul inde incredibili pertinacia Italos diſtinebat Pyrhus, ut ne laborantibus Hiſpanis opem ferrent, etſi ſubeunti diſcriminis, ac laboris ſumma incumberet. Conferti ordines deſtinatis ictibus ſternuntur, ſulphure candenti, pice liquata, oleo ardente ferociſſimi militum excepti. Non alia pernicioſior peſtis excogitari potuit. Quippe ubi ſulphur veſtes corripuit, mox propagato incendio acerbiſſimis doloribus corpora aduſſit, ut prope amentes, projectis armis, mare peterent. Nec aliter malum ſopiri potuit. Inter hæc, dum Magnus Magiſter cum Anglis ad D. Athanaſii B) portam, bellicæ virtutis ſpecimina edit, trepidis nunciis accipit, Hiſpanorum propugnaculum amiſſum. Ad illud recuperandum celeriter accurrit, prælium redintegrat. Turcæ loco ſuperiores trucem ululatum edentes tela jaciunt. Hugo Caponus, Hiſpanæ legionis Tribunus, cum Cretenſibus irrumpit, hunc ſecutus Aliorus, Hugonis popularis, cum cohorte e turri S. Nicolai adducta, Turcas in anguſtum redactos ferro confodiunt, triumphum canentes e propugnaculo cum ſignis deturbant. Solymanus, qui pugnam ex edito ſpectabat, cum videret fluctuare vexilla, militemque fugæ accinctum, receptui cecinit, amiſſo militiæ flore. C)

Ira, indignationeque ardens, fruſtratæ oppugnationis culpam, totque ſuorum interitum Muſtaphæ attribuit, qui ſolita adulandi arte perſuaſerat, Rhodum dedendam modo exercitus in inſulam deportaretur. Hæc illi ſive inconſulta credulitas ſive vetus aulicorum vitium, fere capite conſtitit. Sagitis configendum lictoribus tradidit miſerum, jamque manum admoverant illi, cum Pyrhus ferali mandato precibus interceſſit, vitamque, dignitate, & gratia multum imminuta, exoravit. At Ottomanicæ claſſis Præfectus meritas ſuæ vecordiæ pœnas dedit, quod non auſus occurrere Andugo, homini Rhodio, commeatus urbi inferri ſit paſſus. Cæſus fœdum in modum fuſtibus, & virgis in puppi prætoriæ navis, imperio maris excidit. Adeo QUIDQUID fortuna peccat, Ducibus eluendum eſt. Poſt tot

A) Solymani, & Liladami dictiones ante univerſam oppugnationem refert Fontanus L. II. B) Anglicanum, Britannicum propugnaculum, Porta D. Athanaſii diverſa nomina, eadem res. C) Fontanus haud veretur ſcribere: viginti millia hoſtium trucidata. Robertus Peruſinus in oratione ad Hadrianum Pontificem dicta, decem millium meminit. E Rhodiis ſolum centum quinquaginta gregarios, præter aliquot Equites occubuiſſe idem prodidit. Tentata hæc irruptio viceſima Septembris. MDXXII.

tot sinistros insultus, Solymanus animo concidere, reditum Byzantium meditari immemor sacramenti, quo se nuper obstrinxerat. Verum Achomates ingens Ottomanici nominis dedecus interpretatus, si tanta præda e manibus laberetur, eum ab indecoro consilio mira, qua valebat, eloquentia revocavit. Itaque mutata sententia ad pristinam ferociam rediit. In Phileremi montis vertice arx cœpta est extrui ingenti opere, & impensis, ut vel inde pro certo haberent Rhodii, Imperatorem obsidione pressurum urbem, neque frigoribus sævientis brumæ cessurum. Achomati interim visum erat, nova irruptione præsidiarios territare. Rursus non dum obducta vulnera recruduerunt: victoria penes Rhodios fuit; Turcæ quinis millibus amissis in castra compulsi. Deinceps non ausi irritare aperto Marte fortunam, perductis ad munimenta fossis, murum alterum dolabris subruerunt, obsessosque in angustum admodum spatium redegerunt, igne, ferro consumptis operibus, quæ ultima necessitas in tantis rerum angustiis excogitavit. Neque quid primum, quid deinde vi ingruente defenderent, satis scire poterant. Nam latitudo spatii ab hoste occupati intra urbem, facile ducentorum passuum erat; longitudo centum supra quinquaginta.

A. C. 1522.

Solymanus subinde e consilio Pyrhi clementiæ famam sibi comparare studens, Hieronymum Moniliam Ligurem, quem captum in castris habuerat, excubitores propius accedere jubet. Is petita, & impetrata facultate tuto colloquendi, ajebat, se velle quædam conferre cum Mathæo de Via populari suo. Torovius Eques, vir ingentis animi, intempestivum colloquium tormenti ictu abrupit. Sed non idem ardor civium animos insedit, qui pone adstiterant. Fessi tot malis, finem calamitatum optabant, Equitesque non paucos in suas partes pertrahebant, potissimum cum spes vitæ, fortunarumque affulgeret, si urbs dederetur. Ergo frequentes Magnum Magistrum circumstant, urgent: cederet necessitati, se una cum modica manu præsidiariorum civium, Reipub. Christianæ servet. Consuleret sibi, fortissimoque manipulo jam ad incitas redacto, quandoquidem ejusdem bellicosi Ducis sit, offerre se periculo, cedere dum superare nequit. Etiam, atque etiam videret, ne quam ipse generositatem existimat, temeritatis nomine verius appelletur. Uti ab ipso optimi Ducis, ita ab se fortium militum partes sextum in mensem abunde expletas. In arctum conclusos vix spirandi, ne dum repugnandi potestatem adesse; nec exigi posse, ut monumentis omnibus convulsis, hostili ferro jugulos subjiciant. Parceret sanguini miserorum, cui ipse hostis parcere exoptat. His permotus Liladamus, Oratores ablegat in castra Antonium Groleum, Rosbertum Perusium, utrumque Græci sermonis peritum. Solymanus, iræ impotens quærit: *ecquid illorum adventus vellet?* reposuere Legati: *se missos a Liladamo, ut rescirscerent, quam ob causam colloqui postulaverit?* ille quasi ignarus quid actum esset, eos castris excedere jubet; datis ad Magnum Magistrum literis (qui stilus est iræ) perbrevibus, ac decretoriis, quibus jubebantur Rhodii arma ponere, insulamque Turcarum clementiæ, fideique committere. Ut de summa rei deliberare possent, induciæ concessæ.

Celerior præter opinionem in urbem reditus Oratorum, in plura studia, ac partes civium animos distraxit, curiose indagantes, quid rerum in communem salutem egissent. Fit ingens concursus ad prætorium. Submota multitudine civium, nobilior pars admissa. Liladamus laxatis epistolæ vinculis ad verbum ambitiosi Imperatoris minas recitat apud frequentem Ordinem. Haud mediocriter omnium, qui aderant, animos exterruit. Mæsto silentio defixi non vocem edere, non animi sensa explicare poterant. Tum ille: *aut parendum fortioribus, aut fortiter moriendum est nobis. Spes omnis victoriæ intercisa, nisi extra subveniant auxilia. Si mea sententia standum putatis commilitones, Rhodiique magnanimi; nobilitatem a Majoribus nostris acceptam, bellicam laudem domi, militiæque partam tuebimur; ferro vincendi, vivendique finem facturi.* Perquam paucis isthoc consilium arrisit. Metu attoniti in terram ora defixerant. Græcorum Antistes

A. C. 1522. tistes Clemens, cunctantibus aliis Rhodiorum causam egit: *non irritandam,* inquiebat, *victorum ferociam pervicaci temeritate. Ambabus ulnis amplectenda, quæ ultro Solymanus obtulit. In beneficiis numerandum, quod opes, libertatem, vitam denique ipsam concedat. Hæc omnia jure belli hostium esse. Intra mænia, iisdem fere sub tectis, victores cum victis stationes obtinere. Milites, cives labore sex mensium fatigatos, amplius non posse sustinere vim hostilem. Præsidiariorum plurimos occubuisse: superesse paucos, quorum corpora exanguia, tot vulneribus perfossa, tot cicatricibus deformia vix armis gerendis sufficiunt. Ageret Magnus Magister, & bellicam laudem, quam maximam consecutus est apud Rhodios, insigni beneficio absolveret, pactionibus Solymani quam primum subscriberet.* a)

Ut finem dictioni Græcus imposuit, nescio quis e trivio, nam plebs rumorum cupida arceri amplius haud potuit, intercessit, clamitans: *Ottomanorum fidem omni aura leviorem, fœderum sanctitatem e suo duntaxat commodo metiri. Involaturos in omnium fortunas, liberos, uxores, si Rhodo potiantur. Meminissent quanta perfidia superiori anno illuserint Belgrado. Præstare generosa morte in armis defungi, quam servitutem perpeti, aut pecorum ritu inermes turpiter trucidari.* Quanquam veritati accederent, quæ dixit, tamen haud parvam creabat molestiam civibus, in dedendam urbem sua sponte propendentibus. Confusis itaque vocibus deditionem urgent, præcipue seniores, queis ob ætatem, & auctoritas major, & excusatio honestior ab armis, idem suadebant. Liladamus quid agendum foret in sanctiori consilio rogavit, omnium suffragia eo spectabant, ut urbs tradatur; maxime postquam Prejanus, Gabriel Tadinus retulerunt, lacera magnam partem mænia, objecta munimenta defendi non posse. Dum hæc maxima contentione aguntur novum belli incendium exarsit. Fornonus Gallus indignatus barbaros propius accedere urbem, in confertam multitudinem, telorum vim effundit. Eodem tempore e Creta Alphonsus Hispanus, faventibus ventis centum Italos in portum Rhodensem invehit. Tum enim vero conclamatum ad arma: Turcæ sine signis, sine Ducum Imperio in Rhodios impetum facere, opera male cohærentia diffringere, excidium ultimum minitari. Plus tamen tumultus, quam pugnæ fuit, cum viderent Liladamum cum Equitibus approperare. In castris tres Rhodii violatas inducias luerunt. Naribus mutilati jussu Solymani, in urbem remissi. Verum posteaquam Nicolaus Vergotus, & Georgius Sangriticus, cives Rhodii, urbis tradendæ pacta attulissent, Solymani furor detumuit. Is numerosum inter exercitum, prætoria cohorte auro, nitidisque armis ad pompam, & terrorem pone tentorium excubante, deditionis conditiones DEO, & Mahomete testibus confirmat. Nempe: sacras ædes avito suo cultu, Religione, nunquam spoliatum iri, neminem unum cogendum ad Mahometis legem, nec rapiendos tenuioris ætatis adolescentes a suis parentibus, aut bello aptos ad delectum vocandos: sub Turcarum potestate mansuros quinquennio integro a vectigalibus liberos fore: abituris cum supellectili, liberis, uxoribus naves, commeatus dandos in insulam Cretam. Punica fide omnia præstitere. Effracta Cosquinii propugnaculi porta, die nascenti Domino sacro, magno numero irrumpunt. In prædam effusi civium ædibus, templis vastitatem, cædem inferunt. Principem urbis Basilicam non minus pretio, quam arte celebrem, sacrilegis manibus deformant, everso Mausolæo Magistrorum.

Liladamus haud secus discrimine Equitum, quam suo territus, Victoris iram placaturus, humilem vestem indutus, supplicanti similis, in castra abit. Ægre admissus in alloquium, postquam Solymani dexteram osculo strinxisset, ætate, canitie, eloquentia, & super hæc omnia, re militari insignis, admirationi fuit, militisque animum mitigavit. Viri modestia delectatus Imperator, multis agebat, ut suas partes amplecteretur, non defuturas dignitates, quibus tantum Principem sua in aula ornaret. Incassum hoc

a) Hæc more suo copiose prosequitur Fontanus, & utriusque orationem recitat.

hoc ariete Herois virtus pulſabatur. In urbem reductus militari honore, ipſum Solymanum ſubinde hoſpitem habuit ſua in domo. Quanquam ſimulato animo iſthoc, uti & alia multa, egerit, feceritque. Nam Liladamum cum cæteris Equitibus Byzantium deportandum, clam ſuis in mandatis dederat, & non niſi precibus Purpuratorum motus, pactis conventis ſtetit poſt cruenta fora, templaque, paſſim trucidatis, ut quemque ſors obtulerat. Itaque Magnus Magiſter claſſe quinquaginta navium cum quinis millibus partim militum, partim civium in inſulam Cretam A) Venetæ ditionis deportatur, poſteaquam ducentis ſedecim annis Ordo nobiliſſimus imperitaſſet Rhodo. Narrant Scriptores ipſum Solymanum a lachrymis haud temperaſſe, dum Magnum Magiſtrum annis gravem abeuntem conſpiceret. At crocodili lachrymæ fuerint.

A. C. 1522.

In hunc modum nobilitate, ſcientia militari, victoriiſque celeberrimus Ordo inſula exactus eſt, non levi Chriſtianorum Principum probro, qui privatis æmulationibus, belliſque diſtracti, hoc commune Religionis ſuæ propugnaculum nullo loco habuere. Venetis per inducias nihil opis adferre licuit. Adrianus VI. Pontifex naves aliquot armaverat, ſed eas maris tempeſtas in portus rejecit. Rex Anglus, ut procul a calamitate, ita a voluntate ſuccurendi aberat. Spes præcipua in Carolo Hiſpaniarum, & Franciſco Galliarum Regibus erat, ſed ad anchoras nusquam ſolutas, hæſit. B) Ferunt Andream Amaralum, Priorem Caſtellæ, & Ordinis Cancellarium, perniciem urbi creaſſe, prodita præſidii tenuitate. Adeo hominem ambitioſum inſana æmulatio uſſit, ut ſe, Ordinemqne ſuum perdere nihil penſi habuerit. Proditionis convictus, cum famulo ſuo, facinoris conſcio, capite truncatur. Proditioni alteram labem addidit. Ejurata Chriſtiana Religione Mahometanam amplectitur, ejusque retinentiſſimus ferrum excepit: Scilicet PROCLIVE eſt, animum invidia, ambitione, perfidia occæcatum in quodvis flagitium ruere.

Nondum ſubacta Rhodo, valida factio incubuit in Regulum Dulgadirenſem c) Alimbegum, qui e domo Aladeulis prognatus, ad Euphratem nobiliſſimæ provinciæ hæres fuit, ſummaque fide in Ottomanos, & pace regnavit. Delatus is fuit falſo crimine, quod alienus a Solymano res novas meditaretur; cum Perſis clandeſtina agitaret conſilia, haud dubie in perniciem Byzantini Imperii evaſura, ni obex ponatur. Acceſſit ad tacitas delationes, aperta illius imperitandi more ſuorum Majorum cupiditas, qui etſi Mahometani, tamen perſæpe bello concertarunt cum Ottomanis, accitis exterorum auxiliis. Atque iſtud Regulo viam ad interitum ſtravit. Miſſus cum exercitu Ferhates Euphratem verſus, ut eas provincias in officio contineret, neve Perſæ Rhodo obſeſſa irruptionem facerent, cum non procul a Reguli ditione caſtra feciſſet, ſimulato graviſſimo morbo Alimbegum amiciſſimis literis, ad ſe, ut inviſeret, rogat: velle ſe de rebus non ipſi minus, quam toti Imperio utilibus conferre; & cum ultima fata inſtent, exercitum ipſius fidei permittere. Paruit immatura credulitate, Turcicarum fraudum imprudens. Cum duobus filiis, quos ſecum adduxerat, feralem ictum ſubiit, nullius criminis reus, nedum convictus. Hoc turpiſſimo facinore ingentem terrarum tractum occupavit, & ſine ſanguine ſuorum victor ad Solymanum rediit, quem triumphantem Rhodia in urbe vidit, & Conſtantinopolim comitatus eſt.

Jam in triſtes Hungariæ campos mihi ſeducendus eſt Lector, in quibus Mars Ottomanicus, toto furore in univerſam gentem detonuit. Poſt

1523.

P 3 captam

A) Fontanus L. III. Rhodiorum exulum fortunam proſequitur, nos alia revocant. B) Iſtvanffius noſter Lib. VII. hunc in modum ſcribit: „ Et quamvis Rhodus a fortiſſimis Equitibus alba cruce ſignatis, eorumque Principe, quem ipſi Magnum Magiſtrum vocant, Philippo Villerio Liladamo natione Gallo, acerrime & pertinaciſſime defenderetur, tamen poſt toleratas ſex menſium atrociſſimæ oppugnationis aſperitates, nemine ex Principibus Chriſtianis in auxilium clariſſimæ urbis adcurrente, quod ii civilibus bellis implicati, armis inter ſe dimicarent, in manus Solymani devenit. „ Vide etiam Brietium. c) Annales Turcici, codex Verantii. Dulgadiria, ut ait Verantii codex, urbem Maraſſum, a Marſya fluvio dictam, Metropolim habet propter Euphratem in Armeniæ, Cappadociæque finibus.

A. C. 1523. captam Rhodum animis, opibusque elatus Solymanus, exploratam Oceano fortunam, terrestri expeditione tentaturus, validissimum exercitum in Hungariam effudit, ac uno certamine pristinum gentis decus, & vires cum Rege succidit. Levibus præliis fatali pugnæ prælusum fuit. In Illyrico A) Ostervicíam arcem cum oppido hoc eodem anno ceperant Turcæ, tum quod a paucis defenderetur, tum quod auro corrupti aditum præbuerint. Nempe EXPUGNATIS animis, facile mœnia cadunt. Tinninium, & Krupa præsidiariorum virtute defensa, hostium progressus stitere.

1524. Nec post multo Ferhates, Bosniæ Præfectus collectis quindecim equitum millibus, ac mille peditibus trajecto Savo Sirmiensem agrum populabundus invadit, relictis ad custodiam navium, quibus flumen superavit, quingentis circiter peditibus. Paulus Tomorius B) explorato hostium consilio, suos maxima celeritate contrahit. Georgium Battyanium Varadinensem Præfectum ad naves intercipiendas, aut cremandas immittit. Ipse in Ferhatem incendiis, populationibus cædem, & metum per Sirmium circumferentem movet. Vix aliquot leucas emensus servatis militaribus ordinibus, in velites impingit. Hi nullo commisso certamine, præcipiti fuga ad Ferhatem recurrunt trepide nunciantes: hostem in propinquo adesse, ac acie instructa procedere. Nihil territus ille sparsos, palantesque revocat, omnibusque copiis pugnæ cupidus obviam procedit. Visa Hungarorum acie Turcæ trepidare, captivos vinculis eximere, spolia, quo ad prælium, aut fugam expeditiores essent, abjicere. Tomorius, & Banffius suos cohortati, ut de prædonibus vindictam sumant; Bodonem, & Bardium, noti in exercitu Regio roboris Centuriones, in hostes ruere, atque in eorum adversa pectora hastas obvertere, dein gladiis rem strenue gerere jubent. Prædatores numero multum superiores nostrorum impetum ægerrime sustinuere. Ferhates fugam circumspectantes confirmat, & pugnam frigescentem voce, manuque accendit. Verum cum fistulatores Hungari plumbearum glandium procellam perpetuo effunderent in fluctuantes, tandem fusi, fugatique Istrum petunt. Ferhates cum paucis ut fuga salutem quæreret, induci non potuit. Circumventus a Bardio, etsi in orbem fortissime pugnaret, non uno vulnere perfossus, sternitur, palpitantique caput præcisum. Amisso Duce reliqui in apertam fugam semet conjiciunt, & citatissimo cursu iter relegunt ad socios. Sed & hos a Battyanio cæsos intelligunt, navibus igne corruptis. Hic primum in latrones ferro sævitum: nonnulli cursu exhaustos sonipedes in flumen agentes, fluctibus absorpti: pauci abjectis armis vincula præ morte habuerunt, reliqui ad unum omnes interfecti, ut ne nuncius quidem cladis, & virtutis Hungarorum in patriam redierit. c)

1525. Turcæ irritati cæde Ferhatis, Jaiczam superioribus annis improspere tentatam, hoc anno rursum majoribus viribus oppugnandam sumpsere, rati intestinis Procerum dissensionibus in potestatem redigi posse, eaque domita totius Bosniæ, Illyricique Imperio potituros. Igitur Usreffus Verbosaniæ Præfectus, Ferhati nuper cæso suffectus, cum Sinane Monasterii, & Balibego Belgradi, Semendriæque Præfectis, coacto viginti millium exercitu ad Jaiczam obsidendam contendit. Præerat loco Petrus Keglevichius vir fortis, qui singulari certamine non ita pridem provocatus a Tribuno Turcarum, victor evasit. Hic continuo Ludovicum Regem certiorem facit de hostium consiliis, utque auxilia in tempore mittat, festinatis nunciis flagitavit. Rex etsi nihil dubitaret de Pro Regum Joannis Karlovichii, & Francisci Battyanii fide, ac militari virtute, tamen munus Jaiczæ obsidione dejiciendi hostes, Christophoro Comiti Frangepano commendavit. Is accitis undique legionibus, exercitum sedecim millium summa festinatione conflavit, septimisque castris haud procul Jaicza consedit. Turcæ equestri certamine congressi, victoriam, majoris augurium, nostris reliquere. Interea obsessi magis

A) Istvanffius L. VII. B) Paulus Tomorius spectatæ virtutis militum Ductor, Monasticen amplexus fuit. Volente Ludovico Rege infula Colocensi ornatur, ut regionem Turcis vicinam non verbo modo divino pasceret, sed ferro etiam tueretur. c) Istvanffius eodem loco.

gis fame, domestico malo, quam ab hoste premebantur. Igitur Frangepanus, ne arx in conspectu nostrorum dederetur, commeatu recreandos censuit. Res e sententia cessit. Petrum Krusichium, attributis peditum validis cohortibus, inferendæ annonæ præfecit, ipse majorem exercitus partem in aciem collocat, quasi castra Turcarum oppugnaturus. Barbari non detrectantes pugnam extra vallum progrediuntur, ac tribus horis acerrime dimicant. Oppidani in omnem occasionem intenti, eruptione facta Krusichium cum commeatu, & centum peditibus accipiunt, eundemque sub æstu pugnæ incolumem dimittunt. Usreffus nihilominus nondum capiendæ arcis spem amisit; existimans Frangepanum abducturum copias. Sed non is erat, ut obsessis auxilia ostentaret potius, quam ferret. Quapropter cum intelligeret barbaros haud abituros, nisi vi admota cogerentur, suos in aciem disponit, signisque expansis in Turcas procedit. Commisso prælio extra vallum castrorum, pari fortitudine plures in horas pugnatum fuit, donec Usreffi Legatus pila colubrinæ ictus, signum fugiendi dedit. Frangepanus sublato clamore perculsis instat, cæsisque aliquot Signiferis in palantes summo impetu fertur. Usreffus, & Balibegus periti viarum, amisso milite in avia se se recipiunt. Sinan interfecto, quo vehebatur, equo, pedes & vulnere leviter saucius ægre victorum manibus elapsus fuit. Frangepanus ob hanc victoriam amplissimis muneribus, tituloque Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ defensoris ornatus fuit. Battyanius, Karlovichius, cæterique Duces muneribus donati, fortitudinis præmia retulerunt. E spoliis utriusque victoriæ, Ludovico Regi arma auro, argentoque illusa, Usreffi tentorium Phrygia acu affabre elaboratum, signa præterea centum hosti erepta, Budam transmissa sunt, quæ illum, Proceresque mira voluptate affecerunt.

A. C. 1525.

Binis his expeditionibus favit fortuna Hungaris, ut in victoriæ dulcedine allectos crudelius sæviret, unoque ictu nobilissimam gentem in Mohacsiensibus campis in decumanas calamitates præcipitaret. Nihil profecto luctuosius suis in fastis habet Hungaria, quam summam in fatali arena Regis Ludovici, & Procerum utriusque Reipub. jacturam. Hanc Majorum cladem ubertim stylo prosecuti sunt tum patrii, tum exteri Scriptores; A) nos eorum vestigia prememus. Solymanus acceptæ injuriæ, qua Legatus ejus affectus erat, fœderisque rejecti memor, ut primum Rhodo Byzantium rediit, curas omnes bello adversus Hungaros reparando impendit. Postquam ex Asiæ, Europæque provinciis grandis B) exercitus confluxit, repente Janicsarorum seditio, nescio, quas ob causas, oritur. Aigatis Bassæ, supremique Thesaurarii ædes invadunt, arcas effringunt, omnia pro libidine diripiunt. c) His spoliis succensi, postridie illius diei, nocte animos addente Ibrahimi, & Mustaphæ Purpuratorum domicilia pari audacia aggrediuntur, nemineque obsistere auso fores evertunt, trucique ululatu Byzantium complent. Sed sive flagitii conscientia deterriti, sive authoritate Imperatoris ad officium revocati, omni præda, quæ amplissima aderat, abstinuere, redactique in ordinem, domesticam pacem ferocia excussa amplexi sunt. His turbis prospere sopitis, in Hungariam ducit. Imposito festinatione operarum Savo ligneo ponte, universas copias cum æneis machinis Petro Varadino admovet, ac decem dierum verberatione mænia vetusti operis evertit. Benedictus Alapius loci Præfectus deditionis admonitus, cum nollet hostium fidei suam, suorumque salutem permittere, a Janicsaris assilientibus mænia, & urbem, trucidatur cum paucis præsidiariis, inspectante Solymano.

1526.

Rex Ludovicus per celeres nuncios certior factus, de infesto Ottomanorum motu, cum domesticas vires hostium conatibus impares sentiret, exterorum auxilia solicite circumspexit. Ad summum Pontificem Clementem

A) Dilucide hanc cladem descripsere Brodericus, Istvanffius, Sambucus, Dubravius, Neugebauerus, & alii non obscuri nominis Historici. Steph. Brodericus Regni Cancellarius, & Episcopus Paciensis prælio interfuit. B) Annales Turcici non nisi quinquaginta, vel sexaginta millium exercitum fuisse dicunt. Levi calculo numerum initum puto. Nostri Scriptores ducentorum, vel trecentorum millium fuisse prodidere. c) Annales iidem.

A. C. 1526. tem VII. jam antea Stephanum Brodericum; ad Ferdinandum Austriacum, id temporis in Comitiis Spiræ agentem, ac cæteros Germaniæ Principes Thomam Nadasdium; in Gallias quoque Oratorem ablegavit ad Franciscum Regem sibi sanguine conjunctum. Sed adeo omnium animi pernicioso torpore elanguerant, ut laboranti undique Hungariæ, nemo milite, ære (si Clementem demas) succurrerit, totaque belli moles, universæ Europæ formidanda, uni genti, nec satis a milite, cæterisque rebus, quæ belli usus postulat, comparatæ incubuerit. Itaque Rex in Comitiis Budæ celebratis, Proceribus, qui frequentes aderant, declarat: *se pro communi civium salute in castra iturum, viresque pro facultate Solymano oppositurum.* Illi una se profecturos, alacri animo statuunt, utque copiæ calendis Julii ad Tolnam, amplissimum juxta Danubium oppidum, adessent, decreverunt. Jam prope mensis Julius ad finem vergebat, nondum tamen miles in campum prodire, Proceres altum indormire, nemo universæ rei intendere, quasi primum e Caspiis faucibus hostis moveret, nihilque adversi ab armis longinquis metuendum foret. Quinta decima Julii Buda excedit cum Stephano Bathorio Palatino, Ladislao Szalkano, Archi Præsule Strigoniensi, & tribus non amplius armatorum millibus, Tolnamque pervenit acceleratis itineribus, quo sensim exercitus Regius confluxit. Dum Tolnæ copiæ expectantur, Solymanus Ujlakum A) deditione capit, Dravumque ea facilitate, qua Savum superat, cum Proceres inter se non minus animis, quam sententia discordes, Palatini auspicia sequi nollent. B)

Factione in dies crescente, aliud malum Regia castra excepit. Tomorius cum Georgio Zapolyio, Vaivodæ Joannis fratre æquato inter se Imperio, copiis præesse jussus, dimicandi ardore abreptus, Solymano ultro obviandum censet, pluresque suam in sententiam pertrahit obnitente Ludovico. Jam in agro Mohacsiensi castris locum delegerat Tomorius cum septem millibus equitum, qui ad Ducis animum facti, eadem temeritate in pugnam pruriebant, nec admittebant, ut sua castra Regiis conjungerentur, ne hosti terga dare arguerentur. Imo ut Regem sua in castra pellicerent, certam de Turcis victoriam pollicebantur. Ajebant: Solymani exercitum lixis, calonibus constare, paucos armis tractandis idoneos, militiæ robur sub Belgrado, sub Rhodo interiisse, solis annulis Hungarorum obtritum iri, si pugnam ausint. PERITIA Ducum, atque virtute militum congeminari exercitus: & in ipsa multitudine paucos demum illos esse, qui bella conficiant. Orare Regem majorem in modum, ne opportunitatem nobilissima post hominum memoriam victoria potiundi, quorundam inertium hominum consiliis amittat, neve auxilia, non nisi in partem spoliorum legendorum ventura, expectet. Hæc Tomorius; jubenti tamen propior, quam roganti, nec sine minis, si aliud statueretur. Ludovico quanquam Juveni, & belli casus nondum experto, haud placebat tantus pugnandi æstus, sæpeque Vaivodæ, & Frangepani multarum palmarum Ducum consilia repetebat suadentium: *ut ne summam rei universo certamini committat ante, quam vires totius Regni contraxisset. Hostibus nullam pugnandi copiam faciat, donec ipsi in castra venirent.* Consilium profecto Regi, totique Hungariæ saluberrimum. Nam alter e Transylvania justum exercitum quadraginta circiter millium; alter ex Illyrico quindecim millium armatorum adducebat. Sed cæcutiebant ad ista ferocientes. In hac Ducum obstinatione, cum nec consilio jam locus esset, & ex horum hominum arbitrio Ludovicus in omnem, quam vellent, partem raptaretur, instantem calamitatem animo præsagiens, tandem eorum cupiditati cessit. Nondum tamen perpelli poterat, ut in certamen se descensurum ediceret.

Per eosdem dies Joannes Pekrius aliquot annis apud Turcas captus, jam ordinum Ductor, felici astu se in castra Christianorum conjecit. Adductus ad Ludovicum de hostium numero edixit: *si Turcarum omnes vincirentur,*

A) Ujlakum vetus Romanorum Colonia, Mursamque appellatam Lazius putat. B) Brodericus, & Istvanffius L. VIII.

rentur, ut nec ferrum ſtringere, nec armis ſe tueri poſſent, a copiis Ludovici, vix tridui ſpatio trucidandos. Sed adeo Tomorius cum ſuis motus non eſt, ut potius novo æſtro percitus, conſtanter pugnam expoſceret, victoriam ſomniaret, ſpolia, nondum capta, divideret, æger mora, & ſpei impatiens. Interim copiæ Hungarorum in dies augebantur, ut ſumma totius exercitus, ſex, & viginti millium armatorum eſſet. Cum his victoriam ſe reportaturum de infinita hoſtium multitudine Tomorius firmavit, modo ad manus deveniretur. Et jam eo loco res erat, ut ſine ancipiti pugna Hungaris pedem referre non liceret. Quippe Rege ad Mohacſium pertracto, adeo bina caſtra collata erant, ut fremitus Turcarum audiri poſſet. Triduo eo in loco exacto, equeſtri certamine frequenter concurſum fuit, Hungaris ſemper ſuperioribus. Quæ res iterum ſtimulos injecit Tomorio juxta, ac militibus, ut multo ferocius, ac nuper, pugnam depoſcerent. Igitur communi conſilio Ducum dies viceſimus nonus menſis Auguſti, Divo Joanni Baptiſtæ ſacer, decretorio certamini eſt conſtitutus.

A. C. 1526.

Aciei ordinem in hunc modum direxerunt Hungari, ut cornua quam latiſſime extenderentur, ne Solymanus, quod pronum erat in campis Mohacſienſibus, circumveniret militem numeroſo ſuo exercitu. In dextero cornu primi agminis, locati ſunt Illyrici nominis milites, e veteri conſuetudine. Præerat his Joannes Battyanius cum Joanne Tahio. In lævo, Petrus Perenyius decem millia armatorum habebat, inter quos complures primæ nobilitatis viri. Secundum agmen ex totidem fere millibus equitum conſtabat, in quo & Rex erat, cum omnibus fere Præſulibus, & Proceribus triplici ordine diſtinctis. Rex ipſe in medio ſtationem cepit; cujus latus cingebant Palatinus, & Archi-Epiſcopus Strigonienſis. Cuſtodes Regii corporis ex omni numero delecti Caſparus Raikajus, Valentinus Török, Joannes Kallai, expertæ virtutis Centuriones, Regique fidiſſimi; quibus id muneris datum, ut Regem in acie tuerentur, & ſi Marte minus proſpero concurreretur, resque Hungarorum inclinaret, diſcrimini ereptum, in commodum patriæ fuga ſalvarent. Præter hos mille, & amplius equites loricati ſunt adjecti; inque medio hujus ſecundæ aciei, ingens vexillum D. Virginis a Joanne Dragffio præferebatur, cui de more veteri Hungarorum, detracta erant, ne de fuga cogitaret, calcaria. Tomorius, & Scepuſienſis, ut ubique adeſſent laborantibus, nullum delegerunt locum.

Eductis Hungarorum copiis ſub primam lucem, Solymanus ſumma quiete ſuos in caſtris detinuit, quamvis a noſtris infeſto tympanorum ſtrepitu, & tubarum clangoribus, in prælium provocaretur. Jamque Hungari longioris moræ pertæſi, ſpeque fruſtrati committendi prælii, receptui canendum ſtatuerunt; cum ecce! alto jam meridie A) poſt collem, qui mutuum aſpectum ademit, validum equeſtre agmen apparet, quod per ſubjectam colli protenſo vallem, Solymanus ad caſtra Regia infeſtanda dimiſit, ut in acie pugnaturos ad impedimenta tuenda revocaret. Tomorius nondum certus, quo agmen tenderet, præcipiti conſilio, tres ordinum Ductores, quos Regii capitis cuſtodes datos paulo ante diximus, ad hoſtium iter explorandum procurrere jubet. Vix illi paululum cum ſuis turmis proceſſerant, continuo hoſtium ſigna concinere, maximus exercitus ordine militari per collem ruere, ingenti cum fremitu equites, peditesque juſtis paſſibus recta in noſtros tendere occepit. Tum vero uterque Dux ad Regem accurrit, hoſtem in prælium ſuos educere, nunc omnibus viribus utendum, nec de victoria dubitandum ingeminat. Quod nuncium Ludovicus confirmato animo accipiens, invocato DEI nomine, attolli ſigna, tubas inflari intrepidus jubet, galeamque poſcit; qua dum caput munitur, vultu impalluit.

Solymanus ita aciem ſtruxerat, ut eam pro numero militum per vaſtos illos campos, in Lunæ creſcentis formam, latiſſime explicaret, eo utique conſilio, ut Regios & a fronte, & a lateribus terrore aucto impeteret, ſi

A) Annales Turcici memorant die Mercurii hora tertia prælium cœptum, quod & Brodericus affirmat. Leuncl. c. 221.

A. C. si prælium pertinacius protraheretur. Ubi intra ictum jam stabant Otto-
1526. mani, sublato clamore, a prætorianis equitibus prælii initium factum; explosis majori fragore, quam damno, barbarorum machinis. Postquam gladiis res agi cœpta, summa vi amplius horæ unius spatio pugnatum est. Turcæ numero, Hungari virtute valebant; par utrisque animus vincendi, aut in conspectu Ducum fortiter occumbendi. Equites, qui primi in pugnam proruebant, impetu nostrorum obtriti, ad Janicsaros se recepere tanta trepidatione, ut ordines turbarent, Hungaris ingenti animo tergo hærentibus, & in omnem partem metum, & fugam spargentibus. Andreas Bathorius visa hostium trepidatione, ad Regem advolat, primæ aciei prosperos successus refert, monetque: victoriæ insistat, suos in pugnam promoveat. Eo nuncio recreatus, secundam aciem celeriter ad locum, ubi maxime fervebat certamem, ducit. Et jam primum agmen territis, ac disjectis equitibus, Janicsarorum laxatos ordines invaserat, multaque cæde loco moverat, ut non procul ab ea statione dimicaretur, quam Solymanus cum fortissima phalange insedit. Adveniente Ludovico cum robore militiæ, pugna incaluit, junctisque agminibus tanta alacritas, ac fiducia Hungaros accendit, ut altius provecti in peditum cuneos, nonnullos e Solymani corporis custodibus interfecerint, plenæque victoriæ haud dubiam spem dederint.

Cum repente e castris, fugitivorum turba accurrit; capta ea cum impedimentis, & defensores ad unum cæsos magnis clamoribus divulgat. Etenim agmen illud, quod Solymani jussu per vallem incesserat Duce Balibego Belgradi Præfecto, missum erat ad castra diripienda, ut diximus, atque is, cæsis qui sarcinis custodiendis relicti erant, omnia turbat, calonum, lixarum gregem invadit, victorque perculsis instat. Rumor hic diditus, dextrum cornu vehementer perterruit, militemque sua recuperandi cura a prælio avertit. Eodem tempore tormenta Turcarum soluta, timorem auxerunt adeo, ut plerique gemino malo circumventi fuga dilaberentur. Neque tamen ea trepidatio cæteris animos ademit. Quo inierant prælium animo, eodem continuant; jamque prope erat, ut æneas machinas occuparent.

Visa sociorum constantia, iterum in pugnam redeunt perculsi, stragemque in prætorianis accumulant. Sed pilarum tempestas tandem Hungarorum aciem infregit, atque in apertam fugam compulit, sole in occasum vergente, postquam tribus horis acerrime pugnatum. Rex Ludovicus, qui nondum prælio excesserat, ut suos palantes vidit, ipse quoque sonipedem vertit. Ottomani visa nostrorum fuga, incertum, an pugnando fessi, an vulneribus debilitati (quippe nec illis incruenta A) victoria fuit) vel insidias veriti, diu in acie perstiterant, & non nisi primis tenebris sparsos persecuti sunt. Ceciderunt partim in acie, partim in fuga decem millia equitum, ac circiter duodecim millia peditum: e nobilitate clari nominis amplius quingenti, cum majori Præsulum parte. Amissa tormenta octoginta majora, minora sexaginta. Cladem auxit infelix Ludovici Regis fatum. Hic profligatis rebus sibi consulturus in vicina palude, Cselye appellata, cum in altiorem paulo ripam eniti conaretur, equo cum sessore lapsu corruente, ita ut erat totus etiam caput armatus, in aquæ lutulento gurgite depressus, & suffocatus, anno ætatis vicesimo, mense secundo interiit, Princeps longiori vita dignus. Cetricius Silesius, qui unus Regem comitabatur, reliquis cæsis, ægre eluctatus in adversam ripam, cum opem ferre non posset, locum notaverat; hujus indicio corpus Regium repertum, ac Albam Regalem devectum, Mausolæo Regum Hungariæ coditum fuit. In captivitatem pauci redacti sunt, Solymano severo edicto prohibente, ne quis captos in castra deferret, sed omnes ferro immolarent. B)

Soly-

A) Referunt Annales multa millia ex utraque parte cæsa, plura vulnerata, quod postremum de Turcis verum existimo. Nam ex Hungaris pauci admodum cædem evaserunt, sed plerique trucidati. B) Istvanff. L. VIII.

Solymanus victoria tumidus in omnem late viciniam prædatoria agmina diffundit. Iis revocatis, paucis post diebus, altius se in Hungariam induit, ac septimis castris Budam omni præsidio destitutam triumphantia signa infert. Nam Regina male sibi metuens, continuo Posonium cum paucis Proceribus discessit, ut rumor infausti prælii in urbem advolavit. Secuti Reginam, populus, miles. Tantum potest in animis timor. Hic rursus equites, peditesque ad regionem ferro, & flamma evastandam proficisci jubet. Quidquid inter Danubium, & lacum Balatonem jacet, tristibus flammis colluxit, incolæ in servitutem rapti cum non contemnenda præda. Quod illi tanto securius, ac ferocius præstitere, quanto magis Hungarorum animos obtorpuisse vident Rege interempto. Ad Marothum Archi-Episcopale municipium victoribus restitum. Confluxerant eo circiter viginti quinque millia accolarum, locumque, alioquin angustum, consociatis viribus probe muniverant, ut sæpius eruptione facta justis præliis hostem vicerint. Adductis demum majoribus machinis, pertinacia fracta, expugnataque, internecione cæsi sunt. A. C. 1526.

Inter hæc in Asia Calender Zelebis seditione mota, res domesticas turbaverat ingenti Europæ commodo; ad quas sedandas cum justo exercitu opus foret, Solymanus quarto decimo die post, quam Budam ingressus est, trajecto Danubio ulteriorem Hungariam pari sævitie vastavit ad Tibisci A) oram; deductisque præsidiis ex omnibus locis, quæ Dravum inter, & Savum cepit, victorem exercitum primum Adrianopolim, dein Byzantium movit. Avexerat secum Buda simulacra B) Apollinis, & Herculis, quæ Jacobus Tragurinus Dalmata Mathiæ Regi hujusmodi elegantiarum studioso ex ære conflaverat. Hinc erroris argueris illos, qui scribunt, statuas fuisse Ludovici II. interempti, & conjugis ejus. Fuit hæc, si unquam alias luctuosa expeditio in Hungariam, qua robur militiæ, flos nobilitatis cum Rege, una dimicatione succisa sunt, ac extincta, ut adeo nemo fuerit, ad quem magnitudo cladis non pertinuerit. Jam si rite calculum ineamus cæsorum, & captorum, facile ad ducenta millia numerus excrescet.

Byzantium redux Imperator, curam vertit ad seditionem Zelebis extirpandam, quæ tenuibus initiis cœpta, in dies vires sumpsit, & in Natoliam regionem diffusa, populum bello lætum, in arma traxit. Tanto molimini pares animos res duæ suffecerunt: altera, quod Solymanus militem in Hungariam eduxerit, nullo præsidio Natolia firmata. Altera, quod inter suos commilitiones nobilitate facile Princeps (nam originem suam ad Chasin Bectasen referebat, qui Orchani Turcarum Principi album pileum C) imposuerat) in suam sententiam omnes pellicere, atque contentione illorum provinciam milite vacuam opprimere posset. Erat Zelebis ex eo genere Religiosorum, quos Calenderes vulgus appellat. Hi ab omni voluptate venerea, illecebrisque abhorrentes videri volunt, miramque morum modestiam præseferunt. Ædiculas admodum angustas incolunt, ubi precationi, cæterisque pietatis officiis, ab hominum turba remoti, liberius vacant. Tunicas gestant cuti adstrictas, & breves sine manicis, ut saccis insutos crederes. Pileis utuntur albi coloris D) ad morem Græcorum Sacerdotum; nisi quod crinibus equinis ornati, vultum non nihil obnubant, ne indicia scelerum, quæ in vultu legere solemus, in omnium oculos incurrant. Ferreos deinde annulos auribus, collo, brachiis induunt; digni, qui in ergastula compacti, his perpetuo vinciantur. Ut primum Zelebis signa seditionis sustulit, sparsi per Imperium Turcicum Calenderes propere coeunt, egentissimus quisque ex plebe, & pessimi servitiorum spe prædarum turbas augent, arma circumferunt, & in audaciæ præmium Natoliam sibi pollicentur. Præfecti, 1527.

A) Ita Brodericus. Istvanffius solum meminit pontem Danubio inter Pesthum, & Budam impositum. B) Siglerus in sua Chronologia tertium addit, nempe Dianæ. C) Album pileum cœperunt gestare Turcæ anno 1329. Primus Orchanes a Bectase Mahometanæ sectæ studioso accepit, utque inposterum hujus generis pileis uterentur Janicsari, lege sancitum esse contendit Leuncl. c. 21. Recole ea, quæ narravi ad annum 1493. in Bajazethe II. D) Leunclav. c. 171. §. 2.

A. C. qui primos seditionis motus cum armatis componere nitebantur, fusi, testes
1527. potius regionis occupatæ, quam vindices ad Solymanum recurrunt. Ibrahimo cum exercitu festinante nondum Zelebis ad mentem rediit, sed orsam telam pertexturus manus conserit cum Duce, a quo cum suis uno prælio deletus, exemplum posteritati reliquit: ALTOS spiritus non nisi magnis, validisque viribus ali posse. A)

1528. Solymano Byzantii agente, nondum afflictæ Hungariæ malatia sua constitit. Novis identidem jactata turbinibus, dum portum sedulo circumspicit, pene naufraga interiit. Pars Procerum Joannem Zapolyum, Transylvaniæ Vajvodam, opibus, nobilitate potentem in Regem deposcit: pars altera Ferdinandum, Archi-Ducem Austriæ, Regem Hungariæ eligit, & utrumque Regiis insignibus ornat. Cum neuter dignitate, Procerum suffragiis obtenta, cedere, nec parem ferre vellet, in mutuam æmulationem exarserunt, & quidquid virium inerat Hungariæ, domestico bello attriverunt. Longum foret utriusque Regis secundam, sinistramque belli fortunam enarrare. Illud adjecisse sufficiat: Joannem a Ferdinando felicitate armorum victum, ac profligatum in Poloniam ejectum, non tamen spe dominandi penitus eversum fuisse. Is se receperat ad Joannem Tarnovium, Cracoviensem, ut vocant, Castellanum, sive Palatinum, summumque exercitus Polonici Ducem. B) A quo magnifico, propeque Regio exceptus hospitio, oblivisci potuisset exilii sui, nisi novis regnandi illecebris abreptus fuisset. Neque Sigismundo id temporis Poloniæ Regi gravis hospes fuerat, imo Tarnovii studium adversus Joannem non ambiguis votis, & studiis promovit. Induci tamen non potuit, ut exulis causam armis sumptis defensum iret, ne videlicet apud Austriacæ Domus Principes, quibus veteri amicitia junctus erat, in offensionem incurreret. Annus jam se circumegerat, ex quo Joannes regno exutus, in Polonia rebus suis opem quæsivit. Invisebant ad eum non Hungari modo, sed & Poloni Proceres, quos inter eminuit Hieronymus Laszkus Siradiensis Palatinus, vir bello, pace clarissimus, ac rebus agendis singulari prudentia. Cum hoc crebro miscebat consilia de recuperando Hungariæ regno. Cum spes auxiliorum a Principibus Christianis nulla adesset, placuit Laszko, Solymani opem implorare, C) cujus armis in pristinam dignitatem reponi posset. Spondet præterea se Byzantium iturum, ac rem ex animi sententia confecturum. Nec pluribus opus erat. Applausit Joannes vecordi consilio. Laszkus post brevem moram itineri se accingit, trajectoque Danubio, Bulgariam emensus D) Constantinopolim tenuit vigesima secunda Decemb. MDXXVII.

Forte in Ludovicum de Gritti Venetum; Ibrahimo, Purpuratorum Principi, perquam charum incidit. Hunc sua eloquentia, blanditiis, quibus plurimum poterat, sibi conciliarat primum, tum de sua legatione certiorem reddit; altum nihilominus tacuit de auxiliis petendis contra Ferdinandum, solum commemoravit, se Joannis nomine velle amicitiam inire cum Solymano. Daret interim operam, ut Ibrahimo hac super re colloqui liceret, modumque ostenderet, quo rite fungeretur munere suo. Non sine maximis difficultatibus, potestate conveniendi Ibrahimum, cæterosque Purpuratos facta, insolita libertate loquendi usus, summam legationis explicat, oratque, Ibrahimum præcipue, ut Joannem Regem in amicitiam, ac societatem accipiant, eamque apud Solymanum firmam, ratamque faciant. Sed cum Purpurati amplissima munera ab Oratoribus expectent, nec promptam adhibeant operam hujusmodi negotiis tractandis, nisi spe prius quidpiam momorderint, multis sane diebus inter spem, & metum Laszko colluctandum fuit. Nam nisi eorum favores auro coemas, vix quidpiam commodi in rem tuam exsculpes. Adeo plerique hoc hamo capiuntur, & partem in om-

A) Annales Turcici, & Codex Verantianus. B) Istvanff. L. IX. C) Laszkus hujus tam fœdæ, tam perniciosæ legationis author fuit. Joannes in eandem perductus sententiam illud Maronis, vultu subtristi usurpavit: Flectere si nequeo Superos, Acheronta movebo. Istvanff. Lib. X. D) Bethlenius memorat, feliciter Constantinopolim Laszkum pervenisse, fortassis, quod rebus omnibus spoliatus, vitam servarit?

omnem pertrahuntur. Nonnulli Primorum aperte quærebant: num A. C. munera Imperatori, Purpuratisque attulerit? quæ vectigalia quot annis 1528. Joannes pendere vellet? ad quæ Laſzkus intrepido vultu repoſuit: *nulla ſibi munera adeſſe, imo ſe non vana ſpe niti, quæpiam a Purpuratis accipiendi. De vectigalibus, ne ſermonem quidem fieri oportere. Joannem Regem ejus animi eſſe, ut regnum cedere cuivis mallet, quam iſthoc dedecore ſe, Hungariamque afficere; neque Imperatorem admiſſurum, ut Hungaria tributo opprimatur, ærarium Regium exhauriatur, ſi fœdere percuſſo, Joannem throno ſuo reponendum exiſtimet.* A) *Grande commodum nihilominus in Imperium Ottomanicum promanaturum, quod Rege amico uſuri ſint, nihilque hoſtile ab Hungaria formidaturi.*

Mutuis altercationibus transacto menſe uno & amplius, tandem adit Solymanum comitantibus Ibrahimo, Aya, Purpuratis, & Beglerbego Natoliæ. B) Hominis legatione delectatus, tam facile opem ſuam addixit, quam facile vulpes pirum comeſt. Quanquam a principio haud ſe magnopere Legato honorificum, aut facilem per Purpuratos præbuerit, ſive ut beneficio ſuo commendationem a difficultate captaret, ſive re vera de Joannis fide dubitaret. Ibrahimus interim fœderis tabulas rite confecit, jurejurando firmatas, & Laſzkus mutuo Regis ſui nomine, juramentum præſtitit vigeſima nona Februarii. Hunc exitum ſortita eſt infauſto conſilio ſuſcepta legatio, non Hungariæ modo, ſed Auſtriæ, & Imperio Romano pernicioſa. Clariſſimis viris ſui ævi accenſendus fuiſſet Laſzkus, niſi hac legatione labem ſuo nomini inuſtam tumulo intuliſſet. Nondum Byzantio abierat, cum Ferdinandi Regis Orator Oberdancius adfuit, oſtenſurus jus Ferdinandeum in regnum Hungariæ, ac more Majorum inducias petiturus. Erat Oberdancius C) præfervidi ingenii, & indole ferocior, quam tempora illa poſtularunt. Hic incertum num juſſu ſui Regis, num ſuo inductus genio? ſine ambagibus verborum, urbes, arces, & nominatim Albam Græcam repetiit, ſi Solymanus pacem vellet; ſecus præ foribus bellum eſſe. Tam inſolens Legati petitio, bilem concivit Imperatori usque adeo, ut eum finibus Imperii excedere juſſerit adjectis minis: *ſe ineunte vere infeſtas copias in Ferdinandum Budam ducturum, ubi collatis ſignis, Ferdinandus ſi victor evadat, non arces modo minoris momenti, ſed Belgradum etiam ei redditurum. Quod ſi metu perterritus Viennam redierit, illuc ſe ducturum copias, exercitum, atque Ferdinandum in pugnam protracturum.*

Neque minæ in vanum abierunt. Comparato grandi exercitu, in 1529. Hungariam expeditionem ſuſcipit, terreſtri itinere procedere juſſis copiis, adverſoque Danubio tormentis, cæteroque apparatu ſubvectis. Quanquam præter votum Solymani, tardius, quam res poſtularat, omnia fierent, Ibrahimo clam favente D) Chriſtianis, & moras de induſtria nectente; cui uni e ſtativis arceſſendi militem, provincia demandata fuit. Qui quantum faverat Joanni Zapolyio, tantum adlaborabat, ut quam leviſſimo damno Respub. Chriſtiana afficeretur. Nam & ipſe Chriſtianis parentibus ortus, Religionem, quam cum lacte materno hauſerat, nondum penitus odit. Præcipitata æſtate, decimis quintis caſtris in Sirmio adfuit, Dravoque apud Eſzekinum ponte e navibus facto, nemine reſiſtente, trajecto, lento itinere in campos Mohacſienſes, victoriæ ſuæ theatrum, pervenit. Illuc properavit Joannes, Laſzko comite, cum ſex circiter millibus armatorum. Clientem, cujus cauſam propugnaturus venit, liberali vultu accipit Imperator, porrecta dextera in amicitiæ ſignum, utque Ottomanicæ aſſueſceret ſocietati, eodem loco tendere jubet, datis ex ordine Janicsarorum corporis cuſto-

 dibus,

A) Iſtvanffius tamen L. X. ſcribit: Laſzkum tributum ſingulis annis pendendum adpromiſiſſe. Verum conſtat ex Ephemeridibus legationis, quas ipſe Laſzkus congeſſit, nunquam in hæc pacta conveniſſe. Verba illius placet addere: „ de tributo non cogitetis, quia fruſtra ex lana ſecurim cudetis. „ Imo Sirmium repetiit, quo impetrato, ſingulis annis venturos cum muneribus Oratores pollicitus eſt. B) Iſtvanffius triduo poſt, quam conſilia cum Ibrahimo contulerat, ad Solymanum admiſſum ait. Profecto multi obices removendi erant, ut eo rem perduceret Laſzkus. C) Iſtvanffio Hobordanſcus. D) Pluribus iſtud dabimus ad annum 1536.

A. C. 1529. dibus, & quidquid ad cultum Regium faciebat, large, effuseque suppeditato. Budam subinde itum, quam fidei Thomæ Nadasdii tradidit Ferdinandus, cum duabus cohortibus Germanis. Urbe hostibus relicta, post aliquot dierum oppugnationem, in arcem se conjiciunt. Servasset hanc Nadasdius, si miles sacramenti memor fidem suam. Hic, dum ille a murorum ruina hostem retrudit, inter dimicationem arcis deditionem pactus, seu tædio laborum victus, seu promissis captus. Nadasdius re inopinata perculsus, perfidiam exprobrat, perduellioni intercedit, deditionis pacta rescindit, tormentis in hostem agit. Miles e contrario imperia Ducis detrectare, deditionem iterum suadere, seditiosis vocibus minari, si pergat arcem tueri. Ubi vident constantem Nadasdii animum, inito inter se consilio, captum in carcerem compingunt, ac se, arcemque dedunt. Tulit utraque pars justum facti sui præmium. Præsidiarii arce excedentes primum sarcinis omnibus, tum extra urbem abducti, contra datam fidem, vita ipsa exuuntur. Nadasdius, qui deditionem damnaverat, summis laudibus excolitur, & libertate donatur. A) Adeo nullum est tam ferum pectus, ut virtutem undique oderit, vitia probarit.

Captam urbem Joanni restituit victor, imposito trium Janicsarorum millium præsidio; classem præterea Danubianam, qua ad tempus illud destitutus erat, eidem cessit, ut Danubium sua in potestate haberet. His peractis Ibrahimo in mandatis dedit, militem quiete refectum, ad iter Viennam suscipiendum ut expeditum teneat, apparatumque omnem bellicum, urbi expugnandæ pernecessarium, navibus imponat. Illico Chausii singulorum tentoria percursantes, Solymani Imperium vulgant, profectioni diem octavum Septembris edicunt; neve ingentes copiæ sibi ipsis impedimento essent, duo equitum Magistri Behramus, & Ibrahimus, B) quos Turcæ Beglerbegos appellant, ille Asiaticus, hic Europæus; copias e præscripto Solymani ducere jussi, ut exercitu bipartito incedente, unde castra movebat primum agmen, illic stationem haberet secundum. Naves deinde centum sexaginta, demptis onerariis, adverso Danubio subvectæ, utramque ripam occuparunt; eæque magno labore mancipiorum, militum, Viennam usque pertractæ. Dici vix potest, quantus terror Austriæ vicinas partes occuparit, postquam perlatum, Solymanum Viennæ imminere. Paulus Vardanus Archi Præsul Strigoniensis cum arcem defendi posse desperaret, paucis comitibus stipatus, Imperatori obviam progressus, inter applausus Ottomanorum in castris exceptus fuit. Solymanus virum non minori voluptate spectavit, utque castra sua sequeretur vitæ & libertatis securus, mandavit. Relicto ad dexteram Danubio, hostis Viennam movet. Tata, Comaromium incolis fuga dilapsis, deserta erant. Jaurino Christophorus Lambergus faces admovit, celeriterque deducto præsidio Viennam festinavit, quo jam ante tormenta bellica præmiserat. Ovarinum pari temeritate incensum, expeditum iter dedit, quorum exemplo pulcherrima plaga, quæ ultra Laitam flumen C) jacet, flammis colluxit, ne quid commodi inde Turcæ caperent. Nempe SUA non curant, qui hosti nocere cupiunt.

Vigesimo demum Septembris, equitatus hostilis in conspectum urbis advenit, utque latius terrorem diffunderet, ad extima urbis munimenta, celerrimo cursu more suo profectus, civibus commeandi potestatem ademit. D) Quatriduo post Solymanus cum reliquis copiis adfuit, aeris intemperie, lentius progressus, ac volebat. Continuo circumfusus urbi exercitus, omni ex parte arctissimam obsidionem incepit. Fridericus Rheni Palatinus, etsi aditum quæreret, tamen ubi animadvertit, omnes vias interceptas ab hoste, Crembsium, unde venerat, se recepit, non ausus teme-

re

A) Hujus Herois res gestas narravimus in Palatinis Regni Hungariæ, Tyrnaviæ typis editis anno MDCCLII. ubi Authorum varias opiniones attulimus, quid Nadasdio factum. B) Diversus utique ab Ibrahimo Vezirio. C) In his plerisque Istvanffium secutus sum. D) Obsidionem Viennensem multi Authores literis ediderunt; nemo elegantius Istvanffio, apud quem ordinem castrorum reperies. Melchior Soiterus a Vinda, in duobus suis libris de bello Pannonico eandem habet, quo nonnunquam usus sum.

re per media castra irrumpere. Sed providentia Ferdinandi Regis satis consultum erat Viennæ. Nam Oberdancius accelerata profectione Byzantio Budam, Viennam inde, non reperto Ferdinando, Spiram accurrit, seriemque legationis in Comitiis enarrat. Hinc Patres consulturi Reipub. auxilia in tempore accersivere, & quasi jam hostis in viscera desæviret, omnibus posthabitis arma armis retundenda conclamarunt.

A. C. 1529.

Præter octo, & decem millia præsidiariorum, celeberrimi Duces eam tuebantur. Philippus, Friderici Palatini Patruus, summam Imperii tenuit cum Comite Salmensi seniore; Vilhelmus Rogendorffius Italicis bellis notissimus; Comes Joannes Hardeckus pace, belloque clarus; multique alii tum Germani, tum Hispani, hoc Christianorum propugnaculum tuendum sumpserunt. Paulus Bakicsius haud minorem operam impendit, cum sua ducentorum equitum turma, qui peritissimus committendi prælii cum Turcis, equestres pugnas ad pontes Danubio injectos, sibique commissos, sæpius secundas fecit. Autumnus jam maturior, ac imbribus fœdus vehementer Turcas incitavit, urbi undique obsessæ ut omnibus viribus incumberent, ne frigidior tempestas, cujus impatientissimi sunt Asiatici, molliori cœlo assueti, conatus supremos infringeret, irritosque redderet. Nihil industriæ omissum, quo expugnationem maturarent. Miles cum in Asia, tum in Europa victoriis relatis tumidus, nihil pensi habuit, periculis semet offerre, omnisque cædes, & vulnera, & sanguis, aviditate prædæ pensabantur. Duces felicem toties experti belli aleam, sive dum urbes premerent, sive dum stataria pugna decertarent, Viennam, caput Austriæ, Imperii scutum, in præmium bellicæ fortitudinis sibi deberi existimarunt. Unus Ibrahimus tacitis votis urbi avitam libertatem optaverat. Cujus consilio utique factum, quod grandioris formæ tormenta ad Budam relicta, colubrinæ solum advectæ, quibus muri, quanquam vetusti, & fatiscentes, subrui vix poterant. Quæ res identidem moras injecit, quo minus pluribus locis in urbem assultus fieret.

Cæterum exustis suburbiis jussu Ducum, quibus Vienna cingitur, amplissimis, ne hostibus usui forent, obsidentium vis in portam Carinthiacam versa est, quod inde creberrimis, & pene certis tormentorum ictibus Ottomanici peterentur. Spem maximam in cuniculis locaverant. In quindecim adeo locis totidem acti. a) Opinabantur enim hanc urbem, non secus, ac Rhodum ejusmodi suffossionibus victas manus daturam. Sed melioribus debebatur fatis, quod plerumque hostium conatus detecti, felici astu semel, atque iterum delusi, aut si ubi mænia subruta, singulari fortitudine præsidiariorum defensa fuerint. Eruptiones præterea in tanto militum numero crebrius susceptæ, castris trepidationem intulerunt. Salmensis, collato cum cæteris Ducibus consilio, die Divo Michaeli sacro, duo millia peditum, & quingentos per Carinthiacam in aggeres impetum facere jussit. Cæsis primis excubitoribus prope machinas acerrima pugna concurritur. Ad tumultum, novæ cohortes e castris accurrentes, nostrorum conatus repressere.

Majori spe, quam fortuna ad sextum Octobris in hostem proruptum. Octona peditum millia delecta, iisque accensi fere omnes Hispani, quorum pugnandi ardor maxime eluxit. Urbe tacite egressi, in suburbanis locis ingentem stragem edidere; provecti celeriter ad tormenta occupanda. Nobile facinus eo die patrassent, nisi fortuitus casus omnium mentes confudisset. Aliquot militum, incertum suone, an Ducum Imperio? socios in hostium opera ruentes, sublato clamore monebant, ordines ut servarent, aciem in formam meliorem redigerent, junctis viribus procederent. Horum vociferatione primum deterriti, qui nondum manus conseruerant; tum ad mænia citato gressu properantes, socios e pugna in fugam traxerunt, adeo præcipitem, ut multi, quos pontium angustiæ non ceperant, in fossam ruerent, armisque graves mergerentur. Lupus Hagus, strenuus bello, dum panico metu abreptos, ad pugnam cum Hispanorum manipulo horta-

a) Soiterus a Vinda L. I.

A. C. 1522. hortatur, ab equitatu Turcico circumfusus, trucidatur. Hispani fortiter dimicantes, ferro sibi viam aperuerunt paucis amissis. Pauli Bakicsii auspiciis dedecus illatum egregie vindicatum fuit. Leviori equitatui, cui præerat, loricatos aliquot e legione Katzianeri adjungit. Emericum Nagyum alæ suæ Legatum, extremas castrorum partes infestare jubet. Turcæ incomposito agmine Emericum invadunt, ac sponte recedentem, cæco ardore insecuti, in insidias, quas Bakicsius intra vineas tetendit, præcipitant. Improviso ab expedito equite oppressi, nec consilium, nec animum repugnandi habuere. Cæsi plerique, aut capti. A) Nimirum NON a numero militum, sed ab ingenio, a dexteritate Ducum faustus præliorum exitus sæpe dependet. Per captivos intellectum, Solymanum impressionem in mænia facturum.

Nec falso rumore id sparsum. Tertio decimo Octobris copiæ e castris eductæ sub signis suis, per mænium ruinas assiliunt, haud levi metu perterritis propugnatoribus, quod turris Carinthiacæ portæ, assiduis ictibus decussa, faciliorem aditum invasoribus fecerit. Pro ruinis, qua Ferhates Janicsarorum Ductor incurrebat, Duces cum flore præsidii constiterunt, si fata sic ferrent, etiam suis cadaveribus barbaris aditum impedituri; tantaque ferocia dimicatum, ut peditum animi nec minis, nec promissis ad pugnam incalescerent, multique acinacibus suorum cadere maluerint, quam rejecti, iterum improsperam arenam tentare. Hoc postremo conatu dejectus Solymanus, incusata fortuna, quod toties victor, ad Viennam frustra contriverit operam, postridie incensis prima noctis vigilia castris, signa vertit in Hungariam. Tanta vero festinatione abscessit, ut fugienti similis, quinque dierum spatio in campis Budensibus esset. Post paulo Ibrahimus iter pari celeritate arripuit cum sexaginta millibus armatorum. Sic Vienna post tertium, & vicesimum diem, obsidione soluta respiravit. Præter viginti, & amplius millia virorum amissa in oppugnatione, grande vulnus inflictum Imperatorio nomini, quod consulere sibi indecora sane fuga, certe insolita coactus fuerit. Quanquam hanc maculam Ibrahimus multis coloribus obtegere conatus fuerit, ut e contextu epistolæ ad Viennenses datæ liquet. B) Annales Turcici præproperam discessionem Solymani, hiberno tempori, nivibus, frigore, nimium sævienti, ac Asiaticis intolerabili, attribuunt.

Triduo postquam Budam pervenit, Joannem Zapolyum in regno Hungariæ stabilivit. Arcem ingressus Purpuratis, militumque Præfectis comitatus, Hungariæ Proceres, qui a partibus Joannis steterant, acciri jubet. In corona istorum sceptrum, diadema, ornamenta cætera Regiæ dignitatis Clienti suo tradit; brevemque c) sermonem per interpretem habuit. Inter reliqua ajebat: *recte sibi, Hungariæque consuluisse Joannem, quod per injuriam Regno depulsus, victricia Ottomanorum arma imploraverit. Suscepisse se gravissimum bellum in Ferdinandum; fortunæ æmulum. Eo feliciter gesto, ac Austriacorum viribus accisis, nihil jam superesse, quam ut amicum, ut Clientem pristinæ majestati reponat.* Datis deinde insignibus regni, eundem Hungariæ Regem declarat, additis votis, ut vitam ad seram ætatem producat, regnumque sociorum armis recuperatum, ad suos posteros transmittat. Postremo ad Proceres conversus, eos magnopere hortatus est, Joanni jure suffragiorum legitimo Regi nunquam ut deessent, eumque Regibus debito honore prosequerentur, secus ferrum, & ignem experturi. Eodem in conventu Paulum Vardanum Archi-Præsulem Strigoniensem, & Petrum Perenyium Joanni commendaverat, ut eosdem in amicitiam recipiat, erratorum det veniam, dignitati, quam cum laude uterque gesserat, restituat. Non erat ille tam vecordis animi, ut tanti Peæsulis amicitiam respueret, a cujus authoritate maximum pondus factioni additum iri non nescie-

A) Istvanffius L. X. B) Habetur hæc epistola apud D. Simonem Schardium J. C. anno MDLXXIV. Basileæ typis data, quam noster Istvanffius in suam Historiam transtulit. c) Certum est Turcas Laconico potius, quam Asiatico dicendi genere uti; at plerumque tumido, fastuoso.

nesciebat. Nec Perenyium, magni nominis, at fluxæ, venalisque fidei virum, abalienandum censuit. Utrumque Solymano spectante, dextera porrecta, metu absolvit, & ut amicos amplexus est, quamvis non abs re de eorum constantia dubitaret. His Budæ magnifico apparatu transactis, relicto præsidio trium millium Janicsarorum, & Ludovico Gritto, ut proxime innuimus, exercitum Constantinopolim deduxit. — A. C. 1529.

Istud hic non omiserim, quod Divinam in corona Regni nostri conservanda curam patefacit. Petrus Perenyius insignitis Joanne, atque Ferdinando, diadema deferendum ad Vissegradensem arcem, contra jus, & leges patrias domi suæ detinuerat. Metu advenientis Solymani se, coronamque Sarospatakinum recipere cogitabat. In itinere Joannes Szerecsenius nocturnæ quieti indulgentem capit, captumque ad Joannem Banffium mittit, opportuno tempore in Zapolii manus tradendum. Hæc cum certis authoribus cognovisset Solymanus apud Mohacsium, Perenyium cum corona in castra trahi severo mandato postulavit; suspensis omnium animis, quo res evasura esset. Perenyium Zapolyo dono dedit; at diadema secum abstulit, gravissimo horrore perstrictis Hungaris, quod cum sacro pignore regnum, se, liberos, conjuges, fortunas in Turcicam potestatem devenisse existimarent, nunquam ab avaris unguibus extorquenda. Sed emollivit Divinum Numen hostile pectus, ut in eum modum, quem diximus, præter omnium spem ultro cesserit coronam, A) quæ quamdiu superserit, tamdiu caput efferet Hungaria, & vel e decumanis fluctibus in portum enatabit.

Duobus, qui sequuntur, annis Byzantinus conquievit, sive ut exercitum obsidione Viennensi fractum, novis legionibus compleret; sive non ausus suimet ipsius periculo fortunam belli irritare, & Imperatoriam Majestatem discrimini objicere. Hungariæ tamen, & Clientis sui oblivisci non poterat, cui ut auxilio præsto essent ad primos Ferdinandi conatus, vicinarum regionum Præfectos evigilare jussit. Non enim fugiebat Solymanum, Austriacos acrius, quam retro actis annis, Joannem infestaturos. Sepositis itaque bellicis tantisper laboribus, dignam se, dignam Imperio Turcico jucunditatis, ac solennitatis scenam, in ipsa Constantinopolitana urbe spectandam dedit. In vastam Hippodromi B) aream, in theatri speciem superbe constructi, & flore hastatorum equitum referti, Purpuratorum agmen e variis provinciis, cum nobilissimis civibus totius Imperii confluxit pompæ interfuturum. Diebus aliquot festis decursionibus, hastatorum concursu (atrox ista voluptas, & speciosum periculum, quo nec ludere credas, qui sic prælientur, nec præliari, qui demum ludant) cæterisque hujusmodi spectaculis hospitibus recreatis, Mustapham, Mahometem, Selymum, C) filios suos more Majorum circumcidendos præbuit Imperator. Postremo lautissimas epulas hospitibus apposuit, quibus inter lætitiæ signa consumptis, domum discedendi veniam impertivit. — 1530.

Dum hæc Constantinopoli in quiete, in otio inter commessationes aguntur, longe aliam scenam Mars in campis Pannonicis lusit. Acerbior erat, quam ferre posset, Ferdinandi dolor, quod Zapolyus, rivalis suus, Solymani suffultus viribus, in urbem Budensem dominaretur, seque pro Rege venditaret. Ergo Gulielmum Rogendorffium belli Imperatorem creat, & cum non modicis copiis ex Hungaria, & Bohemia collectis, ad vindicandam Regiam sedem immittit. Morem ille continuo gerit. Strigonio potitus Vardano Metropolita operam conferente, ne quid hostile a tergo relinqueret, Vissegradum, Vacium obsidet, melioremque autumni partem consumit. Hinc tardior propter mænia Budæ consedit, nempe calendis Novembris; Joannique spatium concessit, & locum muniendi, & auxilia accersendi. Octo millia Budam tuebantur; reliquæ copiæ ad Szigethum Valentinum Törökium, qui ad Ferdinandum desciverat, obsessum tenebant.

A) Ita Istvanffius. Joannes Nadanyius in suo Floro, hic confuso ordine, & cursim. B) Locus Constantinopoli (Turcis Admindan dictus) ubi ludi equestres habiti. Leuncl. Pand. cap. 130. C) Annales Turcici, & Codex Verantianus.

A. C. 1530. Revocati Duces Szigetho Nadasdius, Szerecsenius, & Cassonus Turca, elusis insidiis in urbem undique obsessam, ingenti Joannis solatio penetrarunt. Rogendorffius tormentis, cuniculis mænia convulsa aggressus, ab Hungaro, Turcaque præsidiario non sine multorum cæde repellitur. Hoc conatu frustratus, lenta obsidione Budenses premit, ratus casuram per sese urbem esse, sine cujusquam impulsu, sine invadentium sanguine: expressura videlicet deditionem inopia rerum, qua laborarunt obsessi. In ultimas angustias conjecti Rex, & Ludovicus Grittus, Mehemetem Jahioglem Semendriæ, & Belgradi Præfectum crebris nunciis, literisque urgent, ut memor Imperatorii mandati, obsessis auxilio veniat. Adest ille integro milite: Rogendorffius sibi consulit: urbs oppugnatore, Zapolyus metu liberatur. Ne tamen frustra tantum itineris perfecisse videretur, Peszthini subsistere jussis peditibus, equestria agmina Usreffo Bosnensi, ac Amurate Herczogovinæ A) Præfectis, Ferdinandi Regis ditionem inter Vagum, & Nitram fluvios sitam, terramque Mathæi (a Mathæo Palatino Caroli I. æmulo dictam) populatum dimisit; quod munus tanta atrocitate Duces executi sunt, ut incendiis, cædibus, rapinis, spatio quinque, & decem dierum omnia compleverint; præter ingentem pecorum vim, dena mortalium millia in numerum mancipiorum censa Peszthinum ad socios abduxerint.

1532. Annus MDXXXII. ingentes duos exercitus in campo vidit, alterum Solymani Orientis, alterum Caroli V. Occidentis Imperatorum, uterque plus ad ostentationem eductus, quam ut ferro rem ageret, irarumque causas universa dimicatione decideret. Quid potissimum Solymanum perpulerit in hanc expeditionem? non eadem Scriptorum opinio. Alii ad propugnandam Joannis fortunam, sponte Hungariam milite inundasse meminere. Alii ea de causa Solymanum rursum petiisse Pannoniam scripserunt, ut Carolum Cæsarem in pugnam pertraheret, & de utroque Imperio decertaret; quando quidem quidquid ad Magnum Constantinum pertinuerat, id totum sibi jure belli deberi, prætumidus contenderet, occupato Byzantio, Imperii utriusque Metropoli. Neque Carolum alio, quam Hispaniarum Regis nomine insignivit, sive in familiari sermone inter suos, sive literis cum eo ageret. B) Ad hæc ambitione, ac Majorum suorum triumphis accensus, quibus ab Istro ad Euphraten; ab ultimis Illyrici terminis, ad Erythræi maris angustias Imperium propagarunt, immortalem nomini suo gloriam accessuram existimavit, si Germanici vires Imperii, per diversa Religionis studia male cohærentes, accideret, & vastitatem iis inferret locis, quæ nondum Turcicum ferrum experta. Tum enim vero Occidentis plagas sceptrum pariter Byzantinum adoraturas nullus ambigebat. Fœdum exitum isthæc animi decreta habuere. Ibrahimi enim artibus rei Christianæ faventis (ut constans fama tulit, diuque apud Hungaros viguit) C) successu caruit, elato animo suscepta expeditio, & pro gloria dedecus reportatum, quemadmodum narrabimus.

Superiori anno a Ferdinando Rege expediti Oratores, Leonardus Comes Nogarolus, & Josephus Lambergus cum lautissimis muneribus, & æquis induciarum conditionibus, Solymanum jam in Hungariam ducentem, ad Semendriam convenerunt, nulloque responso accepto, jussi sunt exercitum Ottomanorum sequi. In Mohacsianis campis militem longo itinere exhaustum, quiete dum reficit, Petrus Perenyius summa fiducia, cum sexcentis equitibus probe armatis, castra ingreditur, ignarus in quantum periculum semet induerit. Petierat is per Legatum suum Emericum cognomento Bicam, ut a Joannis, Ferdinandique Imperio exemptus, sui juris Princeps foret; se quot annis vectigal Solymano pensurum, si isthoc beneficii obtineret. Grittus rem odoratus, dudumque offensus superbia viri, æqualium juxta, ac superiorum intolerantis, adeo tetris coloribus apud Ibrahimum Perenyium expingit, ut non modo petitioni ejus non subscripserit,

A) Sic Turcæ appellant Bosniam ad mare protensam. B) Annales Turcici Carolum V. Hispanum vocitant. Lege hac de re Leuncl. c. 125. C) Ita opinatur Istvanff.

pserit, verum etiam cum superbo comitatu venientem, per Janicsaros ex equo deturbatum, in arctam custodiam conjici jusserit. Milites ipsius partim cæsi, partim rebus omnibus exuti, fortunam Heri subiere. Ut sibi libertatem assereret, filium, septennio nondum majorem, obsidem dat, qui principiis Mahometanæ superstitionis imbutus, nunquam deinceps Patri est visus. Non uno exemplo didicimus: EXUTA sincera Religione, melioris mentis semina præfocari, & processu temporis humana perinde, ac Divina jura contemni.

A. C. 1532.

Cæterum Solymanus cum crederetur Viennam petiturus, præter omnium opinionem, relicto Danubio, in amænissimam Castri Ferrei provinciam flexit, exercitumque munitissimis præsidiis expugnandis parem, Ginsio, urbi admodum tenui, a vallis minime firmæ, a mænibus, propugnaculis haud omnino provisæ, repente affudit. Periisset Ginsium, nisi Nicolaum Jurissithium Segnia, Dalmatiæ maritima urbe, oriundum, Præfectum habuisset. Hic cives, vicinam Nobilitatem, ducentos denique pedites ad arma capienda hortatus, Ottomanorum furorem sustinuit, maxima nominis sui æstimatione. Erectis aggeribus, muri verberari cœpti, alioquin vetustate vitiati, & continentibus ruinis urbs paucos intra dies nudata fuit. Janicsari intellecto præsidiariorum numero, audacter impressionem faciunt. Atrox, & cruentum certamen oritur; propugnatorum pars Turcici militis ferrum expavescens locum deserit, hostique liberum aditum relinquit; quo viso tantus fæminarum, puerorumque, qui haud procul e prætorio pugnantes aspexere, clamor editur, ut Janicsari victores, attoniti hæserint, pedemque victis similes retulerint; sive insidias veriti, sive recens auxilium in urbem advenisse existimarint. Altero die nihilo segniores certamen repetunt Turcæ. Nostri hesterno successu animati, stationes capiunt, & incredibili constantia locum undique apertum tuentur. Jurissithii in defendendo oppido strenuitas tantopere cepit Ibrahimum, ut virum coram videre, & alloqui vellet. Acceptis obsidibus Vezirium adit, qui multis urget, oppidum tradat, excidium avertat, se, suosque præsenti discrimini eripiat; intrepido vultu renuentem eo adigit, ut uni, alterive e prætorianis ingredi liceat, veluti in signum deditæ, & in fidem acceptæ urbis. Ingressi urbem murorum ruinas scandunt, voceque altiori invocato more suo cœlesti Numine in castra redeunt, relicto in monimentum Heroæ fortitudinis candidi coloris A) vexillo, literis Arabicis, acu phrygia pictis, conspicuo. Hoc modo a calendis Augusti usque ad vigesimum octavum Septembris nullo operæ pretio adhæsit, didicitque: ANIMI robur præ numero & mænibus stare. Conclamatis subinde vasis per Styriæ montes, nivibus, geluque rigentes iter relegit.

Sine clade abiisse ex Hungaria, in lucro posuit Solymanus. At Casanes durioribus fatis reservatus fuit. Duxerat is quindecim equitum millia ad prædam agendam in Austriæ provincias, Lincium usque sine metu effusi, quidquid sors obtulerat, aut ferro, flamma haustum, aut certe in calamitosam servitutem est raptum. B) Reduces cum ingentibus spoliis, ad oppidum Starenbergum animadvertunt ab Hispanis, Palatinoque Rheni itinera armis insideri. Quo expeditius agmina perrumperent, interfectis quaternis millibus captivorum, parati pugnam expectant. Palatinus tormentis eos adortus, facile ordines turbavit, cæsoque inter primos Casane, strage, & fuga omnes disjicit. Qui supererant, Osmanem Agam, Ducem constituunt, qui fugitivos in castra Solymani (nondum enim noverant eum obsidione cessisse) deducat. Jam in tutum sibi abiisse videbantur, cum improviso a tribus Germanorum millibus obruuntur. Fuga ablati rursum in pugnam trahuntur a Paulo Bakicsio, Balthasare Banffio, Francisco Nyario, veteranis, & expertæ militiæ Ducibus, omnesque interfecti. C) Hunc exitum habuit maxi-

A) Testatur Istvanff. se illud in oppidi templo vidisse. B) Soiterus L. II. de Bello Pannonico. C) Annales Turcici ajunt: duodena millia irrupisse in Austriam, & majorem partem occiso Casane interiisse.

A. C. maximis curis, & impensis, duorum annorum spatio adornata expeditio, quæ 1532. Principibus Christianis torporem excussit, & in campum coegit. Carolus V. sub signis numerabat nonaginta millia peditum, triginta millia equitum. Sed tantus exercitus spectandi potius, quam pugnandi gratia confluxisse videtur, nihilque commodi Reipub. attulit, quam quod sui fama Solymanum celerius Byzantium coegerit.

Jam is apud Græcium Styrorum urbem, Mura flumine trajecto, multis affectus incommodis, ad Marpurgum oppidum Dravo adsitum pervenit, ratus se eo in loco pontem reperturum. Verum incolæ, adventu hostium cognito, eum disjecerant, cunctaque navigia, ne hostis iis uteretur, in tutiorem locum adverso flumine pertraxerant. Ancipiti periculo circumventus, cum moras nectere in hostico nollet, neque tigna ad manus essent, quibus pons strueretur, natando flumen superare statuit. Invento per equites vado, arte fortunam adjuvat in hunc modum: sex equitum millia ingredi tumescentem fluvium imperat, ut rapidissimum aquarum cursum frangerent, impetumque primi exciperent; ipse postmodum cum Ibrahimo, & nobilioribus adolescentibus spatio circiter unius stadii, infra equitum stationem fluvio se commisit, & non sine præsenti vitæ discrimine, stupente exercitu, in alteram ripam enatavit. Imitatus Julium Cæsarem, qui per Ligerim, Sicorimque olim transvexit militem. A) Turmæ deinde equitum ingressæ, pedites una transvexere. Hos secuti lixæ, calonesque onusti impedimentis. Multi vorticibus absorpti cum jumentis periverunt: triduo cum flumine luctatæ, tandem adversam ripam tenuerunt copiæ. Felix haud dubie Solymani temeritas; nam pauca nostrorum millia, grandem illum exercitum ad satietatem cædere potuissent. Marpurgo digressus alpes inter, & Dravum sævitia frigorum fractum militem duxit, atque post multos viarum errores, aliasque calamitates in planiora eluctatus est. Hic diviso exercitu in duo agmina, quo facilius iter agerent, primum Belgradum diverso itinere, tum junctis agminibus Adrianopolim perventum media B) hyeme, magnam partem frigore, fame, & sinistra in Austriam facta excursione, amisso milite.

Nec melior mari fortuna cessit. Andreas Doria C) jussu Caroli V. Cæsaris, & Hispaniarum Regis, octoginta trium navium comparata classe, Corcyram, Cephaleniam, Zacynthum, Jonii maris insulas prætervectus, in Peloponnesum trajecit. Quo minus Veneti vires suas classi conjungerent, fœdere prohibebantur. Nec consultum erat illud abrumpere, quamvis opportuna occasio adesset, res terra, & mari feliciter agendi, ne Turcæ, hoc ostenso exemplo, fœdera violarent, gentium jura convellerent, & pro libidine in fortunas, libertatem Venetorum, aliorumque grassarentur. Quapropter neutram partem amplexi, quippe pari fœdere Hispano illigati erant, toto belli tempore hostilitate abstinuere; solum infesta signa in eam moturi, quæ oppidis Venetæ ditionis vim inferret. Ottomanicæ classis D) Præfectus venientis Doriæ fama perculsus, ex Ambracio sinu solicitatis remis, & velis in altum, Chalcidem navigavit, neque prælio navali cum Hispanis confligere ausus fuit. Depulsa statione inimica classe, viam sibi straverunt Christiani ad victoriam.

Methonen invadendam suadebant plerique Ducum, & inprimis Salviatus Melitensium navium Præfectus, in hanc sententiam inclinabat, qui anno præterlapso ex insidiis adortus eam urbem noctis tempore, cæsis custodibus triumphum cecinit ante, quam re ipsa vicisset. Turcæ enim correpto ferro militem sine ordine prædas legentem, momento fundunt, ac urbe ejiciunt. Sed Doria intentiores futuros esse ratus præsidiarios, quam ut per insidias, aut vi aperta capi possit oppidum, Coronen ad ictum destinarat, quam

A) Julius Cæsar L. VII. de Bello Gallico. Item L. I. de Bello Civili. Hannibalem simili arte transmisisse Rhodanum Livius Dec. III. L. I. refert. B) Istvanff. loco laudato. C) Annalibus Turc. Doria; Scriptoribus passim Auria, ut Joanni Bapt. Vero, Angelo Gallucio part. altera de Bello Belgico L. XVIII. D) Hunc Præfectum nominat Istvanffius Hiemeralem voce utique corrupta uti liquet e Leunel. c. 41. ubi Emir Halem scribit; estque nomen dignitatis, non familiæ.

A. C. 1532.

quam etiam poſt acerrimam dierum aliquot oppugnationem, centum ſexaginta quatuor tormentis vexatam, poſt cæſas auxiliares copias occupavit. Eodem tempore arx rupi a Venetis impoſita, deditionem fecit iis conditionibus, ut milites, nautæ, machinatores cum domeſticis rebus, atque impedimentis, quo vellent, abirent. Præſidio Hiſpanorum impoſito, Hieronymi Mendozæ fidei arcem committit. Vela deinde relegit Doria, Patras, Achajæ urbem, obſeſſurus. Hoſtes non expectato Hiſpano, ſe illico in arcem proripiunt. Neque hanc conſtantius tuebantur. Miſſis Oratoribus pacem orant, utque incolumes abire ſinat in Ætoliam, arcem cum bellica ſupellectili tradunt. Excedentibus Janicsaris, ac imbelli puerorum, fœminarumque multitudine, cum ferociores aliquot Hiſpani in mundum muliebrem involarent, eoque palam direpto injuriam fœminis inferrent, facinus iſtud vindicaturus Doria, eosdem re comperta ſuſpendio damnavit, ut vel inde Turcæ intelligerent, quanta religione pactis conventis ſtare oporteat.

Naupactum procedere juſſo exercitu, ipſe in anguſtum Corinthiacum A) ſinum invectus, litoribus impoſitas arces Rhium & Molycreum dictas, cum aliquot cohortibus infeſtus petiit. Oſtenſo armorum terrore, eam, quæ in Achaja B) erat, nec arte, nec ingenio loci munitam, & in deditionem pronam, quaſi per ludum cepit, militique diripiendam dedit. Quæ res apertam in caſtris ſeditionem movit. Nam qui in caſtris remanſerant, viſa commilitonum præda ſine pugna, ſine vulnere parta, tantam invidiam animo conceperunt, ut rupto militaris diſciplinæ obſequio, deſertis ſignis per Peloponneſi oppida volitaverint, mappalia exuſſerint, prædas egerint, quoadusque iræ, dolorique ſatis factum putarent. Hanc militum licentiam Doria, ut erat vir triſti, ſeveroque ingenio, ſtrenue caſtigaſſet, ni mollioribus remediis in tanta propinquitate hoſtium utendum fuiſſet. Sed & ipſi milites flagitium agnovere, iraque in pudorem verſa, egregiis factis illud eluere optarunt. Ardor militum ne otio intepeſceret, in Ætoliam trajicit; Molycreum obſidet, tormentis quatit. Reſtiterunt præſidiarii, impreſſionemque Hiſpanorum forti animo ſuſtinuerunt, maxime cum ſperarent Naupacto auxilio venturos equites, peditesque, quos magno numero in Peloponneſo legi intellexerunt. Adfuere illi quidem, ſed pugnam vitabundi opinione celerius ſe ex campo proripiunt. Molycreum interim caſtrenſibus machinis laceratum, admota manu expugnatur. Turcarum nemo inter captivos fuit, adeo rabiem effudit Hiſpanus. Neque huic incruentam victoriam reliquere. Pulverariæ turri ignem ſubdidere, & ſe, & victorum non paucos in auras ejecere, tanto furore graſſantis mali, ut claſſis pene lapidum ſtrue opprimeretur. Circumlato terrore per ſinum Corinthiacum, utrumque litus depopulatus eſt, militemque ingenti præda ditavit. Hiemante jam anno curſum Genuam flexit.

1533.

Captam Coronen ægerrime ferebant Turcæ, & Solymanum pudor ſubibat terra, marique vinci. Itaque operam, animumque impigre advertit, ut Peloponneſum in integrum ſibi vendicet, quod tanto expeditius ſibi fore non ex vano opinabatur, quanto viciniores provincias, inſulasque ſui juris haberet, e quibus militem brevi ſpatio deportare poſſet; Hiſpanis procul agentibus, & ſæpius tempeſtate maris interclusis. Exeunte hieme Gallipoleos Præfectus, c) cui maris Imperium attributum eſt, Coronen obſedit, & præſidiarios ad ſummam rerum inopiam redactos, pene in deſperationem adegit. Doria, quem nihil horum latebat, pro periculi magnitudine celeriter opem tulit. In conſpectu urbis claſſem ad pugnam inſtruit, quaſi omnibus viribus acturus, quanquam vehementer abhorreret a prælio navali, id tamen eo conſilio fecit, ut commeatum facilius obſeſſis inferret, Turcis magis in prælium, quam ad annonam intercipiendam intentis. Res

A) Fauces adeo coarctant in hoc ſinu maris Jonii aquas, ut vix ſtadio uno Ætolia a Peloponneſo diſtare videatur, quemadmodum ad Helleſpontum Europa ab Aſia. Utrumque litus præſidio tenetur. Bajazethes Ætolico caſtello turrim adjecit, & geminum murum. B) Achaja Peloponneſi regio contra Ætoliam ſita. Præſidium Achajæ Rhium, Ætoliæ Molycreum appellatur. c) Apud Scriptores Lupthis, & Lutſis Begus appellatur.

A. C. etſi feliciter ceſſerit, nihilominus annonariæ maximo in diſcrimine verſabantur. Nam cum hoſtes e turritis ſuis navibus vim pilarum emitterent, Hiſpani fugæ ſpeciem præbuerunt, & annonariæ curſu tardiores, omni ex parte oppugnabantur. Eratque tanta trepidatio inter eos, qui navibus præſidio erant, ut natandi rudes, ſe in mare temere ejecerint complures, ne in Turcarum manus laberentur. Actum fuiſſet de annonariis, niſi Doria accurriſſet. Continuo mutatur prælii facies. Hiſpani recenti auxilio adjuti, reſumpto animo victores navibus exturbant, Janicsaros ter centum interficiunt, commeatumque urbi inferunt.

1533.

Non multo poſt nobiliorem victoriam conſecutus eſt Hieronymus Canalis Venetus, adverſus Morum Alexandrinum, celebrem piratam, quive in hac expeditione Hiſpanis juxta, ac Venetis multum negotii faceſſivit. Apud Cretam nocturno prælio concurſum eſt: e tribus, & decem navibus quatuor merſæ, tres captæ, reliquæ male mulctatæ Alexandriam profugerunt, Morus octo vulneribus appetitus inter captos fuit. Veneti facile apud Solymanum ſe purgarunt, ſive quod Mori piraticam ipſe deteſtaretur, ſive quod nollet ſe bello Veneto implicare, nondum perfunctus Hungarico, & Hiſpano; ſive quod in Africam copias trajicere meditaretur. Corone interim lenta obſidione fatigata, longe graviorem, quam antea, experta eſt famem. Præſidiarii eodem vultu, & animo peſtiterunt, etſi quotidie eorum numerus minueretur morbis, qui propagari ſolent celeriter, ubi inedia dominatur.

Pauci, qui ſupererant, communi decreto ſanxerunt, ſe in confertos hoſtes irruituros, pugnanteſque mori potius in armis, quam tradita in urbe, pecorum more jugulari, aut diuturna fame vexari, & nullo operæ pretio ingloriam vitam ponere. Demum Macicaum, Mendozæ ſucceſſorem, contumaces perpellunt, ut prælii fortunam experiretur in campo, quando nihil ſupereſſet in urbe præter arma, & diriſſimam famem. Ergo ſilentio noctis urbe egreſſi Andruſam oppidum improviſo invadunt. Sparſo per tuguria incendio, Turcæ tumultu exciti Hiſpanis obſiſtunt, illuceſcente die eorum paucitate ſpreta portis erumpunt, Macicaum glande proſternunt. Duce orbati feſtinatum temere prælium, pari formidine deſerunt, Coronen pugnando ſeſe recipiunt, Achomate alæ Præfecto, dum tergis fugientium incautus hæret, trucidato. Vix Coronen pervenere, mutato conſilio naves conſcendunt, & in Italiam A) vela faciunt.

1534. Dum Peloponneſum Majorum induſtria partam Solymanus tuetur, non dubitavit in Africam, Perſiamque arma inferre. Africana expeditio Chairadine, B) pirata ſui ævi celeberrimo, agente ſuſcepta fuit, quam eo avidius Solymanus arripuit, quod, ſi ea in regione vires ſuas ſtabiliret, facile Hiſpanias, Siciliam, Italiam, omneſque maritimas provincias pro libidine divexare poſſet. Juverit iſthic Chairadinis res geſtas, & fortunam in compendium mittere. Mitylenis, in inſula Lesbo, in lucem editus cum fratre Oruccio, cum paupertas domeſtica utrique gravis eſſet, ſub cujusdam Kemalis auſpiciis piraticam fecere, tanto turpiſſimæ artis ſucceſſu, ut brevi temporis ſpatio, ſpe prædarum invitati, numeroſi vires conſociarint, terroremque ſui, longe, lateque fecerint. Delati in Africam, Algerii C) Regulum domeſtico bello involutum reperiunt. Is cum fratre de Imperio ad arma deſcenderat. Oruccius Reguli partes tuitus, milite ſuo Numidas, Mauros nullo negotio fundit; verſiſque in Regulum armis, throno dejicit, Algerio potitur. Mox Bugeam D) obſidet, maris Imperium ſibi vendicat, Didacum Veram, Hiſpanorum Ducem, cædit; Hugonem Moncadam cum

A) Annales Turcici Coronen deſertam referunt ad annum ſequentem. B) Ne filum narrationis interrumperemus, commode huc tranſtulimus. Chairadin, ſive Chairadines, aliis ſcribitur Chairadenus, Hariadenus ut Famiano Stradæ de Bello Belgico Dec. I. L. VIII. & L. X. Italis pleriſque Barbaroſſa, Ænobarbus. C) Algerium, vulgo Algier, olim Julia Cæſarea, Ruſcunum, urbs, & regio hujus nominis, cujus incolæ piraticam faciunt, nihil prohibente Magiſtratu, modo partem ſpoliorum ærario publico inferant. Jacet in Barbaria, ſeu ad oram maritimam Africæ. D) Bugea, Bugia arce, & portu munita.

cum veteranis copiis internecione delet. Partis tot, tantisque victoriis A-fricæ possessione frui potuisset, si unquam felix temeritas inveniret modum. Dum finitimos Regulos perpetuo lacessit, & Orano A) minatur, Hispanorum arma iterum provocavit, a quibus cruento prælio superatus, regno juxta, & vita exutus est. A. C. 1534.

Chairadines fratre non inferior, prædonum acclamatione Dux nominatus, Mauros sibi infestos, & Numidas secundis præliis, persæpe fregit; adaucta classe oras Hispaniæ, Sardiniæ populatur. Vicinos Dinastas terrore nominis subigit, reluctantes in solitudinem retrudit, Algerium ab Hispanis proxime interceptum, rursum occupat. Hæc strenue molientem, fortuna nusquam deseruit. Inde Chairadinis nomen in dies magis clarescere, fama cum opibus latius propagari, Hispanorum militaribus factis multum decerpere. Solymanus tantæ virtutis bellicæ æquus æstimator, nullum non lapidem movit, quo virum suas in partes alliceret, certus se illius opera Africæ Imperium obtenturum. Ergo e Pannonia redux, Mangalim Rhodiorum Præfectum, Algerium expedit, ut Chairadinem promissis oneratum Byzantium deportet. Neque is reluctatus fortunæ; postquam intellexit se Ottomanicæ classis Præfectum fore, atque in Africam rediturum cum majoribus viribus, quo vastum illum terrarum tractum subjugaret. Commendata provincia suis amicis, cum quadraginta navigiis Byzantium B) venit. Imperator hospitis ingenio delectatus, fama longe majora sibi pollicebatur. Nam adeo scite, partiteque de militis legendi, deportandique in Africam modo, deque tota expeditione disceptabat, ut cautos quoque, ac providos in suam sententiam perpelleret; vulgus, & milites unum virum, Ducemque spreta aliorum segnitia, laudibus ferrent. Hanc sui famam primis statim diebus commoverat, dum gregariis mixtus militibus, flagrantibus oculis, vultu horrido, incomptoque, truci voce, quo latius audiretur, de bello Africano loqueretur, enumeraret syrtes, & scopulos, & infidas navigiis stationes; nec non pugnas, & victorias suas, seque Ducem maritimæ expeditionis ultro offerret; atque eo gratior utique militi, quod culpæ, vel gloriæ socius futurus.

Verum invidia, quæ aulicorum animos Euripi instar versat, pene Chairadinis spem evertit. Afflaverat ea pestis aliquot Purpuratos, qui gratia, qua pollebat apud Solymanum, novi hominis offensi, iniquissime ferebant, sibi præferri exterum, eumque consiliorum participem; domesticos negligi. Et Gallipoleos Præfectus, ut erat vastiore animo, quam cæteri, cum præfecturam maris sibi confirmandam magna persuasione destinasset, dejectus ea spe, quidquid infra votum veniret, beneficii nomen amissurum putabat. Hinc in privatis Purpuratorum colloquiis hæc plerumque materies querelarum. QUASI postquam multa acceperis a Principe, injuriæ loco sit te plura accipere potuisse. Solymanus ut invidiam, iramque declinaret Purpuratorum, astu utitur. Ibrahimi consilio standum ait: *quidquid is super hoc statuerit, se ratum, fixumque habiturum.* Aberat id temporis in Syria cum exercitu, primo vere Persiam invasurus. Chairadines æmulorum obtrectationibus minime perterritus, Amani jugis nivibus obsitis superatis, Aleppi Ibrahimum convenit, facileque hominem, muneribus jam olim devinctum, suas in partes pertrahit. Et re ipsa neminem unum Purpuratorum Chairadini parem existimavit, qui maritima scientia, fortunaque, ac matura prudentia eum adæquaret. Datis in hanc sententiam ad Imperatorem literis, momento Purpuratorum voluntatem flexit, invidiam extinxit. Tanta authoritas Ibrahimi erat. Igitur maritimi Imperatoris dignitate decoratus, paucis post diebus Hellesponto c) egressus cum valida classe in

A) Oranum, hodie ditionis Hispanæ munimentum, arma Maurorum, & Hispanorum crebro expertum, asperæ rupi impositum, portu celebri, & binis castellis gaudet. Annis ducentis sub potestate Hispanorum erat, Mauris frustra impugnantibus. Anno 1708. semestri oppugnatione fractum Mauris cessit, at 1733. rursum Hispani juris effectum. B) Annales Turcici. c) Quadragies centum millia Asprorum in hanc maritimam expeditionem data sunt Chairadini, quæ summa ducenta millia florenor. facit teste Leunc. c. 18. & 227.

A. C. in Italiam navigat, ac ferro, & flamma litori proxima loca evaſtat. Neapolim metu proſtratam, haud dubie cepiſſet, ſi copias admoviſſet; Tarracinam incolis deſtitutam diripit, Romam ipſam, quaſi novus Hannibal, præſidio vacuam maximo terrore complet. Sed mens non erat Chairadini in Italiæ viſcera bellum effundere. Quapropter celeritate maxima in Africam trajicit, Tunetanæ provinciæ Regulum Muleaſſen oppreſſurus ante, quam adventum Ottomanicæ claſſis ſentiret. Jam qua ratione Muleaſſes regno potitus ſit, operæ pretium erit rem omnem breviter explicare.

1534.

Muleaſſes, Mahometis Tunetani Regis filius, ingenio matris ſuæ Lentigeſiæ, virilis animi fæminæ, etſi ætate, & rebus geſtis inferior Maimone fratre, præ eo ſceptrum, coronamque in ſuam familiam traduxit. Nam Mahometes jam jam animam acturus, Lentigeſiæ precibus victus, Muleaſſem Regem nominat, ſceptrum, coronamque eidem tranſcribit. Hic elato parente, Maimonem clari nominis Ducem, carceri jam olim incluſum propterea, quod ſuſpicionem præbuerit Patri de occupando regno, barbara crudelitate vita ſpoliat: duos, & viginti præterea fratres pari tyrannide, partim ſecuri percutit, partim exuſtis ferro oculis exilio mulctat. Roſcettes ſecundo loco natus, meliori fortunæ debuit, quod impias manus effugerit. Hic armis jus ſuum quæſiturus, cum Tunetani cives nihil auderent, Chairadinis arma imploravit. Avide arripuit occaſionem novum bellum in Africa ſerendi. Roſcetten ſecum Byzantium abducit, eumque, Solymano annuente, vinculis conſtringit, extra patriam poſiturum vitam, ne quid turbarum in Africa daret.

Hoc patrato facinore Chairadines in Africam, ut proxime memini, delatus cives Biſertanæ urbis, commento prorſus ignobili ad deditionem compellit. Fingit Roſcettem, Tunetani regni hæredem adeſſe; petere a bonis civibus, officii memores, ut Regem accipiant, primi ad ampliſſimos Regios favores aditum aperiant, obſequio ſuo reliquos, quid facere oporteat, doceant. Mittit deinde ad primæ nobilitatis viros e Roſcettis familia aliquot Adoleſcentes, qui ad ingenium, ad mores Chairadinis facti, dolum inceptum pertexunt, aſſerunt: *Roſcettem per maritimam jactationem in morbum incidiſſe, neque poſſe navi egredi.* Biſertani cum Muleaſſis tyrannide offenſi, tum novarum rerum cupidi, fidem illico habent, deditionem faciunt, Præfectum repugnantem oppido ejiciunt.

Succeſſu lætus fallaciſſimus bipedum, celeriter Guletam A) vela intendit, ratus hanc pari fraude captum iri. Præſidiarii non properaverunt deditionem; affirmabant tamen ſe in illius poteſtate fore, ſi Tunetum, B) regni caput, domuerit. Claſſe itaque feſtinante, conſueta victoribus alacritate, ac prædandi ſpe, in conſpectum Tunetanæ urbis ventum eſt. Cives Muleaſſis ſævum imperium jam dudum exoſi, in Roſcettem, mitioris indolis Principem, ſua vota tranſtulerunt, certi huic adhæſuros, ut primum ſigna adverſus fratrem extulerit. Muleaſſes inter ſpem, & metum hæſitans, ſuorum animos periclitatur, & quod unum ſupererat, ampliſſimis pollicitationibus ſibi devincire adlaborat. Sed degener Princeps, ſola crudelitate, atque avaritia notus, fidem non reperit apud cives, quos tædium inanium promiſſorum cepit. Ubi authoritatem ſuam quotidie imminui, odium inveteratum augeri, conſpirationibus, inſidiis ſe peti ſenſit, non ultra moraturus apud infidam urbem, clam Tuneto cum paucis abſcedit, adeo maturata fuga, ac perturbata mente, ut ornamenta Regia, facti, infectique auri vim ingentem relinqueret, ſalutis ſolum anxius. Patefacta Muleaſſis fuga, certatim oppidani Roſcettis partes ſunt amplexi. Chairadines extemplo quinis Turcarum millibus urbem occupat inter feſtas militum acclamationes, vitam Solymano, & Chairadini, militari carmine precantium, alte ſuppreſſo Roſcettis nomine.

Id

A) Aliis Goleta, arx e quatuor turribus extructa juxta mare. B) Tunetum urbs ampliſſima Africæ Carthaginenſis, regno nomen indidit. Sita eſt juxta veterem Carthaginem, Romæ æmulam.

Id enim vero incredibilem dolorem Tunetanis inussit, maxime cum intelligerent mala fide Chairadinem agere, Roscetten in vinculis Byzantii gemere, Solymanum regno potiri velle. Mesuarus, inter Mauros facile Princeps, furentibus facem addit, se Ducem præbet factionis. Nec mora, correptis armis arcem invadunt, Ottomanos eo compulsos, tanta rabie impugnant, ut ægre mænia tuerentur. Muleasses spe recuperandi regni incensus, quam maximis itineribus Tunetum celerat, copias suas oppidanis jungit, & Chairadinem in ultimas angustias conjicit. Nam etsi Janicsari intrepide ferrum expedirent, machinas in confertos non sine strage dirigerent, tamen quod Muleasses obsidionem arci minaretur, ab annona male provisæ, res in apertum discrimen adducta fuit. Igitur obsidione depulsuri oppidanos, improviso erumpunt, & post cruentum certamen (Mesuaro inter primos plumbea glande trajecto) in fugam abigunt Muleassen, cæsis tribus millibus Tunetanorum. Hac clade prostrati, se Solymano dedidere. Cæteræ urbes vim Ottomanorum expectare non ausæ, parem fortunam habuere. In hunc modum Tunetanum A) regnum in Solymani potestatem devenit, unius piratæ industria, qui compositis ad victoriam mendaciis, miro rerum successu ea gessit, quæ summi Duces validis exercitibus aggredi formidarent; memor illius: VICTORIS nomen quomodocunque partum, non erubescendum.

A. C. 1534.

Eodem tempore in Asia, quo hæc secundo Marte in Africa gesta, bellum emersit. Post fata Ismaelis Persarum Regis, filius natu major Techmases rerum potiebatur, ultra ætatem bellicosus, & gloriæ appetens. Jam inde ab inito regimine, bella ex bellis serere assuetus, finitimos Regulos partim metu, partim vi intentata provinciis suis exutos oppressit. Veteri odio stimulatus in Turcas; nam parentis iræ, animique cum hæreditate ad eum transierunt; non dubitavit subinde prædatoria manu Syriam divexare, ut Præfectos illius regionis ad depellendam injuriam excitaret, captaque opportunitate cum ipso Solymano signa conferret. Hunc in modum ruptis induciis, ad Euphratem subitariis præliis sæpe pugnatum fuit, utraque parte ad spem prædæ convolante. Hæsit aliquantum Imperator, num Persarum injurias ulcisceretur, nondum bello composito cum Carolo V. Cæsare, nec satis firmato Zapolyo in Hungaria? exemit primum dubitationem Ulamanes, sive Ulumas Begus, qui ducta in thori consortem Ismaelis sorore, ac provincia satis ampla, ob res bello præclare gestas, accepta, nescio qua intemperie actus, exuta fide Byzantium se contulit, multisque egit, ut bellum in Persiam transferret. Suasu denique Ibrahimi, occasionem sollicite quærentis a Christianis Principibus avertendi tempestatem belli, expeditio in Persidem adornatur. Primus Ulumas Begus ære suo conductis copiis accinctus, provinciam veterem ingreditur, mox Turcico milite auctus, Curdistanium B) Principem, Serefem, prælio fusum interficit. Ibrahimus Ulumam secutus, raptis sub signa militibus Aleppum, Syriæ urbem, petit, trajectoque Euphrate in hosticum ducit.

Id temporis Techmases domestico bello implicitus, in interiori Perside C) Kezienem Bassam persequebatur, viresque totius Imperii eo contrahebat. Turcæ Uluma Ductore, regionem præsidiis destitutam, ac undique apertam, sine jactura vel unius militis capiunt, Taurisium, nobilem urbem, milite, & incolis fere vacuam occupant. Nam Musa, sive Moses, Soltanus, qui loco præerat, metu turbatus urbe excessit. Inspecta loci natura, Ibrahimus e ruderibus munimenti veteris, arcem eduxit Gegorianorum machinatorum ingenio, quam festinatione operarum pariter, & successu omnibus numeris absolutam, bellico instrumento munivit. Proditum D) memoriæ est, ter centum quinquaginta tormenta arci imposita, quibus non tam Taurisio, quam arcis securitati consulere voluisse Ibrahimum crediderim.

1535.

A) Annales Turcici. B) Curdistania provincia iisdem limitibus circumscripta est, quibus olim Chaldæa, Leuncl. c. 232. C) Vulgo Chorosane. D) Ita Spandugino laudatus a Leuncl. c. 231. Errorem autumo irrepsisse in numerum.

A. C. 1535.

Techmases inter hæc Taurisium magnis itineribus contendit, oppressurus, ut putaverat, ante Ibrahimum, quam accessione Solymani firmaret exercitum. Prælii cupidus opportunitatem capessendæ pugnæ prope mœnia expectavit. Imperatoris cum robore Janicsarorum adventus, alia consilia Techmasi injecit. Cum enim multo fortiores & numero, & apparatu machinarum Ottomanos animadverteret, fuga se eripuit Soltaniam. A) Neque hic operiri ausus vim hostium, montium juga insedit, cunctatione ferociam Turcarum domiturus, &, quod sequi amat, e manibus victoriam erepturus. Motis Taurisio castris, in vastam regionem cœptum est iter arduum sane, atque difficile. Illud militum animos non modice recreavit, quod nemo hostium lateri circumfusus, agmen carperet, aut ignotos calles teneret. Sed ubi ventum est ad oppidum Hemedanen, non parva clades accepta fuit. Sæviente præter modum frigore, ventorumque turbine, castra Turcica adeo divexata erant, ut multi rigentibus membris nec se, nec arma sustinere possent, passimque sopore oppressi, per campos sternerentur. Non hominibus, non jumentis vis mali pepercit, & quod calamitatem auxit, in infesta regione procedendum erat, nec spes affulsit mollioris tempestatis, intra altissimorum montium convalles, quæ incolarum odia induisse videbantur; adeo furentes nivium procellas effuderunt.

Accessit & aliud sævientis fortunæ telum, quo victor ille exercitus multum concidit. Fluvius B) in varios mæandros exerrans, id temporis alveum, aggeresque alicubi supergressus, alibi demolitus, tanta alluvione contexit patentes campos, ut Ottomanos pene in desperationem egerit. Superandus nihilominus erat, ni famem jam ultimam perpessi, in sterili solo mori vellent. Capto in arena consilio, tumentibus aquis se, exercitumque committit Solymanus. Nunquam atrocius immite elementum Turcarum audaciam castigavit. Prærapida celeritate amnis, natantes occupati, misere absorbebantur, præprimis illi, quos longior inedia confecit. Nonnulli vada explorare jussi, cum equis hauriebantur. Sed multo major sarcinarum strages erat, atque hominum, jumentorumque. Nam ubi armatos rapacior unda in vortices detulit, & præsens periculum subeundæ mortis propius admovit, sarcinas passim abripi siverunt, contenti arma, quibus nova spolia eruerent, & vitam in ulteriorem ripam efferre. ADEO vitæ amorem natura parens hominibus alte impressit, ut illud non ægre dimittant, quod multo aliquando sanguine, & præsenti vitæ discrimine emerunt. Quot nam hæc periculi plena transmissio hauserit? Annales non meminere. Memorabilem tamen virorum, jumentorumque jacturam subiisse Solymanum loquuntur. Et facile id sibi quisque persuaserit, si in memoriam revocet, frigore, fame, lassitudine prope enectis, fluvium, hiemalibus aquis auctum, superandum fuisse. c)

Hoc discrimine perfuncti, recta in Assyriam, regionem cum a molliori cœlo, tum ab ubertate agrorum, Scriptorumque calamis multum laudatam, tetenderunt. Babylonem D) procedentibus cives obiam effusi, deditionem urbis obtulerunt, tanto gratiorem Solymano, quanto majoris operis fuisset corona cingere amplissima mœnia, propugnaculis, turribus munita. Sic olim Macedoni Babylonem versus proficiscenti cum exercitu, oppidani non ausi obsistere, se, urbemque cum fortunis suis tradiderunt. Sed Ottomani fortuna præhabenda videtur Macedonis. Quippe Persarum fugientium agmina, partim in campo cæsa, partim Lyco amne absorpta, plenam victoriam Alexandro E) reliquere; nec Babylon victoribus pares vires habue-

A) Soltania, olim Tigranocerta, tum Romanis, tum Græcis Scriptoribus urbs nota. B) Turcis Docus Gezid nominatus, quod novies transmittendus sit. c) Annales Turcici. D) Babylon Turcis Bagdadum. Apud Ortelium duplicem Babylonem reperies: alteram ad fluvium Tigrim in limitibus Mesopotamiæ, ubi Euphrates Tigri miscetur, sitam, veteribus Seleuciam, & Babyloniam dictam, quam nonnulli Geographor. Bagdadum esse contendunt. Alteram in Chaldæa, quæ pars Assyriæ fuit, positam; & hanc paris authoritatis Geographi Bagdadum nominant. Consule Leuncl. c. 4. Strabonem L. sexto, & decimo. Item Q. Curtium L. V. cum commentationibus Mathæi Raderi e S. J. quæ non legisse, est in Historiæ leges peccasse. E) Q. Curtius L. IV. & L. V. c. III.

buerat; cum contra Ottomanus sævientibus elementis fractus, & de salute potius, quam victoria solicitus, Persarum re integra, & nondum bello labefactata, Babylonem, regionis caput, ab armatis acceperit. Urbs tanti nominis, cæteras ad deditionem incitavit. Præfectos singulis provinciis imposuit, cum prius ab uno Rege jus acciperent, nec alius præter hunc, dominaretur in eas. Babylonem vero, feracem bellorum segetem, progressu temporis futuram, tum annona, tum æneis machinis instruxit, & amnem A) in fossas, operibus mæniorum adjectas, deduxit, non minus ad voluptatem, quam commodum oppidanorum. Nec illud hic transiliero, quod a Solymano actum Annales meminere. Zelebis Ischender, sive Alexander, summus ærarii Præfectus, plures per annos pecunias a misera plebe extortas, per summam Principis sui injuriam coacervaverat. SED cum avaritia modum nesciat, & quo plus huic contagioni dederis, eo ampliora desideret, thesaurorum mala fide subductorum arcessitur apud Solymanum; cumque causa caderet, plenus infamiæ in urbis conspectu suspendio necatur, suo infortunio exemplum daturus posteris: REMIS, velisque fugiendam hanc pestem viris, populari in sole versantibus, ne plus infamiæ, quam opum compilent, & apud Judices, præcipue avaritiæ deditos, omnibus aliquando facultatibus evertantur.

A. C. 1535.

Dum ad Babylonem copiæ reficiuntur, Techmases e latibulis progressus, otium abrupit, silentibusque signis, Taurisium tanta festinatione adproperavit, ut prius ad mænia esset, quam adventus vulgaretur. Præsidiarii metu consternati, etsi sustinere diuturnam obsidionem possent, relicto in prædam Persis omni apparatu bellico, quem nuper Ibrahimum ad defendendam arcem imposuisse narravimus, urbe excedunt. Techmases militi suo Turcarum sarcinas diripiendas indulsit, quo eum ad victoriam persequendam, promptiorem inposterum haberet. Repertas magno numero machinas partim igne absumpsit, partim e metallo monetam cudi jussit. Ægre id tulere nonnulli, quod tristi augurio dicerent: non secus Turcas in Persidem dominaturos, quam æs ex eorum tormentis cusum; & vel absentes, perpetuo Persarum animos cruciaturos. Solymanus ad nuncium intercepti Taurisii, exercitum ex hibernis primo vere eduxit, relicto Babylone præsidio triginta millium. Vix percrebuit Turcarum iter, continuo Persæ, fugæ se accingunt, regionem incendiis evastant, incolas cum pecoribus in montes abigunt, nihil denique omissum, quod hostis, si vellet, inferre posset inimicis provinciis. Id cum nunciarent equites, qui fugientibus Persis insistebant, non diutius in regno exhausto, & a suismet ipsius civibus in solitudinem verso, moras nectendas censuit; cumque nullus appareret hostis, in urbe Taurisii sævæ crudelitatis vestigia reliquere. Cives Byzantium migrare compulsi, suis tectis faces subditas videre; nec pepercit insana rabies cultioribus ædificiis, hortisque peregrinis arboribus consitis, & more Persarum ad omnes delicias ornatis. Urbs ruina sepulta Ottomanicæ sævitiæ triste exemplum erat.

1536.

His peractis castra movit Imperator, Uluma Bego agmen claudente, cum delectis Janicsarorum cohortibus, adversus subitaneas invasiones hostium, qui in receptu copiarum plerumque infestiores, raro sine clade inimicos abire sinunt. Nec defuit occasioni Techmases. Expedito agmine Turcas insecutus, duodena millia in Mesopotamia ad Bethlim oppidum uno prælio interfecit, Uluma fugam capessente. B) Hac victoria contentus, non ultra lacessivit recedentes, probe gnarus: HOSTI fugienti etiam pontem aureum, si res postulet, sternendum. Hic exitus fuit expeditionis Persicæ minus prosperæ, cujus suscipiendæ præcipui suasores fuere Ulumas Begus, & Ibrahimus. Uterque capite cladem luisset, ni meliora fata Ulumam eripuissent

A) Tigris immissus fuerit: nam alteram Babylonem Chaldeæ, Euphrates mediam secuit, ut Curtius loco laudato testatur; & Philostratus L. I. c. XVIII. qui pontem Euphrati injectum, elegantissime descriptum ad posteros transmisit. B) Annales. Scribunt nonnulli tota expeditione quadringenta millia Turcarum desiderata, aucto supra modum numero.

A. C. 1536. Ottomanorum insanæ consuetudini. Nam in plerosque, qui vel Duces, vel authores belli sunt, si contra, ac in votis habent, res cadat, tanquam publicæ calamitatis fontes, culpam omnem conjiciunt, fortunæque duriori suo sanguine litare coguntur. QUASI vero dubii eventus belli ab his unis dependeat, habeantque in potestate fortunæ rotam. Quanquam Ibrahimo necem multa alia maturarint, quæ si per otium hic referrem, non ambigo, me gratiam initurum ab avidis talium. Sed satius sit indicata quam paucissimis eorum summa, Historiæ dignitati, ac Lectoris festinationi juxta consulere.

Haud æquis oculis Purpurati, Ibrahimi in aula potentiam aspexere; sibi, familiæque suæ injuriam fieri existimantes, si favor Principis in unum benignior. Et profecto admiratione res digna: hominem e vili domo prognatum, Christianis parentibus editum; primam ab Imperatoria dignitatem obtinuisse, quamque Juvenis adeptus est gratiam apud Selymum, & Solymanum, ad eum usque diem optimis belli, pacisque artibus perpetuam fecisse; principem in consilio, & animo Imperatoris, locum habuisse inter æmulorum, quos nunquam non parit invidia, multiplices fraudes illæsum. Nec minor apud militem in castris. Anteire agmen, discrimen quodvis exposcere, locum castris capere, consilio, ac sæpe etiam manu hostibus obniti solebat, veste, habituque vix a gregario milite discrepans, incorrupto tamen Vezirii honore. Sed eo jam hominis potentia pervenerat, ipsum Solymanum ut formidine non raro perstringeret. Nempe FIT INTERDUM ut Principes, ubi omnia in unum congessere beneficia sua, in eo reformident, damnentque sero liberalitatem, quasi tela dedissent, quibus identidem impugnentur. Talis, tantusque cum esset, per fæmineas artes corruit. Roxolana, Solymani consors, ut in unum liberorum sive Bajazethem, sive Selymum summa Imperii transferretur, dudum elaboravit, obnitente semper Ibrahimo, qui majori studio, quam prudentia, Mustaphæ ex altero thoro suscepti partes, mordicus sequebatur, plenamque invidiæ æmulationem, eam ob causam alebat.

In reducem e Persia valida factio incubuit. Dicebat Soltana: *Ibrahimum nefaria consilia cum Principibus Christianis miscere, per hunc omnia sanctioris senatus decreta ad exteros effluere: inde tot amplissima munera missa. Oratores magis ambire Ibrahimi gratiam, quam Solymani, hunc Imperatoris loco ab omnibus jam haberi, & coli. Hujus suasu nondum Hungariam, nondum Germaniam debellatam; in Perside ingentem cladem Imperio Ottomanico nuper illatam; istius perditis consiliis jure tribuendum, ad Viennam, ad Ginsium male cessisse belli aleam, quod Ibrahimus, animo certo Christianus, ejusdem Religionis homines præ Mahometanis foveat* Addidit muliebres inter blanditias, lachrymas, veluti doloris, solicitudinisque indices, quas nihilominus in potestate habuit, & pro arbitrio fudit. Postremum monuit Solymanum: *consuleret saluti suæ, ab Ibrahimo Imperii* A) *insidiatore, quam maxime caveret, cui non aliud propositum, atque ut stirpe Ottomanica excisa, se aliquando Imperatorem vulget. Elatos viri spiritus, ac ultra privatæ fortunæ modum indomitos, id unum loqui.* Hæc seu vera, seu magnam partem conficta, ad perdendum infelicem opportuna erant. Die Mercurii circa idus Martias, in aulam accitus ad lautiores epulas, postquam periculi securus quietem capit, morte sublatus fuit, facultatibus, quas amplissimas numeravit, ad Fiscum redactis. Sed in Africam revertamur.

Doluit vehementer Cæsari, Hispaniarumque Regi Carolo, Solymanum Chairadinis, sive Barbarossæ ductu, in terris Africæ pedem fixisse, Tuneto, Guletaque Imperio Ottomanico annexis, conjecitque (ni mature spe Africæ dejiciantur Turcæ) non ante quieturos, quam in reliquas regni vastissimi provincias, gradum faciant, partem orbis non minimam subjugent, Hispanos, & vicinas gentes dominatu maris excludant; novas opes, & vires grandi alioquin Imperio socient. Itaque ipse bellicæ gloriæ supra modum,

A) Cum Christianis Principibus occultum fœdus pepigisse Ibrahimum Annales memorant, quo Imperii summa potiretur apud Ottomanos. Vide Brietium ad annum 1535.

modum & post Cæsarum memoriam avidissimus, in Africam A) exercitum deportare constituit, ut tam multis ex omnium hostium genere victoriis, novam trans maria de Barbarossa adderet. Nec spe sua frustratus erat. Decimo septimo Calendas Julias anni millesimi quingentesimi trigesimi quinti, classem, Africæ edomandæ parem, ad portum Uticæ B) applicuit, quo Pontificiæ, Neapolitanæ, Siculæ, Melitenses, aliorumque Principum Christianorum naves sunt appulsæ. Post jactationem refectus miles, Guletæ admovetur. Hanc Chairadines rebus omnibus apprime instruxerat, etsi non dubitaret ad Solymanum perscribere, se penitus omni metu solutum nihil mali sibi, Africæque metuere; tantum famæ, ac terroris militaribus factis sibi peperisse, ut si albi coloris pileum, quem gestare solebat, grandiori hastæ præfixum, Christianis conspiciendum objiceret, terga haud dubie versuri sint, classemque in Europam soluturi. Reipsa, dum isthoc de se magnifice jactarat, induci non potuit, ut fidem haberet, Carolum in Africam cum exercitu trajecturum, cui satis negotii facessivit Europa. Sed ubi auditum, vulgatumque, prævalidam classem in Africam festinare, ut erat vir strenuus, & imperterritus ad belli famam, navalem, bellicumque apparatum ad Guletam contrahit, militem suum nunquam non prædæ inhiantem ad signa citat, binas turres, in Guletæ securitatem excitatas, præsidio firmat. Verum utraque post brevem verberationem murorum, a propugnatoribus deserta, in Hispanorum potestatem devenit, fuitque augurium, propediem Guletanam arcem casuram.

A. C. 1536.

Eam Carolus quam arctissima corona cingi, vallis, ac castellis e militari arte constructis, tormentisque continenti serie verberari jussit. Pluribus diebus tenuit oppugnatio, quod vellet militum sanguini parcere, crebrius dicere auditus: *sibi majori gaudio fore vel unum e suorum numero salvum, incolumemque servare, quam barbarorum centum interfectos videre.* Sed quanto magis Imperatoris cura in militum salute desudaverat, tanto acriores stimulos iis subdidit vitam projiciendi, sive dum obsessi eruptione facta, opera castrorum demoliri vellent, sive dum propugnaculis conscensis pugnas miscerent. Tandem in conspectu Muleassis (venerat is in castra Caroli cum ducentis equitibus Mauris) quem regno pulsum proxime memini, Guleta per assultum capta est, postquam e quaternis turribus una, perpetuis machinarum ictibus procubuit. Barbari partim ferro Hispanorum, partim aquis suffocati periere. Præter tormenta variæ fortunæ, & arcus, vix quidpiam spoliorum repertum. Præsidio arci imposito, Tunetum agmen duxit Carolus, utque clarior urbi appropinquaret, alteram in itinere victoriam adeptus fuit. Barbarossa c) enim viribus suis confisus, locum castris opportunum ceperat, qua Carolo copiæ traducendæ erant, nec pugnam detrectaturus, si Hispani auderent. Nocuit homini sua temeritas. Collatis signis ferocius, quam cautius, non procul a Tunetana urbe, magna suorum strage profligatus est. Janicsari pro veteri nominis dignitate in acie substitere; at cum virtute, numeroque impares, hostili ferro passim occumberent, Barbarossam pudore, metuque confusum fugientem sequuntur.

Hanc victoriam cumulavit Tunetum, ingenti ausu captivorum interceptum. Detinebantur isti magno numero in urbe ad publica onera perferenda, & pro arbitrio Herorum sub hasta vendebantur. Diuturna calamitas, & Barbarossæ minæ ad libertatem conficiendam, omnibus eandem mentem inspiravere. Jactaverat enim insanas voces: *si prælio vinceretur, se cum ergastulis Christianos in auras ejecturum.* Ergo inito inter se consilio, e carceribus prorumpunt, raptisque telis, quæ ad manus erant, præsidiarios invadunt, & delent, sibique urbem vendicant, quoad Cæsar veniret. Ad nun-

A) Africanum hoc bellum feliciter susceptum, & confectum, literis prodidere Aloysius Armerius, & Joannes Etrobius. B) Utica & magnitudine, & dignitate secunda post Carthaginem, atque hac a Romanis excisa caput regionis fuit. Mors Catonis hanc multum nobilitavit. Strab. L. 17. c) Etrobius scribit centum quinquaginta millia convolasse; longe minorem calculum ponunt Annales Turcici, nempe novem millia.

A. C. nuncium feralem expalluit pirata, celeriterque Tunetum contendit. Sed 1536. cum portas occlusas videret, in montes cum copiis semet conjecit. A Marchione Vastio in fidem Cæsaris urbs accepta, mox a victore milite direpta fuit Muleasse incendente, qui Tunetanorum levitatem, qua ad Roscettem deficere voluere, hac populatione castigandam duxit. Retrusus Barbarossa in solitudinem, cum milites passim signa desererent, senescentemque Ducis fortunam metuerent, consultius habuit, vela Constantinopolim flectere, quæstuosiorem extra Africæ limites petiturus provinciam. Hunc in modum pacata Africa, paterno regno Muleassen restituit Imperator, voti utique compos, quod Solymano nobilem portionem Africæ eripuerit.

1537. Persicum, Africanumque bellum excepit Venetum anno MDXXXVII. nescio an Reipublicæ culpa, an Turcarum perfidia obortum. Fruebantur alta pace Veneti regnante Selymo, & quamvis per ea tempora, occasionem res prosperas gerendi terra, marique haberent, tamen fœdere cum eo icto stetere; neque Cæsari, neque aliis Principibus adversus Ottomanos opem tulere. Sed cum Solymani classes maria omnia percursarent, nec Veneti navigatione abstinerent, mercium aut insularum defendendarum causa, frequenter accidit, ut avaritia impellente navigiis manus injicerent, in mutua jurgia, odiaque exardescerent, & e privatis simultatibus commune bellum accenderent. Quin imo Imperatoris jussu Venetæ triremes, dum in portu Alexandrino in anchoris hærent, cum Præfectis earundem, & nautis occupantur, mercibus in ærarium Imperii relatis. Nec multo post Barbarossam, & Lutsim Bassam, paris odii in Christianos, mari Jonio rem agere mandat; ipse terrestres copias e Thracia per Thessaliam, in Macedoniam ducit, tanta usus celeritate, ut prius ad Aulonem metatus fuerit, quam Byzantio excessisse fama in Italiam perferret.

Iisdem fere diebus classis Ottomanorum, Malea superata, Zacynthum, Cephaleniam, Corcyram prætervecta, Aulonem secundo cursu tenuit, nullo hostilitatis signo edito. Sublatis anchoris, improviso Calabriam A) contra Aulonem sitam invadunt, castrum deditione acceptum, violatis pactis diripiunt, præsidiarios vinculis onerant, Salentinorum agros exurunt. Nondum hæc scintilla Venetos corripuit, cum Alexander Cantarenus privato dolori nimium indulgens, quod mercibus onustam navim attinuerint Turcæ; duabus hostilibus demersis, Rempublicam gravi incendio involvit. Hanc injuriam ulturus Solymanus, belli Veneti alioquin cupidus, motis ab Aulone castris, in Epirum ducit. Montium accolæ, rupibus suis duriores, ac libertatis, qua inculta regio tot annis floruit, studiosissimi, temerarium facinus sunt aggressi. Solymanum tanti exercitus Dominum, ubi miles nocturnæ quieti indulserit, paucorum manu trucidare statuunt. Damianus author, & Dux præcipuus facinoris, e notis rupibus castra speculatus, excubiarum industriæ imponere non potuit. Captus, ac cruciatuum acerbitate victus, insidias detexit, gentique suæ excidium maturavit. B)

In Corcyram subinde, ditionis Venetæ insulam, transvectus exercitus, ejusdem nominis præsidium oppugnare aggressus est, conatu sane majori, quam successu. c) Quippe Aloysius Ripa, & Simon Leonius Veneti, eversis suburbiis, quæ Turcis præsidio potuissent esse, locum rara fortitudinis laude defenderunt. Unum metuebant inprimis, ut ne fame vincerentur ad extremum, hostium victores. Ut malo occurrerent, eos omnes, quos ætas ad arma non finxit, oppido ejiciunt. Funestum agmen, vel ipsis hostibus commiserationis sensum incutere potuit, non Corcyrensibus, qui ad preces, ad lachrymas surdi, unius Reipublicæ salutem præ oculis habuere. Hoc edito fortitudinis exemplo, Ottomano spem ademerunt oppido potiundi; & reipsa Solymanus, tædio longioris oppugnationis fractus, satis

A) Hæc regio nomina varia a variis accepit. Græcis erat Messapia, sive Japygia. Romanis Salentinia; ornant eam binæ civitates Brundusium, & Tarentum a Romanis Scriptoribus nobilitatæ. B) Albanos hac expeditione fuisse coercitos Annales Turcarum volunt. c) Joannes Bapt. Verus L. IV.

A. C. 1537.

ſatis operæ pretii ſe feciſſe exiſtimavit, quod multa, graviaque detrimenta invexerit in inſulam, ferro, & igne vaſtatis agris, atque incolis in ſervitutis jugum abreptis. Barbaroſſa tempeſtate compulſus ad oram Buthroti, eam urbem improviſo occupavit, omnique crudelitatis genere in cives deſæviit. Solymanum terra procedentem conſecutus, haud procul Galata mancipia, bello capta, continenti expoſuit, evocatisque per præconem Byzantinis, vili admodum pretio ea divendidit, omni pecunia ærarii Principis facta. A)

1538.

Venetis terra, marique bello laceſſitis, fœdere novo acceſſere ſummus Pontifex Paulus III. & Carolus V. quanquam pars nobilitatis cum Reipublicæ Duce, pacem præ bello amplectendam, & ſuperioris anni cladem pacato animo concoquendam ſuaderet: *affore haud dubie*, ajebant, *proceſſu temporis opportunitatem, quo cum fænore damna Reipublicæ reſarciant. Non eſſe irritandum novis fœderibus, aut aperta belli denunciatione Solymanum, exercitu, maritimis Ducibus potentem. Futurum aliquando, ut fortuna eatenus invicti Imperatoris, faſtidio, ac ſacietate capiatur, & retrocedat.* At Sebaſtianus Juſtinianus, Petrus Mocenicus, aliique Reipublicæ columina, oſtenſo fœdere Principum Europæorum, majorem ſuffragiorum partem ad bellum proſequendum occuparunt. Impenſis Fœderatorum educta claſſis ducentarum navium, & quinquaginta. Pontificiis præerat Marcus Grimanus Aquilejenſis Patriarcha; Cæſareis Andreas Doria, ob eximiam rei maritimæ ſcientiam, vulgo Neptunus appellatus; Venetis Vincentius Capellius.

Hæc dum Byzantium perferuntur, Barbaroſſa claſſis Ottomanicæ centum triginta navium Imperator, Helleſponto provectus, Scyrum B) inſulam repente ſubigit, capto Franciſco Cornaro loci Præfecto. Ne eodem impetu Schyathum opprimeret, Hieronymus Meno obſtitit. Oculo ſagita graviter percuſſo, pugna prohibitus, a perfidis civibus palam trucidatur. Scelus vindicavit Barbaroſſa, interemptis, qui primi conſilio, aut manu prompti, dirum facinus ſunt aggreſſi. Hac victoria ferox, in Cretenſem inſulam vela fecit, expoſitisque copiis Cydoniam c) urbem tentavit. Verum repugnante Gritto, inſulæ Prætore, ac civibus pro fortunis acriter dimicantibus, amplius mille interfectis, receptui cecinit. Nec felicior ad Retimum D) erat, quod oppidani prius majoribus tormentis in claſſem fulminarent, quam portum intraſſet. His vario Marte peractis, poſtquam idoneis authoribus didiciſſet, Chriſtianorum claſſem, quam fama in immenſum auxerat, ad Corcyram veniſſe, e Cretico mari Jonium petiit, Ambraciumque ſinum plenis velis intravit, certus arctiſſimas fauces illius ſinus, adverſus vim hoſtilem tueri. Et jam Grimanus Nicopolim, E) in Actiaco promontorio ſitam, Pontificiis triremibus obſeſſam tenuit, tribusque tormentis muros verberavit, quæ Juſtinianus, Grimani Legatus, incredibili audacia faucibus ſuperatis, adduxerat. Spem expugnandæ urbis dubiam primum reddidit Turcarum adventus ab Ætolia, dein penitus intervertit. Grimanus fugatus obſidionem ſolvit, inque Corcyram ſe cum navigiis retulit, operæ pretium ſe feciſſe ratus, quod Turcarum vires, naviumque numerum exploratum haberet.

Erant illæ nec numero, nec robore pares. Quapropter Doriæ, cæterisque Ducibus viſum fuit, univerſam claſſem propellere ad Ambracium ſinum, ne Barbaroſſa fuga ſemet ſubduceret, conatusque pulcherrimos una hac via eluderet. Ergo anchoris motis, Jonio mari ferebatur claſſis ducentarum,

A) Locus, ubi captivi venditi, ſaxum Cunarum dicitur. Nomen hoc inditum putat Leuncl. c. 245. a matrum venditione liberos in cunis habentium; Galata diſtat Leuca una ad Bosphorum Thracium verſus os ponti Euxini. B) Scyrus Ægei maris inſula. Strab. L. IX. pag. 498. c) Cydonia, aliis Canea adeo populo referta, ut mater aliarum urbium vulgo audiret. D) Retimus, nunc Retimo, urbs Cretæ, uti & Canea. E) Nicopolis hæc (hodie Preveſa) condita ab Auguſto poſt Actiacam victoriam ad fauces Ambracii ſinus, navali prælio reportatam, devicto Antonio, & Cleopatra, quæ certamini intereſſe non dubitavit. Conſule Hiſtoriam Rom.

A. C. tarum, quinquaginta navium raræ magnitudinis, & prætervecta angustias,
1538. inter militum, nautarumque fremitus, signis undique canentibus stationem fixit ad Leucadem. Tum enim vero Barbarossa expallescere, anxie Imperatoris munia obire, solicite militem armare. At Tabaches Eunuchus, cui classis post Barbarossam a Solymano commendata erat, sive æmulatione incitatus, sive reipsa animos additurus militi (qui PLERUMQUE Ducum spiritus induit) non formidavit homini in os objectare immaturum timorem, hortatusque est, ut maritimarum victoriarum memor, pugnam ineat, e faucibus erumpat, & vasto mari sequatur fortunam. Non tulit ferociam æmuli; Gubernatores navium extemplo jubet sinu Ambracio egredi, litusque sinistrum Acarnaniæ capere eo consilio, ut si vim Christianorum ferre non possent, obversis continenti puppibus, militem terræ exponerent, maritimumque prælium terrestri mutarent. Jam utraque classis in aperto pelago vires explicaverat, mutuoque se in pugnam provocarat, neutra tamen ausa est universi certaminis signum edere, procul dubio ob periculum geminum, quod partim ab infido elemento, partim ab ancipiti pugna imminebat. Dextro lateri præerat Tabaches, sinistro Salecus; mediam aciem Barbarossa regebat; omnes Africanis præliis, atque victoriis clari. Capellius præter alios Præfectos ineundæ pugnæ perquam avidus, egit apud Doriam, ne tempus ultra tereret, occasionem, quam præ manibus haberet, haud negligeret; se cum Venetis suis nullum vitæ discrimen recusaturum. Eadem Grimanus repetebat, tanta vocis, animique contentione, ut facile milites, nautæque verba exciperent, mirarenturque juxta, quid tantopere Doriam ab certamine deterreret?

Jam ex utraque parte, ferociores in altum provecti, velitationes in omnium conspectu fecere, in quibus Ottomani superiores erant; duas enim triremes alteram Venetam, alteram Dalmaticam flamma absumpserunt, tres cum vectoribus captivas abduxerunt. Doria nihilominus nec laborantibus succurrit, nec in pugnam elici potuit propterea, quod putaret Barbarossam cunctationem hanc in metum accepturum, captaque inde audacia invasurum onerarias, a quibus certa clades impendebat; adeo omni telorum genere ornatæ erant. Sed veteranus Dux in potestate animum habuit, neque credidit prosperis initiis blandientis fortunæ. Dum sic mutuo in conspectu Doria, Barbarossaque plures horas transigunt prope desides; intendentibus se primis tenebris, subito concitatis cæca vi fluctibus, volvi cœptum est mare, ventoque multum increbrescente, munia militum, nautarumque sævissima tempestas turbavit. In tanta maris, animorumque perturbatione unum supererat, ut Corcyram, fidam navigiis stationem, peterent; quod adeo ordine confuso, trepideque peractum, ut ignibus in prætoriis navibus sopitis (ne scilicet hostis sentiret, quo semet reciperent) fugam continuarint. Ferunt Barbarossam Christianorum classem aliquamdiu persecutum, sed alta jam nocte cursum inhibuisse.

Crevit exinde Turcis animus. Et Dux non contentus Doriam cessisse palmam, ad Corcyram processit, ultro illaturus arma, qui nuper se subduxerat. Hic rursum, ne quid temere agerent nostri, multa deliberatione tempus extrahunt, Ottomanisque spatium concedunt, Ambracium sinum repetendi, indeque Byzantium hieme ingruente. A) Discessu hostium recreati, præ Dyrrachio Castellum novum B) oppugnandum censuerunt, quod illud præter validum præsidium naves hostiles defenderent, istud modica militum manu teneretur. Veneti sinum ingressi, remorum adminiculo, cum scalæ deessent, muros oppidi superarunt. Hispanos graviori passu muris appropinquantes, duobus Centurionibus amissis, tanta ex dedecore indignatio, ac furor invasit, ut acuente vires ira, conjectis in fugam oppidanis, alia ex parte in oppidum penetrarint. Restabat Castellum saxeo monti impositum, non alio magis securum, quam pervicacia defensorum. Fracta est illa triduo post, quam captum est oppidum. Præsidiarii libertatem,

&

A) Annales Turc. hæc referunt ad sequentem annum. B) Castellum novum Dalmatiæ præsidium ad mare Adriaticum.

& copiosam prædam amisere. Hic Fœderatorum res adhæsit, & spes Principum Christianorum evanuit. Quippe cum ex fœdere oppidum Venetis deberetur, Hispani, Capellio nequicquam reclamante, occupant, injectis quaternis millibus peditum Francisco Sarmento Ductore. Qua re vehementer offensi Patres Veneti, Hispanorum societatem exosi, a Solymano inducias petierunt; quas tamen insita homini arrogantia negavit. A. C. 1538.

Redierat is e Moldavia, quo hoc anno adversus Petrum illius provinciæ Regulum, sive Vaivodam, expeditionem suscepit ob cædem Ludovico Gritto illatam, & injurias, quibus mercatores Turcas A) affecerat. Nam qui Ponticam navigationem mercium causa exercuerunt, sæpius Moldaviam petiere. Hos ille partim sub specie variorum criminum, palam trucidari jussit; partim immissis clam sicariis e medio sustulit. Egerat prætera in aula Byzantina exul, Petri Germanus, Stephanus. Hic corruptis multo ære Purpuratis, Solymanum permovit, ut fratri adimeret dignitatem, sibique jure sanguinis debitam traderet. Cum Moldaviam intrasset, Proceres se, suaque omnia dedidere; Principem pariter dedituri, nisi in Transylvaniam maturata fuga se subduxisset. Potitus Moldavia, Stephanum provinciæ præficit ea conditione, ut quotannis decem millium aureorum summam pendat. Petrus a Joanne Rege captus, Byzantiumque missus, Galatæ exulavit. B) Solymano præter solidam gloriam hac expeditione reportatam, in belli præmium cessit ager trans Pruthum amnem amænitate soli, ac ubertate frugum commendatus, Moldaviæ avulsus.

Nondum annus se circumegerat, quod Castellum novum, Dalmatiæ præsidium, in Hispanorum manus devenerit, cum Barbarossa accepto Janicsarorum supplemento, rursum Adriaticum mare invasit, Hispanosque nova possessione dejecit. Sarmentus loco præfectus, etsi strenue vim vi repelleret, tamen cum mænia in dies lacerarentur, & præsidiarii vigiliis, ac inedia confecti, vix armis sustinendis vires haberent, Turcarum multitudini obsistere non potuit. Supremus assultus urbem, juxtaque militem perdidit. Largius eo die cadente imbre, hostis impressionem adornat cum fortissimis peditum cohortibus. Hispani, qui minoribus fistulis suis perpetuo terrori erant, nulli usui potuerunt esse pluvio cælo sopiente ignes, quibus funiculi animari eo temporis solebant, ad nitratum pulverem accendendum. In hac rerum iniquitate, provinciam intrepide administravit Sarmentus: gladiis rem agere milites jubet, ad ruinas murorum Janicsarorum impetum excipit, neve inulti caderent, hortatur. Sed postquam Ductorum plerisque cæsis, aut læsis pugna refrixit, pauci, qui supererant, abjectis armis turpiter recedentes, vitam precabantur. QUASI vero barbarorum manus contineri possent, ubi victoria ad vindictam pariter, & prædas impellit. Trucidati sunt omnes, qui primam furentium tempestatem non evaserant. Octingenti circiter in inferiori arce, deditione facta, mancipiorum numerum auxerunt Byzantium abrepti. 1539.

Quid Sarmento factum? Scriptores variant. Alii captum, ac Solymano missum; alii strenue pugnantem cecidisse affirmant. Haud procul inde Rizonium, C) Veneti Imperii Castellum, terrore armorum subegit. Præsidiarii ad Barbarossæ victoris adventantis famam animis victi, loco cesserunt. Cattara D) urbs, unius hominis fortitudine, Mathæi Bembi, qui Prætoris munere fungebatur, blanditias primum, tum etiam vim admotam pervicit. Agebat literis Barbarossa, urbem ut traderet, Imperatorias vires ut ne irritaret. Negavit Bembus se id unquam facturum: vitam potius, quam urbem dediturum. Ira, indignationeque succensus victor, propulsa classe in sinum, speciem obsidentis præbuit. Sed cum armati pro mænibus frequentes excubarent, veritus ne in longum traheretur obsidio, Byzantium abiit.

A) Annales Turc. & Istvanff. L. XIII. B) Istvanff. Annales addunt, pristinæ dignitati restitutum, quod & Istvanffius meminit: trucidatis Stephano, & Alexio, qui huic successerat. Vide annum 1541. C) Rizonium, alias Rizonum, Castellum Dalmatiæ mari Adriatico adsitum, ditionis Venetæ. D) Urbs ad limites Albaniæ.

A. C. 1539. Cum gravior, auctisque legionibus ferocior, Venetis rebus immineret Barbarossa, Patres gravissimo bello fessi, atque Hispanorum Ducis arroganti imperio offensi, pacis consilia iterum inter se agitarunt. Thomas Cantarenus Byzantium missus, fœderis procurationem infeliciter cœptavit. Etenim Solymanus ære emptos quosdam habuit, quorum opera Reipub. arcana edidicit. NEC ÆRA quæstuosius impendi solent, neque utilior Principibus scientia, quam hæc. Quippe una est Philosophia regnantium, consiliorum secreta rimari; naturæ vero abdita otiosis relinqui. A) Aloysius Baduarius eandem telam quoquo modo pertexere jussus, adeo difficiles reperit Purpuratos, ipsumque Principem, ut vix manum operi admovere auderet. Nam aula Byzantina, haud ignara quid actum in Senatu Veneto, quibus incommodis pressa Respub. quantopere pacem præ bello exoptet, quid in mandatis acceperit Baduarius, omnes conditiones superbe rejecit; donec Epidaurum, Naupliam, urbes nobilissimas Peloponnesi cessisset. Vulgatis conditionibus omnium invidia laboravit Legatus. Detecta subinde quorundam perfidia, qui Reipub. vulnera, res in Senatu actas enunciarunt, viro clarissimo vetus existimatio rediit, proditoribus ultimo supplicio affectis. Pax firma inter Solymanum, & Venetos inposterum floruit.

Eodem tempore, fortene, an dolo? incompertum; funestissimum incendium urbem corripuit, tanta celeritate, ac vehementia flammæ grassantis, ut spatio unius diei, ac noctis, potior Byzantii pars in cinerem resederit. B) Erupit hæc pestis in eorum apothecis, qui pice, resina quæstum facere solent, tanto acriore furore, quanto edaci elemento opportunius pabulum ad vires suas alendas, & propagandas in principio oblatum. Juxta locum, ubi primum incendium obortum, turris vastissima steterat, aut potius ergastulum, scelerum reis destinatum. Erant id temporis compacti eum in carcerem prope septingenti, qui ad unum omnes flammis hausti, celeri fato pœnas præverterunt. Feliciores depeculatores vectigalium, qui ne eodem malo involverentur, effractis carcerum foribus in libertatem asserti sunt. Sed nusquam majori clade hominum, atque mercium deflagratione, desæviit indomitus ignis, quam in vico Hebræorum. Cum enim ædificia non interrupta serie connexa sint, ut tectum tecto cohærere credas, frustra sopire malum nitebantur, superante vi flammarum industriam Janicsarorum, quos partim civium calamitas, partim prædandi studium e stratis accivit. Accessit & alterum, incendio longe gravius, malum. Egentissimi quique in spem prædarum rapido cursu ferebantur, hinc illinc per urbis compita, & prædivitum mercatorum officinas, quibus flamma parcere visa est, evertebant, novis semper spoliorum sociis se per plateas collucentes addentibus.

Nec cohiberi poterant rapacissimæ furiæ. Nam occupaverat cuncta ubique pavor, intempesta nimirum nocte, ac civitate somno arctiore capta, eoque magis exterrita ad crepitantes flammas, dissonosque clamores. Et mercatorum multi, communem direptionem, populationemque suis fortunis illatum iri metuentes, occludere sese, ac firmare domorum aditus institere. Sed quanto diligentiori cura merces suas defensum ibant, tanto vehementius ad rapinam flagitiosos homines provocarunt, irritante cupiditatem mercium precio. Vix emerserant ex hac fortunæ sævitia Byzantini, in alteram inciderunt. Pestifera lues C) post stragem domorum incolas depopulata, vastitatem amplissimæ urbi intulit, integræque familiæ assiduis funeribus exhaustæ, fatalem hunc annum sunt expertæ. Nemo fere repertus, ad quem non pars aliqua cladis pertinuerit. Castigante Divina justitia urbem, quæ incendia belli pro libidine spargit, & in cædem mortalium levi de causa bacchatur.

1541. Annus præsens MDXLI. iterum funestus extitit Hungariæ, quod Solymanum grandi exercitu armatum hospitem Budæ susceperit, & subinde Re-

gia

A) Gulielmi Nassovii dictum apud Fam. Stradam Dec. I. L. V. ex quo nonnulla in rem meam. B) Annales Turc. & Codex Verantianus. Idem refert Leuncl. c. 200. & 247. C) Annales Turcici.

gia per fraudem intercepta Dominum coluerit. Ab expeditione postrema in Hungariam, res foris quietæ, non item domi habebantur, binis Regibus Ferdinando, & Joanne, pro exhausto regno armis concertantibus. Quanquam & inter hos induciæ aliquando factæ, ut arma vixdum recondita satis, de integro, mole, ac periculo longe graviori sumerentur, & quæ provinciæ bello intactæ erant, belli calamitatem sentirent. Pars altera Procerum Ferdinandi, altera Joannis partes tuita, utraque de patria spolia legit, & super ruinas urbium triumphum duxit. At Religio inter has turbas quam maxime vapulavit; non jam gliscente opinionum varietate, sed incendia per urbes, & oppida spargente. Nec Regibus tantæ vires, animique erant, ut grassanti malo serio obicem ponerent, metu turbarum majorum, ob id in dies enascentium; urgente præsertim belli negotio, quo versæ erant utriusque curæ, ad regnum sibi firmandum. PLERUMQUE enim acrius pugnatur pro focis, quam aris. Verum hujusmodi querelas persequi nolo, memor limitum, quos mihi susceptum scribendi genus fixit. Ad ea redeo, quæ inter Solymanum, & Hungariam, ejusque provincias acta, postquam anno quingentesimo trigesimo secundo supra millesimum Hungaria cum exercitu decessit. Consulto in hunc locum distuli, quæ prioribus annis prætermissa: nempe ne ex intervallo incurrentia in se, & permista diversa gesta, Lectoris aviditatem moleste interciperent.

A. C. 1541.

Abeunte Byzantium Solymano, Zapolyus cum Ferdinando Rege inducias init, utque Solymanum in easdem pertraheret, Ludovicum Grittum Constantinopolim ablegat. Non abnuit ille inducias, moturus bellum Persidi, modo Corone urbs A) Peloponnesi, a Carolo Cæsare pristino Turcarum juri redderetur. Adfuit non multo post Viennæ ex eorum numero, quos Chausios dicunt, Mehemetes. Primus hic ad Ferdinandum, Domumque Austriacam Oratoris nomine venit, singularique pompa acceptus. B) Redditis Imperatoris, ac Ibrahimi Vezirii literis, conditiones pacis in corona multorum Procerum Hungariæ recitavit. A Solymano Clementem VII. Pontificem summum accipi in Patrem, Carolum Cæsarem, & Ferdinandum in fratres; Ludovico Gritto in mandatis daturum, ut Joannem Regem ad pacem stabiliendam cum Ferdinando perpellat, aut certe Hungariam cedat. Postulare vero a Ferdinando, arcis Strigoniensis claves ut traderet. Istud minime fraudi futurum Regiis partibus, cum claves rursum remissurus sit. Cum Pontifice, Caroloque fœdus initurum septennio, si Corone præsidium Christianorum deducatur. Sed dum in urbe reddenda moras nectit Carolus, & Clemens vivere desiit, spes pacis cum amissa Corone præciditur. Interea Grittus C) favore Byzantinæ aulæ prætumidus, apud Selistriam superato Istro, Valachiam transalpinam ingressus cum quatuor Turcarum millibus, majori invidia, quam terrore, dignitatem Gubernatoris Hungariæ ostentavit, ac utriusque Valachiæ Principes subegit. Transcensis alpibus ad Coronam D) metatus, Emericum Cibacum Transylvaniæ Præfectum, per fraudem in castra pellectum, trucidari jussit. Ad vindicandum facinus patratum, continuo arma rapuerunt Siculi, Moldavi; & Megyesini obsessum tenuere. Ubi arcem a Transylvanis captam, & Turcas pecorum instar a victoribus cædi animadvertit, elabi conatus cum duobus filiis, a Valachis intercipitur, omniumque suffragiis, manibus ante præcisis, capite truncatur. Filii paternæ calamitatis hæredes, in Moldaviam rapti, pari fato finem vivendi fecere.

Cædes Ludovici peracta est connivente Joanne Rege, qui nimium elatos viri animos, & Regiæ dignitatis æmulos, ferre non potuit. Adeo OMNIS amicitia in odium abit, ubi suspicio regnandi radices egit. Non dubiis quippe authoribus accepit Joannes, Grittum clanculum egisse, cum Ibrahimo de regno Hungariæ occupando, quo illud adversus Ferdinandum perpetuo defenderet, bellumque vicinæ Austriæ inferret. Ut primum fama vul-

A) Corone capta ab Hispanis anno 1532. B) Istvanff. L. XII. C) Anno 1534. D) Corona urbs Transylvaniæ.

A. C. 1541. vulgaverat, Grittum odio concurrentis populi interfectum, Solymanus compositis ad Zapolyum literis, in iisque recensitis beneficiis, quibus ab inito regno eum non parce cumularat, Grittum repetivit, quem cum manu peditum, equitumque misit in Hungariam, ut æquata cum Joanne potestate Rempub. moderaretur. Non deerant homini verba, quibus se purgaret: ajebat: *præter voluntatem accidisse crudele facinus: se efferato Daciæ populo non potuisse arma excutere: frustra sibi imputari cædem, quam nec consilio, nec manu maturavit; imo detestari barbarum factum, & si Superi sinant, non instrenue ulturum.* Quibus in præsens utcunque mitigatus, ultionem distulit, sive quod Persicum bellum præ foribus haberet, sive quod metueret, ut ne Joannes desperatione veniæ subactus, Ferdinandeas partes amplecteretur. At non is erat Joannes, ut beneficiorum immemor, mutata fide repente hostis audiret, levique transfugio se in discrimen indueret, umbram majestatis, laciniasque regni sui penitus amittendi. Imo edito belli signo in Africa contra Carolum Imperatorem, Joannes, quo palam orbi faceret se stare a Solymano, ruptis induciis, Cassoviam, Ferdinando addictam, proditione Georgii Lonyaii capit, superioremque Hungariam armis in officio continet.

Rex Ferdinandus injuriarum impatiens, misso Leonardo Velsio cum exercitu, æmuli conatus repressit, vicissimque armorum terrorem circumtulit. Et tamen quasi utrumque pœnitentia subiisset, pacis negotium, commeantibus hinc, atque inde nunciis, operose agitatum est, calamisque certatum, alterum altero justius arma cepisse. Pax tandem coaluit. Joannes Regia potestate, titulisque uteretur, quoad vixerit; eo vita functo regnum Hungariæ in Ferdinandum transiret. Si Joannes filium susciperet (nondum consortem sibi delegerat) ei Dacia cederet cum principatu Oppaviæ in Silesia. A) Sed quod inconsulto Solymano confecta fuerit, Turcarum iram, indignationemque non vitavit Joannes. Mehemetes Jahioglis, Belgradi Præfectus, prædatorio agmine Eszekum B) adducto, in Posseganum agrum effusus, præsidio potitur, fugam capessentibus incolis. Nulla interposita mora, raptis in Croatiam signis, loca plurima sub jugum trahit. Clissa C) ingenio loci tutissima, victoriæ cursum non cohibuit modo, sed & adegit Mehemetem, ut duobus castellis militari opere celeriter erectis, arcem clauderet, fame, sitique domandam. Ferdinandus tot incommodis occursurus, binos exercitus in campum educit, quorum alterum in Croatiam Duce Petro Crussichio Clissæ Præfecto, viro impigro; alterum in Posseganam regionem Joanne Katzianero, qui belli artibus multum inclaruerat ea tempestate, non sine spe victoriæ immittit.

Crussichius Clissæ suæ metuens, bina castella a Mehemete recens exædificata evertit, dumque Salonæ D) imminet, Amurathes Verbosaniæ Præfectus celeritate usus, tanto ardore in Crussichium fertur, ut Italos, Germanosque pavore, ac animis victos, primo impetu profligaverit; Dalmatarum aciem proruerit. Crussichius fugientium terga incredibili virtute tuitus, ubi ad maris Adriatici litus pugnando pervenit, equo desiliens, navim, quæ juxta aderat, petit. Sed destituit fortuna consilium. Navis fugientium militum, qui se certatim in eam præcipitarant, pondere tardior, nullo nautarum conatu e litore propelli potuit. Ottomani, luctantes cum arena intercipiunt; Crussichio equitum Ductor caput ferro demessuit. Clissenses intellecta sinistra fortuna Christianorum, cum diuturna siti vexarentur, arcem ad eum diem Dalmatarum, Hungarorumque virtute invictam dediderunt. E)

Hanc

A) Istvanff. L. XII. ad annum 1536. B) Eszekum ad confluentes Danubii, & Dravi situm, validum propugnaculum. C) Clissa editæ rupi imposita, Belæ Regis Hung. liberos hospitio excepit, dominantibus late Tartaris in Hungaria. Existimant quidam hanc Diocletiani Imperatoris odio, & tyrannide in Christianos infamis, patriam fuisse; ac Diocletianam dictam. D) Salona urbs celebris a portu suo. Meminit illius Strabo L. VII. de Dalmatia. E) Istvanff. L. XIII. ad annum 1537.

Hanc ſtragem longe funeſtior excepit. Katzianerus ſuo in exercitu numeravit ſedecim millia peditum, octo equitum. Grandes eo tempore copiæ, & Ottomanico exercitui vincendo pares. Ludovicus Pekrius Hungaris, Croatiſque præfuit. Peditum Magiſter Ludovicus Comes Lodronius; Equitum, qui e Bohemis conſcripti, Albertus Schlikius; Joannes Ungnadus Styros, Erasmus Magerus Carinthos ductarunt. Apud Valponem, Petri Perenyi oppidum, dum pons imponitur flumini, multum conſultarunt Duces, num recta in hoſtem eundum? an vero Eſzekum impugnandum? vicit poſterior ſententia. Vix ad Eſzekum caſtra ſunt poſita, continuo in regione hoſtiliter direpta, ingenti rerum omnium inopia laborare occipiunt; nec commeatus tuto advehi poterant, Turcis itinera inſidentibus.

A. C. 1541.

Itaque premente fame exercitum, iter relegunt tanta feſtinatione, ut majoris formæ tormenta ferro diffregerint. Sed paluſtria loca frequentes moras injecere. Turcæ viſa Chriſtianorum trepidatione, perpetuo tergo infeſti inſiſtebant, ſæpeque univerſam aciem levibus carptim præliis fatigabant, inprimis extremum agmen, cui inſequenti ab hoſte plus timoris, periculique erat, quod Paulus Bakicſius ſuis cum equitibus tuebatur. Apud Ivankam, Franciſci Zay arcem, in patentibus campis, majori numero Turcæ incurrentes, fortiſſimum Heroem Bakicſium glande plumbea proſternunt. Eo cæſo, exercitus non victoriæ, ſed fugæ viam anxie quæſivit. Concubia nocte Ladislaus Moræus ad vicinum ſuum Caſtellum evaſit; cujus veſtigiis contempta militari diſciplina, Ungnadus cum ſuis inſtitit. Tandem Katzianerus pavidus torpere, inviſus militibus, & prodito exercitu fugam arripere. Lodronius non ſe, non militem deſeruit. Imperator proclamatus, Turcas omni ex parte pugnam capeſſentes, animo imperterritus excipit. Tandem vulneribus confoſſus capite minuitur, cæſis, aut captis plerisque, Mahometes clariſſimus ab ea victoria Dux, virtutem ſuorum non minus verbis, quam ampliſſimis muneribus excoluit, præciſaque capita Bakicſii, Lodronii, Mageri cum nobiliſſimis captivis Solymano Byzantium dono miſit. Katzianerus, & Pekrius bello male adminiſtrato, ad cauſam dicendam a Ferdinando Rege accerſiti ſunt. Judicum ſententia damnati, iſte ſeptennio integro in vinculis exacto, libertati, & Dapiferorum Magiſtri dignitati reſtituitur; ille rupto carcere ad Turcam defectionem molitus, a Joanne Zrinyio in arce Koſztanicza A) perimitur.

Strage hac uterque Rex perculſus, icto inter ſe arctiori fœdere, laceratas Hungariæ provincias, contra communem hoſtem junctis viribus protegendas ſtatuunt. Joannes habito delectu, octoginta millia armatorum in ſuas legiones diſpeſcuit, quibus Ferdinandus aliquot millia ſuorum adjecit. Florentiſſimus hic exercitus in campus eductus, nihil, quod ſciam, egit. Solymanum tamen fama ſui, ſi non perterruit, certe in graviſſimam indignationem perpulit, quod facile ſentiret, Joannem Ottomanorum ſocietatem exoſum, Ferdinando fidem, & regnum juxta obſtrinxiſſe, nec in alterum, quam in ſe hunc grandem exercitum ali. Joannes fingendi artifex non imperitus, ſuſpicionem animo exemit feſtinatis nunciis: arma cepiſſe ſe ad Petrum Moldavum perdomandum, quem fuga Solymano ſubtraxit; at ſibi in arce Cſicsovienſi non multo poſt hominem crudelem dedendum. Et re ipſa, ſive ut fidem probaret Solymano, ſive ut ne otio miles difflueret, Petrum obſedit, tædioque calamitatum fractum, nulla injuria illata, Byzantium captum deportari juſſit. Placato hoc qualicunque obſequio Solymano, & pace cum Domo Auſtriaca ſtabilita, Iſabellam Sigismundi Regis Polonorum filiam ſibi matrimonio junxit. Verum admodum brevi tempore hac lætitia frui datum Zapolyio, ita moderante res humanas cœli, terræque Domino, ut proſperis adverſa miſceat, læta triſtibus confundat, pacem bello permutet. E Moldavicis turbis primum Tranſylvanicæ, dein Hungaricæ, veluti tradito invicem filo, eruperunt. Petrus, ut proxime diximus, principatu dejectus, corruptis multo auro Purpuratis, a Solymano contendebat,

A) Hæc non minus copioſe, quam eleganter complexus eſt Iſtvanff. loco laudato.

A. C. debat, ut in priſtinam dignitatem reponeretur. Quo rumore concuſſi Mol-
1541. davi, Ferdinandum orarunt, ut ſe ceu Rex Hungariæ, in tutelam reciperet; imo ſi in tempore auxilia ſubmitteret, ſpondebant ſe a Turca ſeceſſionem facturos. Res prodita Solymano molitionem evertit. Petrum prætorianorum turmis armatum, Moldaviam adire jubet, & provinciæ veteri præficit. Proceres Alexium Vaivodam pacate dominantem interficiunt; Petrum poſtliminio reducem, vultu ad hilaritatem compoſito, læti ſuſcipiunt, a quo magnam partem interfecti ſunt.

Altero poſt anno videlicet MDXL. Stephanus Mailatus, & Emericus Balaſſa Tranſylvaniæ Vaivodæ, conjuratione inter ſe inita, ad Ferdinandum deficere meditabantur. Ne conjuratio adoleſceret, ipſe Rex Joannes cum manu Hungarorum in provinciam celeravit. Captis duabus arcibus Balaſſianis, Hero veniam, ac impunitatem dedit. Paucis poſt diebus, cum ad arcem Fogaraſienſem, in qua Mailatus defenſionem parabat, exercitum ducit, morbo corripitur; mox acceptis nunciis de prole maſcula tertio Julii in urbe Regia nata, præter morem lautius epulatus, viceſimo primo Julii deceſſit, acto ætatis anno quinquageſimo tertio. Fato proximus Georgium Martinuſium, ſive Utiſinovichium, Præſulem Varadinenſem, & Petrum Vichium, Scriptoribus Petrovichium, tutores filio delegit; Proceres vero, qui aderant, obteſtatus eſt, ut ſui ſanguinis Regem in Pannonia paterentur: futurum enim eſſe ut Solymanus regni tutelam ſuſcipiat, ſi ad eum Legati propere mittantur. A) Et Iſabella e conſilio ſuorum Procerum, qui Rempub. gubernarunt, Oratores ſine mora Byzantium deſtinavit Joannem Eſzekium Quinque-Eccleſiarum Epiſcopum, & Stephanum Verböczium Epiſtolarum Magiſtrum. Hi expoſita Joannis morte, meditata oratione pupilli, viduæque cauſam commendarunt Solymano; & cum Ferdinandus Budam, cæteramque Hungariam armis repetat, maturam ut opem rebus labentibus adferre niteretur, orarunt.

Solymanus non tam Reginæ, pupillique calamitate, quam erga Auſtriacos odio permotus, Legatos benigne accepit, pollicitus, ſe omnibus Imperii viribus acturum, ne poſſeſſione per hæreditatem obtenta pupillus dejiciatur. Addidit ſe non Joanni modo regnum Hungariæ ſuis armis occupatum ceſſiſſe, ſed ejus etiam poſteris de Regia dignitate proſpexiſſe, neque admiſſurum, ut ſuperſtite Joannis ſtirpe, Ferdinandus rerum in Hungaria potiatur. Simul vexillum, clavam argenteam, acinacem auro, gemmiſque fulgentem, inſignia nimirum ſcenici Regis perferenda pupillo, B) Oratoribus tradidit. Cumque vulgatum eſſet, Ferdinandum Ducibus Leonardo Velſio, & Petro Perenyio, Viſſegrado, Vacio, Peſztho partim vi, partim deditione occupatis, Budam obſidere; Usreffo Bosniæ, Mehemeti Belgradi, & Amurathi Cliſſæ Præfectis in mandatis dedit, ut copias quamprimum Budam expediant: ſibi jam deliberatum in Hungariam proficiſci; idque appetente vere facturum; modo ipſi delecto cum exercitu feſtinent, Iſabellam in ſententia firment. Nondum Legati Iſabellæ, Byzantino agro exceſſerant, cum Laſzkus a Ferdinando decretam legationem obit apud Solymanum.

Suaſerat Laſzkus, ne armis præferocem hominem irritaret: elatos Imperatoris animos non alia re certius, quam modeſta legatione frangendos. Sibi Byzantinæ aulæ omnia perſpecta, explorataque eſſe; ſe & ſtudioſe, & perlibenter provinciam hanc accepturum, nec ambigere profectionis tædium Solymano cordi futurum. In itinere ſiniſtra valetudine vexatus, lectoque affixus ſubſiſtere cogitur. Crederes iſtud a bono illius genio eveniſſe, qui velut compedibus maturanti injectis, ne infauſtum iter continuaret, attineret pedes. Interim Ptolomæum Ariminenſem familiarem ſuum, quando in celeritate tantum momenti erat, ad Purpuratos, muneribus antea ſibi devinctos, præmittit, quo faciliorem apud Imperatorem aditum haberet. At infeliciter ceſſit omnis induſtria. Laſzkus ſententia Solymani, & Purpuratorum odio damna-

A) Verba ſunt Laurentii Toppeltini in Originibus & Occaſibus Tranſylvanorum. Iſtvanff. ad calcem L. XIII. ſimile quid adfert. B) Iſtvanff. L. XIV.

damnatus, quod turpi transfugio partes Joannis deſeruiſſet, in carcerem conjicitur. Erat Laſzkus, ut nuper narravimus, partium Zapolyanarum ſtudioſiſſimus, verum a cæde Cibaci, & Gritti cuſtodiæ traditus, ægreque dimiſſus precibus Sigismundi Regis Polonorum, injuriæ memor tantum dolori indulſit, ut Joannis amicitia deſerta, Ferdinando adhæſerit, ſuſceptaque legatione Conſtantinopolim, utriuſque Regis fœdera vulgaverit. Iſtud profecto eſt, ſemet in peſſimam fortunam induere, & quærere malum alienis in terris.

A. C. 1541.

At Ottomanici exercitus Duces, quamvis adulta hieme anni MDXLI. militem e ſtativis evocant, ſevero Imperatoris mandato adacti. Tolnam progreſſi, cum claſſi Danubio provectæ glacies curſum interciperet, & jumenta bacchantibus præter morem ventis, paſſim conciderent; neque miles ſuo munere fungi poſſet, in hiberna redierunt. Miteſcenti anni tempeſtate, rurſum militem juxta Danubium promovent, & Vacium cæſis Ferdinandeis recipiunt. Peſzthum adorti, re infecta abire coguntur, famemque veriti ob commeatus corruptos, in ditionem ſuam receſſere. Terga abeuntium conſectati Franciſcus Nyarius, & Bartholomæus Horvathus, non paucis exitio fuere, cæſo unius cohortis Præfecto. Armorum ſtrepitu excitus Ferdinandus, cum per Legatos nihil ab Iſabella, & Solymano pacati obtinuiſſet, non jam precibus, jureque pactorum, ſed armato iterum milite regnum ſibi vendicandum aggreſſus eſt. Coacto grandi exercitu, Gulielmo Rogendorffio A) Budam verberandi provinciam imponit, qua ſubacta non dubitabat reliquam Hungariam in præmium victoriæ ceſſuram.

Blanditiis primum animum Reginæ occupare elaborat Rogendorffius; ubi has negligi ſentit, ſelectiſſimo milite mænibus admoto, armis deditionem urget. Muri tormentorum ictibus in ruinam acti, ſed noctis beneficio ab obſeſſis reparati, Germanis nocuerunt. Improvidus Dux, & juxta invidus, relicto ad ſarcinas Ungaro, ne pulcherrimæ gloriæ particeps eſſet, cum ſuis popularibus in urbem irrumpere intendit; conſtanti animo a propugnatoribus repulſi, mæſti caſtra repetunt. Proditione non multo poſt capi potuiſſet, ni iterum infelix invidia opportunitatem, & militem perdidiſſet. B) ADEO certum eſt belli fortunam eum prope ambire, qui uti armorum, ita quoque imperium ſuorum affectuum obtinuit. Dum autem dies ex die trahitur in lenta obſidione, adſunt auxiliares Turcarum copiæ Mahomete Purpurato, & Ulama Perſa Ductoribus. In tanta caſtrorum vicinate minoribus præliis crebro certatum fuit, Turcis plerumque campum obtinentibus, quod obſidentes tædio laborum victi, ſpem capiendæ urbis interciſam viderent, & longe majorem ſtragem animis præſagirent, Solymano in Hungariam properante.

Primus famam advenientis Solymani Perenyius c) Rogendorffio attulit, monuitque, ut maturo receptu exercitus ſaluti conſuleret omiſſa infauſta oppugnatione. Huic ſententiæ omnes acceſſere Duces. Unus Rogendorffius, inconſulto Ferdinando Rege, negavit ſe caſtris exceſſurum, quoad certiora Vienna acciperet. Gliſcente metu in caſtris, & Dux, & miles animo cecidit. Itaque nocte intempeſta in adverſam ripam copias pavore victas deportare inſtitit. Jam duo ordines Peſzthum feliciter tenuere, cum ſævitie ventorum Danubius exaſperatus, tanta vi intumuit, ut navigiis inter ſe vehementer colliſis, opportunitatem reliquos trajiciendi interciderit, induente irato flumine Ducis affectum, qui, ubi comiter Hungaros armorum ſocios amplecti debuiſſet, æſtro ſuſpicionum, odiorumque abreptus, facultatem res præclare pro Ferdinando agendi, negavit. Fuga noſtrorum prodita, Turcæ e binis caſtris eruptione facta, fugientes ad internecionem cædunt, viginti millibus deſideratis, caſtra omnia, ingensque belli

A) Hic idem ante decennium Budam obſedit; poſt hunc Velſius, homo crudo ingenio, & vel ſociis armorum Hungaris nimium infeſto. Uterque non ſine dedecore repulſi. Nunc quarto impugnatur urbs Regia, pari fortuna. B) Iſtvanffius L. XIV. c) Annales Turcici Perenyi meminere, eumque ſupremum armorum Præfectum vocant, nulla Rogendorffii mentione facta.

A. C. 1541. belli apparatus victoribus in prædam venere. Rogendorffius navigio elapsus, vulnere, & animo æger, animam egit in oppido Somorja. A) Cassonus classis Turcicæ Præfectus Pesztthum capit, cædeque promiscua edita, omnis generis prædam diripit.

Sub idem tempus Solymanus, ut suorum Ducum copias augeret, antequam ad manus deveniretur, tanta festinatione est usus, ut pedites nihil concederent equitibus, æmulationeque succensi, utra pars alteri celeritate præiret, pulchro certamine Solymanum caperent. Cum ad Petro-Varadinum iter faceret, certior redditus de victoria, lentius agmen egit. Ubi castra suorum attigit, non ausus militem festinandi studio fatigatum, iis castris committere, quod campus cæsorum cadaveribus funestatus, tetrum odorem spargeret, ad veteris Budæ suburbanum consedit. Inde ad victorum laudes conversus, unum quemque Ducum, ac primariorum militum comiter appellando, ut didicerat, suam cuique virtutem, suum facinus grandibus verbis, plenisque gloriæ, magnifice tribuebat. Quos inter duobus Purpuratis, & Ulamani Persæ primas deberi non ignorabat. Mehemetem Belgradi præfectura insignem, Magistrum equitum Europæorum nominat; Ulamanem Persam in Bosnensis præfecturæ munere confirmat. Hic est ille Ulamanes sive Ulumas Begus, Ismaelis Sophi filius, qui patria prodita ad Turcas defecit, bellique Persiæ illati author extitit. Cæterum gens Tartarorum in agrum Strigoniensem, Nitriensem, Albensem, populationes intulit; captivis in conspectu Solymani ad satietatem cæsis.

Sublata tristi tragœdia, hilarem vultum induit Imperator, quo clam, sed certiori ictu peteret eos, quos palam, & vi illata, generosa Principis indoles ferire prohibuit. Deprompsit munera rari pretii pupillo, viduæque Reginæ. Illi sonipedes ternos, apparatu Regio ornatos, purpureasque auro, & gemmis intertextas totidem vestes; huic annulos a peregrinis unionibus commendatos, armillasque magni ponderis, & torques, cum Babylonica sindone. Hæc nomine Solymani, duorumque filiorum Selymi, & Bajazethis, quos belli artibus imbuendos adduxerat, Mustapha Magnesiæ remanere jusso; per Chausiorum, sive Præconum Magistrum, quod apud Turcas præcipuæ dignitatis munus est, in urbem perferri mandat, petiitque, ut puer Regius cum Proceribus, quorum virtute Buda propugnata, in castra mitteretur. Addidit nuncius sui Domini verba, quibus Reginam omni cura, suspicioneque liberam jubebat: *nihil adversi passurum pupillum in spem maximam Hungarici Regni adolescentem : rediturum ad matrem innoxium, Imperatoriis osculis blande perstrictum. Solymanum ut potentia, amplitudine Imperii summum inter Principes, ita magnitudine animi, ac pietate maximum, nulli omnino Principum in pupillorum causa palmam concessurum.* Expalluit Isabella ad Imperatoris petitionem, cumque anxie suorum sententias exploraret, morasque de industria traheret, Martinusio impellente, ne cunctatione inutili Solymanum in iram concitaret, puerum carpento impositum, in castra avehi passa est, cum magno nobilium matronarum, ac Procerum comitatu; lachrymis ubertim cadentibus suum dolorem testata.

Ut in castrorum conspectum perventum est, honoris causa prætoriana Turcarum equitum turma, armis, vestibus eleganter instructa, obviam processit, deductura inermem pompam in castra. Janicsari bipartito agmine, aditum castrorum insidentes, ad tentorium Solymani extento ordine, viam munivere, magnoque numero accurrentes spectandi gratia arcuerunt, ne quid turbarent. Viso puero multum exhilaratus Imperator, filiisque, ut eum inspicerent, concessit. Subinde aureos nummos, liberali manu nutrici dedit, quo nempe acueret diligentiam ejus in Regio sanguine educando. Proceres de more Turcarum epulis excepti, mensam inter pocula multas in horas extrahunt, parum soliciti quid se, quid Buda futurum? vino alacriter hausto, omnem curarum æstum, periculique magnitudinem

A) Somorja oppidum insulæ Csalokoziæ.

dinem extinguente. Interim ut a ſuis Præfectis inſtructi erant milites, armis protecti, Budam turmatim intrant, vicos perluſtrant, nemine aditum prohibere auſo; viſaque paucitate excubiarum, repente mutata ſcena portas invadunt, ſtationes præcipuas urbis occupant, tanta modeſtia, ut plurimi civium ignorarent ſe vel proditos, A) vel urbem captam. TUNC potiſſimum inſidiæ e ſententia cedunt, quando eæ minime timentur.

A. C. 1541.

Mox Janicsarorum Præfectus per præconem in foro principe, locisque celebrioribus proclamari juſſit: *Solymani voluntatem eſſe, præſidiarii, cives arma ponerent; pacati domi agerent: qui ſecus, ac imperatum eſt, fecerit, is capite pervicaciam luet.* Nemo omnium erat, qui intercedere auderet ſævere denunciationi. Traditis armis, dena peditum millia hoſpitia capiunt in ædibus civium, longa annorum ſerie, urbis Regiæ graves incolæ, vicinarumque partium implacabiles hoſtes futuri. Poſteaquam populum armis exutum, civitatem a ſuis teneri didicit Imperator, puerulum matri reddidit, pauca conferens cum Georgio Martinuſio, Scriptoribus Monacho, & Verbóczio, ſine arbitris. Regina etſi gaudio perfuſa recepto puero, tamen multum angebatur de Procerum ſalute, e quorum ſententia omnia agebantur domi, bellique; ipſa nec bellicis artibus erudita, & nondum obliterato Regis mariti præcipiti fato, muliebriter afflicta. Quapropter Ruſtaſtanem, Solymani Generum, Purpuratorum Principem orabat, ut Proceribus maturatum in urbem reditum conficeret. Incumbente jam nocte, omnes dimiſſi, retento uno Valentino Tórókio, ſummo copiarum Duce.

Poſt hæc in ſecretiori ſenatu diu, multumque deliberatum, quid de regno Hungariæ ſtatuendum foret? Ex Conſiliariis, quos, uti prima Imperii inſtrumenta, habebat Imperator ſane plurimos, adhibiti tunc quidem fuere Ruſtanes, vir miti ingenio, nec tam bellicis expeditionibus, quam gratia in Imperatoria domo clarus; Mehemetes, & Usreffus recenti victoria tumidi, & Janicsarorum phalangi perchari. Aderat etiam Ulamanes, quem fides, armorumque ſtudium, Solymano præ cæteris commendavit. Hi ſpectatæ, incorruptæque omnes fidei Duces, ac Senatores, non Hungariæ modo fatum, ſed & Imperii Turcici amplitudinem, conjunctam Imperatoris dignitati, præ oculis ſedulo habuere. Sed ut natura, ingenioque inter ſe multum diſpares, ita & in ſententiis promendis longe diverſi. Nempe CONSILIA ex abdito ſinu deprompta, ſuæ quisque naturæ attemperat. Et Usreffus quidem contendebat e re Turcica fore, ut pupillus Byzantium deportetur; Buda firmata valido præſidio in belli uſus, Præfecto expertæ virtutis committatur. Hujus ſententiæ acceſſit facile Ulamanes, quod videret Imperium nova acceſſione ampliatum iri; utque in Perſide, ſua ſuaſione Ottomanicam potentiam Babylone ſtabilivit, ita cupiebat ſuo pariter conſilio in Hungariæ regno eandem munire.

At Mehemetes Belgrado præfectus, implacabili odio in gentem Hungaram, & ſua indole ad aſpera pronus, ferociter in eo conſeſſu diſſeruit: *Regium puerum cum Proceribus e medio ſufferendum* (nimirum quod olim Tarquinius filio ſuo perſuaſit ſummis papaverum verticibus decuſſis, ut poſt captos Gabios B) in Principum capita pari ferocia deſæviret, ne dominatu excideret) *arces ab imo diruendas, Pannoniam in provinciæ formam redigendam, Reginam ſuo Patri in Poloniam remittendam.* Et iſthæc quidem, homo ultra modum barbarus, tanta confidentia dicebat, ut non dubitaret Imperatorem in hanc ſententiam iturum: addita in ſpeciem per quam utili cauſa: *ne videlicet ſingulis pene annis ex Ægypti, aliisque procul diſſitis provinciis, miles ad tuendas arces cum ingenti ærarii damno educatur; poſſe hoc modo Imperatorem non ſane levibus impenſis modum ſtatuere, & regionem arcibus exutam, modica manu in officio continere.* Sic ille impie ferox, recti, honeſtique immemor in exitium regni ferebatur.

A) Georgio Martinuſio proditionem urbis tribuunt. An ex vero? non auſim dicere. B) T. Livius Patav. Dec. I. L. I.

A. C. 1541. Rustanes ab ingenio mitior, longe aliam ingressus viam, a Mehemete discrepabat, ajebatque inter cætera: *Principi nihil potius esse debere, quam æquitatis jura, quibus humanæ, Divinæque leges innituntur. Pupillum jam nuper agnitum Regem, ac insignibus prope Regiis ornatum per Legatos, non esse deturbandum regno, quod invictis armis Solymanus Patri pepererit, minus vita nullius culpæ convictum privandum. Id vero gloriosum Imperatori futurum, si Regem suos inter clientes numeret, & armis nunc defensum, deinceps in tutelam suscipiat.*

Discrepantibus in hunc modum sententiis, Solymanus haud diu cunctatus, aperit, quid ipse consilii ceperit. Per eundem Chausiorum Magistrum Reginæ nunciat: *visum jam pridem sibi, urbem, arcemque suo milite firmandam, ac retinendam esse, dum puer adolescat. Sperare se, id non iniquo animo Reginam laturam, cum ipsa summo discrimine experta fuerit, Budam haud posse tantillis viribus adversus Ferdinandi exercitus defendi; sibi vero permolestum fore, toties in Hungariam cum milite advolare, quoties inimicis visum fuerit. Extra armorum strepitus felicius cum pupillo ætatem acturam in Transylvania, quam ei traditurus est cum parte Hungariæ, ac Lippæ, Temesiæque ditione. Georgium Monachum Tutorem, Regnique Gubernatorem fore. Verbóczium legum patriarum peritum, Budensi in urbe remansurum cum collega Ottomanicæ gentis; ille ut Hungaris, hic ut Turcis jus dicant. Reliquos Proceres pro dignitate habitum iri. Daturum se etiam currus pro supellectili Regia Lippam devehenda. Cæterum apparatus bellicus, annona, & quidquid ad obsidionem ferendam opportunum, in arce salva, integraque relinquenda.* Hæc cum fastu, & sine ambagibus.

Atrocitate nuncii attonita Isabella, tum primum perfidiam agnovit, & quod supererat, lachrymis incassum credulitatem damnavit. Ergo obsidentibus Regiam Janicsaris, rebus temere in vehicula conjectis, arce, urbeque excedit Procerum comitatu stipata. Traditum subinde diploma A) aureis, cæruleisque literis Arabicis expictum, quibus se, suamque fidem obstrinxit, Budam ut primum pupillus adoleverit, se bona cum fide reddíturum. Quo accepto, posthac non visura urbem Regiam, in Transylvaniam iter est auspicata; frustra Solymano, Rustanique porrecto libello supplici, quo Valentinum Tőrőkium in libertatem asserere adlaboravit. B) Ferunt hunc odio, invidiaque Martinusii victimam cecidisse ob veteres æmulationes, quas aula, istarum mercium ferax emporium, elatæ mentis hominibus non caro divendit.

Ferdinandus interea reliquiis profligati exercitus collectis, Oratores legat ad Solymanum, in castris apud Budam agentem, Nicolaum Comitem Salmensem, & Sigismundum Herbersteinium cum muneribus, quæ ni adferantur lautiora, ingrata legatio apud Purpuratos. A Rustane convivio adhibiti, ac admissi ad Solymanum, inducias offerunt, petuntque regnum Hungariæ nomine Ferdinandi. Ad ea biduo post per Rustanem superbe responsum: *nullas inducias fore, ni Ferdinandus regno Hungarico se abdicet, pro Austria certum tributi genus quot annis dependat. Si abnuat latis conditionibus stare, extemplo missurum, qui Austriam populationibus urant.* Legatos vestibus auro intertextis donatos, ac domum redeuntes, delecti equites sunt consecuti, qui Austriæ, Moraviæque regionem depopulati, ac ultro ferro, flammaque sævire prohibiti ob fluvios autumni imbribus tumidos, irati Imperatoris animum satis, superque patefecere. His cum maximo rei Christianæ detrimento peractis, & Buda Solymano Præfecto, gente Hungaro, tradita, Belgradum recessit.

Isthic Laszkum adversam fortunam in vinculis gementem, libertate donavit. Vix in patriam venit, mors celeri gradu insecuta, viro vitam ademit. Fertur veneno lacti immisto interemptus. Immaturo fato multi Prin-

A) Testatur Istvanffius se illud diploma inspexisse. B) Idem L. XIV. scribit eum ad Propontidem vitam obiisse.

Principes Europæ indoluere: quippe cui ætate illa pauci per aulas Regum pares habebantur. Quantuscunque fuerit, certe turpissime lapsus est, dum author est Zapolyo, Solymanum in auxilium arcessendi. Par fortunæ ludibrium subiit Mailatus Transylvaniæ Vajvoda, quem obsessum a Joanne Rege, quod Ferdinando sua studia addixerit, supra narravimus. Cum armis virum pugnacissimum vincere haud posset Achomates Nicopoleos A) Præfectus, dolo vicit. Fingit se posse, & velle fœdus icere cum Mailato, modo in castra veniat conditiones daturus, juxtaque accepturus. Reposuit ille: *semper se pacem dubio bello præhabuisse, non detrectaturum colloquium, dum Achomates filium suum adolescentem obsidem daret.* Negavit iste postulatum; quod diceret filium Solymani obsequiis jam addictum, nec sine capitis periculo hujusmodi adolescentem in obsidis locum tradi posse. Missurum se duos limitum Vidini, & Silestriæ Præfectos. Horum loco e trivio duos, quos sors obtulit, vestibus, armisque ad omnem elegantiam indutos mittit. Mailatus fraudis ignarus, vixdum in castra pedem intulit, illico in vincula raptus, ad Propontidem diem supremum egit.

A. C. 1541.

Redux Imperator Byzantium, filiis Mahometi & Selymo more veteri provincias administrandas B) dedit, quo condiscerent ab adolescentia regnandi artes. NEQUE enim quis recte, sapienterque molem Imperii sustinebit, ni ante minori gubernio admotus tyrocinium ponat. Mahometes nondum peracto anni unius curriculo, in sua provincia obiit. Cadaver Constantinopolim advectum, juxta vetus domicilium Janicsarorum monumento illatum, non sine acerbissimo Patris dolore. Epulas funebres apposuit inter luctum utriusque sortis civibus. Captivi etiam Christiani nominis, ære redempti libertatem consecuti fuere. Adeo paternum pectus morte filii emollitum erat. Ferdinandus interea celebratis Spiræ, ac Norimbergæ comitiis, ab Imperio novas legiones contra Turcas impetravit.

1542.

Suprema potestas copiarum Joachimo Brandeburgo delata est, Principi magis splendido, quam pugnaci. Hungarorum quindecim millibus præfuit Perenyius. Spe ingenti nitebatur Ferdinandus, non Budam modo, sed & reliqua Hungariæ præsidia expugnatum iri. Sed Peszthana urbs florentissimum exercitum fregit adeo, ut communis rumor vulgaret, Turcas vinci non posse, Christianos omnem militaris gloriæ famam, & decus amisisse. Urbem præsidio tenebat Balis Epirota, qui Solymano Budensi peste sublato in utraque præfectura successerat. Ulamanes Persa e Bosnensibus, & Illyricis tria millia, Amurathes, Clissæ Præfectus, bina millia adduxere. Istorum princeps cura eo potissimum spectavit, ut Budam, Peszthumque omnibus viribus defenderent, sibi mutuo auxilio essent. Quod si vis major hostilis ingrueret, in mandatis habuere, ut Magistrum equitum Europæorum, excubias agentem ad Sophiam, Bulgariæ urbem, evocarent.

At opus haud erat exercitus robore. Nam posteaquam assultus sperato successu caruit, & Itali, qui primi mænia subibant, magnam partem cæsi fuere, Dux timore potius, quam pudore perculsus, oppugnatione desistit, & copias nulla re gesta in Germaniam C) reducit. Juverit hic Perenyii fata memorare. Strigonium obsequii causa comitatus Brandeburgum, in arcem accitus, a Martino Liscano, arcis Præfecto, capitur Viennam deportandus, inde Neapolim Austriæ, in vinculis vitam acturus. D) Tanti viri casus Hungariam admiratione, & acerbis in Brandeburgum sermonibus implevit. Existimatum aliis: Peszthani dedecoris avertendi gratia id excogitatum; aliis persuasum: a Solymano Hungariæ regnum fuisse homini promissum. Inde consilia in secretiori Senatu procusa, ad Turcas effluxisse. Aliis denique creditum: Perenyium atrocium scelerum recto DEI

A) Nicopolis urbs Bulgariæ, ubi Sigismundus Imp. prælio fusus a Bajazethe I. Anno 1396. die 20. Julii. Vide pag. 4. B) Annales Turcici ad sequentem annum istud referunt, uti & res bello gestas. C) Istvanff. L. XV. D) Hujus viri Epitaphium rudi, crudaque Minerva concinnatum lege sis apud nostrum P. Samuelem Timon ad annum 1548. in sua Epitome Chronologica rerum Hung.

A. C. judicio pœnas luiſſe, quod triplicis transfugii reus, Lutheri ſectam in regno Mariano foverit.

1543. Annus præſens MDXLIII. nondum obductas Hungarorum cicatrices refricuit. Ulamanes Perſa ſeu ſuapte natura avidus bellandi, ſeu Solymani imperio adactus, in Sclavonia, Croatiaque aliquot arces uno impetu ſubegit. Balis Epirota privato potius odio, quam Reipub. commodo impulſus, trajecto Danubio Ladislaum Moræum in arce Nana A) ſtrenue pro liberis, opibusque dimicantem capit, ac Conſtantinopolim transfert. Menſe Junio ipſe Solymanus Sirmienſem agrum ingreditur cum Europæ, Aſiæque Magiſtris equitum. Ulamanes, Amurathes, Caſſonus, veterani Duces, ab ora maris Adriatici provolantes, arcem Perenyianæ ditionis Dravo amni adjacentem aggreſſi, promptos ad defenſionem præſidiarios reperere.

Michael Archius, vir apprime militaris, cum valido armatorum numero loco præerat. De deditione compellatus, quamvis lacera intra mœnia, tradendæ urbis nullas audire conditiones paſſus eſt. Par militibus animus; qui munia uſque adeo aſſidui dies, noctesque in mœnibus expleverunt, ut Turcæ diſceſſum meditarentur. Sed Solymanus integro milite ſuos in oppugnanda arce firmavit, inprimis ubi majoribus tormentis arx infeſtata. Prætoriani ſubinde foſſa, virgultis, & fascibus repleta, muros ſubire conati, ſcloporum pilis, pluribus e locis certatim petiti repelluntur. Moniti propugnatores, ut cum omnes fortium militum partes egiſſent, dederent tandem arcem, neve ſe temere mactandos objicerent; repoſuere ſe, ſuaque omnia Solymani clementiæ tradere, Imperatorum fortiſſimo; non vero Ulamani, aut Caſſono, vel Amurathi. Quod Archium omnino perdidit. Data poteſtate libere abeundi præſidiariis, arcem Solymanus adit viceſimo tertio die Junii. Archius laute cœnatus apud Amurathem, nusquam apparuit cum aliquot primi nominis Centurionibus. E gregariis pariter pauci barbarorum perfidiam effugere. Arx Siklofia, arte, naturaque munita, Turcarum vim ludere potuiſſet, ni incredibilis vecordia Præfecti, locum prodidiſſet. Solymani fama hominem perculit adeo, ut nulla vi illata turpiter deditionem offerret. NEMPE cadunt mœnia, ubi Gubernator loci animo cecidit. Præſidiarii, quaſi indigni, qui dedecus ſuum circumferrent, in itinere fortunis exuti, ferro hoſtili perierunt.

Poſt Sikloſiam captam, Quinque Eccleſias urbem victor ingreditur XI. Calendas Auguſti. Haud multum illic moratus, Budam recta contendit. Accepto bellico apparatu, Strigonium oppugnaturus, iter maturat. Habet Strigonium arcem, quæ in rupem, ad ipſum Danubium mœnia lambentem, altius enatam, aſſurgit. Res multum ambigua naturæne magis ingenio, num artis communita. Occidentem verſus Danubium uno alveo fluentem deſpicit; ad meridiem urbs ampliſſima cum monte ſaxeo S. Thomæ occurrit; aliæ partes vinetis, campisque oculum explent. Martinus Muſica, cognomento Liſcanus, & Franciſcus Salamanca, uterque gente Hiſpanus, arcis præfecturam gerebant tanta confidentia, ut moras damnarint Solymani, quod ſerius, ac vulgatum erat, copias Strigonio admoveret, ſive iſtos ſpiritus a loci munimentis hauſerint, ſive a militaris diſciplinæ peritia, quæ quanta fuerit, eventus præſidiariis nimium funeſtus, docuit. Auſi ſunt etiam homines lepide feroces in vulgus ſpargere: *ſi Solymanus conjunctis copiis cum Carolo Imperatore, Strigonium oppugnatum veniret, miſſuros ſe falcones, canesque aptos venationi, quo tædia operoſæ oppugnationis levarent;* B) renovato veteri exemplo Beſſi ſuper menſa debellaturi Alexandrum. c)

Sed conſpecta claſſe ad Grani amnis oſtia, & tentoriis maximo numero explicatis per camporum planitiem, multum remiſit ferocia. Achomatem Europæorum Magiſtrum, conſecutus eſt ipſe Solymanus cum re bellica. Præſidiarii impares defendendæ urbi, protinus ſe in arcem receperunt, &

a) Arx nana ad radices montis Matræ poſita, a Turcis everſa eſt. B) Iſtvanffius Lib. XV. ad annum MDXLIII. c) Q. Curtius Lib. VII. C. VI.

A. C. 1543.

& Turcarum invasiones binas sustinuerunt; quin & eruptione facta ex arce egregiæ fortitudinis specimen dedere. Cum vero in dies arctius premerentur, & turris pulveraria, dolone, an casu succensa? incertum; fortissimos militum hausisset, deditionem, quam Signifer Italus clam cœptavit, Præfecti fecere, ut incolumes dimitterentur. Alibegus Janicsarorum Tribunus arcem ingressus, portas, propugnaculaque suo milite firmat, jubet præsidiarios arma ponere. Conjiciuntur temere sclopi, hastæ, enses unum in cumulum cum pulvere pyrio, & decidente forte scintilla, e sclopetarii militis igniario funiculo in pulverem, subitaque illa flamma succensis foculis scloporum, quos acervatim congesserant, ingenti sonitu tela omnia concrepant, & susdeque discerpuntur. Ni factum excusasset Liscanus, jam ferrum expediebant Turcæ, veriti insidias. Postremo contumeliis, siti, fame vexati, adiguntur ad cadavera, tabo fluentia sepelienda, fossas repurgandas, rebusque omnibus exuti, seminudi in alteram Danubii partem deportantur. Egit Solymanus DEO optimo grates, quod eo die, nempe X. Augusti Strigonio potitus sit, quo Avus Bajazethes Methonen Venetis eripuit. Oppidum Tata, A) priscis temporibus arce celebre, propera deditione iram victoris effugit.

Rebus prospere cedentibus B) nihil cunctatus Ottomanus, Albam Regalem opere, ac munitione complexus est. Eo temporis geminas urbes referebat Alba, interiorem alteram, alteram exteriorem. Illam (ubi majus templum Mausoleo Regum nobile erat) muri, prælatæque fossæ perpetuis aquis repletæ cingebant: istam longa non minus, atque lata suburbia. Opus universum terni aggeres, & paludes a Sarvisio flumine, nullis ripis coercito, novum vectigal accipientes claudebant, quæ quo magis homini juxta, ac pecori aditum in urbem negavere, tanto sui, fortunarumque cives reddidere securiores. Jugum nihilominus Ottomanicum accepit, postquam suburbio expugnato, Georgius Varcotius Silesius præ foribus interioris urbis, Janicsarorum manu occubuit. Præsidiarii Itali, Germanique (nam Kapolnajus Hungarorum equitum Ductor ad Tartaros coercendos urbe excesserat) libertatem pacti, incolumes abiere pridie IX. Septembris. At in opulentiorum civium capita furore prorsus inhumano sævitum, sive quod eorum fortunis inhiaret, sive quod nuper Ferdinando se dediderint. In castra acciti, quasi novas accepturi leges, omni ex parte invaduntur, & more belluarum fœdissime jugulantur. C) Hanc barbariem postea ultus est Nicolaus Zrinyius, imperterriti animi Heros, cæsis Tartarorum ternis millibus.

Tot arcium, urbiumque victor ea æstate Solymanus, tantum gloriæ, famæque in Europa, atque Asia collegerat, ut a nemine superari posse diceretur. Quanquam plerasque victorias jam gliscentibus, jam in apertum bellum prorumpentibus Christianorum Principum discordiis, adscribere debuerit. Sane si positis inimicitiis, pro viribus suis Hungariæ subvenissent, non eas clades oppidis, arcibusque illatas gemeremus. Sed tot annorum Reipub. Christianæ propugnaculum eversum videre maluerunt, quam privata odia restinguere. Cæterum multo sanguine stetisse hanc quæstuosam expeditionem, Annales Turcici prodidere. Istud præcipua inter decora suæ gentis numerant, D) quod Albam Regalem, in qua per quingentos annos Hungarico Imperio lecti Reges, diademate ornati, ac in eadem Imperio defuncti, monumento Regio fere illati fuerint, reliquis triumphis tanquam victoriarum omnium compendium adjecerint. Quasi vero de omnibus Regibus, quos Hungaria jam inde ab exordio regni, suo in solio adoravit, triumphum egissent. Haud negaverim nobilem juxta, ac utilem victoriam extitisse; quandoquidem nemo Regum coronam sumpsit, quin continuo exquisitis muneribus Basilicam Magnæ Hungarorum Dominæ dicatam excoluerit, sive religione loci inducti, sive ut invidiam dicacis populi declinarent,

 qui

A) Tata, quam Theodatam fuisse existimant, a Regibus Hungariæ extructa, balneis, hortis pensilibus, aliisque deliciis floruit. B) Joannes Martinus Stella quaternis epistolis hujus, & sequentis anni res a Solymano in Hungaria gestas complexus est, datis ad fratres suos Gulielmum, & Michaelem. Binas præterea scripsit, alteram de munitione Ovariensi, alteram de Viennensi. C) Stella Epistola III. neque variat Istvanff. L. XV. D) Codex Verantianus.

A. C. qui Principes, ni munificos se præbeant in Superos, liberis vocibus insectatur, & avaritiæ damnat.
1543.

Et urbis quidem Præfecti argentum, aurum, uniones, & quidquid pretii gemmis ipsa natura indidit, in unum congesta locum, rapacem animum, manusque irretiverunt; ac propterea peculatus convictus, ægre admodum capitis supplicium amolitus est. At Quæstor Solymani, industria longe majori, abdita Basilicæ rimatus, coronas, sceptra, torqnes, annulos, Marianæ pietatis veterum Regum monumenta eruit, atque ærarium Principis in immensum auxit. Exuvias Joannis Regis ambitio Turcica quietas esse non sivit. Ejectæ sunt illæ e communi Regum Hungariæ Mausoleo, ut hoc facto ostenderet Solymanus, se summam Imperii apud Pannonios tenuisse, jusque in regnum qualecunque arrogaret inposterum. Sed cum sciret, jus istud multarum litium fomitem, nec profuturum rebus suis, nisi ferro propugnetur, arces novis operibus, peditumque robore firmatas Præfectis, qui eas tutarentur, attribuit, & pro earum, aut Ottomanorum consuetudine, legibus administrarent.

Et grata erat illi occasio provincias, arcesque ordinandi, plerasque Gubernatorum vacuas, quo Purpuratorum virtutem superioribus in bellis sæpe numero spectatam, ea designatione remuneraretur, aliorum acueret. Budam, Regiam sedem, unde in reliquas Hungariæ terras dominatum porrigeret, Mahometi Jahiogli, bellis inclyto, commendavit; Albam Regalem Balidi Epirotæ, fidei in Solymanum, militiæque præclaro detulit; Strigonium, cui utique prima tempestas incumberet, si quid Ferdinandus Rex moveret, Hassanes bello strenuus accepit. Distributis hunc in modum provinciis, copias multum imminutas Hungaria deduxit, Byzantiumque invectus triumphali pompa exeunte Novembri, civium applausus victor meruit.

1544. Neque annus MDXLIV. lætior Hungariæ fluxit. Etenim Solymanus ab Antonio Polino, ut narrat Istvanffius, A) incitatus ad Hungariam infestandam, cum per negotia Byzantio abesse non posset, Budensi Purpurato suas partes commisit. Is communicato cum vicinarum arcium Præfectis consilio, Vissegradum B) ante alia præsidia opprimendum existimavit, quod Danubium navigiis Turcicis infestum faceret, & terrestri itinere ultro, citroque commeantes divexaret. Geminæ arces Vissegradum supra communem sortem extulerunt. Altera Danubio proxima; altera eminenti in saxo constructa, verticem intra nubes condidit; utraque vim hostilem sustinere potuit, dum aqua præsidiarius miles non laboravit. Verum natura parens, non tam prodiga manu sua munera dispensavit loco, ut omnibus numeris absolutus, non eguerit alterius ope. Rupes, cui arx superior insedit, aquas, commune adeo elementum negavit; quo factum, ut siti confecti Vissegradenses deditionem festinarent. Nam posteaquam castrenses machinas beneficio noctis in montem evexit hostis, superior arx continuo in ruinas est acta. Nondum tamen victus Amadeus loci Præfectus. At negante imbres cœlo, consumptis, quæ sitim levare poterant, deditio extorta fuit. Miles secus, ac conventum est, Turcarum perfidiæ debet, quod inultus ceciderit in limine arcis, Mahomete Amadeum in tutiorem locum reponente. c)

Trajecto per otium Danubio, Neogradum, Hatvanium, Osoram, & Simontornyam Ferdinandei juris arces, fugam undique capessentibus colonis, & præsidiariis, fama exercitus vicit. Has ille aliquot cohortibus injectis, perdiligenter custodiendas demandavit, multo Christianorum sanguine aliquando redimendas. Revocatus est tantisper a secundo rerum successu Mahometes, quod Ulamanes D) Janicsarorum subsidiariam manum postularet. Velicæ arci peracrem obsidionem is intentavit, nequicquam tamen profecit, armatis pro libertate dies, noctesque excubantibus. Triumphassent

A) Lib. XV. B) Vissegradum Budam inter, & Strigonium situm Danubium alte despicit. Arx superior percelebris fuit a suis munimentis, tenui, puroque cœlo. Nunc bellorum diuturnitate attrita, ubi steterit, lapides viatori ostendunt. c) Istvanffius L. XVI. D) Nonnulli in annum sequentem hæc rejiciunt.

sent isti, ni agrestes, quorum ingentem numerum eo metus compulit, diu- A. C. turnæ obsidionis incommodo supra modum anxii, hostibus fores pandissent. 1544. Perfidiæ præmia dum expectant, libertatem amittunt; milites, levi ære persoluto, Turcarum injurias provide vitarunt. Ulamanes auctus per Budensem Præfectum militum numero, capto per iter Monte Claudio, a) Nicolaum Zrinyium, Georgium Bildensteiniumque in aciem prodire ausos, profligat. Detrimentum isthoc in Illyrico acceptum, Franciscus Nyarius cumulate sarsit, cæsis Strigoniensibus Turcis, quos Levam provexit prædandi cupido.

Interea Ferdinandus spe alebat Hungaros, propediem venturos cum 1545. Imperii viribus Duces, quorum auspiciis res prolapsas de integro erigendas, non dubiam mentem habebat. Ostentarunt quidem se ex longiquo, fumantia oppida prospicientes; utilem operam Reipub. impendisse se rati, quod militem salvum in patriam reduxerint. Adeo tenuibus copiis instructi erant. Hoc rursum anno Hungariæ suæ studiosissimus Princeps, per literas Proceres docuit: *sibi perpetuo cordi futuram Hungariam; & curaturum juxta, ut quam maximæ copiæ in Vormatiensibus comitiis decernantur ab Imperii Dinastis, quo nobilissima regio hostibus erepta, avita libertate quamprimum fruatur.* Sed vota hæc erant Ferdinandi, nec ultra vota processum. Quippe dominante jam Religionum novitate in aulis Principum, veteri depulsa, in partes distrahebantur populi suis cum capitibus, multique mortalium tot sectarum quotidie enascentium fuco corripiebantur. Ut Religione multum inter se diversi, ita & animis discordes erant. In illud tamen concordibus votis, animisque conspirarunt, ut in curiis factionibus, in campo ferro armati, vetera sacra oppugnarent, atque subruerent. Et cum non ignorarent Carolum V. Imperatorem, Ferdinandumque Hungariæ Regem, pietate in sinceram Religionem nulli Principum secundos, tam implacabili odio in utrumque ferebantur, nulli ut operæ parcerent, nullis impensis, quo eorum consilia everterent, authoritatem enervarent, vires distraherent, intestinas discordias foverent. Id vel maxime in comitiis, hoc anno Vormatiæ celebratis, luce palam prodidere.

Cum enim Cæsar ad Turcarum ferociam refrænandam auxiliares copias solicite flagitaret a Principibus Imperii, nonnulli intercessere tanto pervicacius, quanto majori in discrimine versabatur Hungaria. Tanti fecere scutum Reipub. Christianæ ii, a quorum cervicibus multis omnino annis barbarorum mucrones avertit. Accessit alterum malum, quo luculentior plaga Hungariæ infligi haud poterat. Carolus Cæsar, & Franciscus Galliarum Rex, pertinaci contentione inter se commissi, omnia miscebant in Europa, malebantque vinci ab exteris, quam positis odiis Rempub. Christianam suo milite, suo ære recreare. Tantum in amplissimarum regionum Dominis, excitare potuit incendium, unius Mediolani desiderium, qua possessione destituti, ceu pauperes, indigique non ab animis tantum suis, sed omni Europa quietem publicam proscripsere. DIFFICILIUS est reperire Principem qui suas, ut par est, affectiones animi coerceat, quam qui frequentes populos recte gubernet. Hunc in modum Europa misere scissa, bellisque intestinis lacerata, Ottomanis grassandi in Italiam, & Hungariam facultatem dedit. Ergo cum omnium animi distracti, mutuis odiis certarent, Ferdinandus desperata exterorum ope, pronum in pacem animum ostendit, collatisque consiliis cum Carolo Cæsare, valuit sententia mollior, ut non jam armis, sed precibus cum Solymano agatur, quo ab Hungaria belli tempestas avertatur. Missus Gerardus Veltwichius varia, intimaque doctrina, sed solerti inprimis facundia conspicuus, Byzantium; hic anni unius spatium partim itineri, partim conficiendis induciis impendit.

Compositis, quæ enascebantur de arcibus Regis Joannis, Petri Pe- 1546. renyii, & Valentini Tőrőkii, difficultatibus, induciæ solennibus tabulis instaurantur his pactis: *ut quot annis Ferdinandus Rex mense Martio Solymanum Imperatorem munere quopiam donaret. Transfugæ fide integra redderentur.*

a) Mons Claudius, Hungaris Monoslo, Erdődianæ Prosapiæ ab hoc oppido Comitum dignitas.

A. C. 1546. *rentur. Quinquennio armorum cessatio esset, neve mutuo populationes agrorum fierent. Rex Galliæ, Veneta Respublica, alioquin confœderata, his pactis accederent.* Quam opportune pax isthæc coaluerit, non multo post innotuit. Intestinæ Principum discordiæ in civile bellum eruperunt. Fridericus Saxoniæ Elector, Philippus Hassiæ Landgravius, partium Duces, aperto bello Cæsarem persequebantur. Fortuna Caroli debellati, temeritatis suæ pœnam dedere. Bohemi eodem malo afflati, a Ferdinando profligati pervicaciam exuerunt. Sed non est instituti mei has calamitates enarrare. Ad ea revoco calamum, quæ Ottomanus extra Hungariam egit his annis, quæve in hunc locum prudens distuli, ne cogerer Hungaricam narrationem intersistere.

Anno millesimo quingentesimo quadragesimo primo Carolus V. Imperator, invalescente Turcarum dominatione in Pannonia, summo in discrimine rem Christianam versari prospiciens. devinctam sibi fortunam nisi opponeret; dignum Imperatorio animo consilium cepit, classem suo ductu in ipsa Turcici Imperii viscera armare, & Byzantinis mænibus belli tempestatem propius admovere; detracturus utique ex aliena terra Hannibalem novus Scipio, ad suos focos, arasque defendendas. Sed Hispaniæ oras præsidio vacuas relinquere intutum videbatur, & populus, cujus ære classis adornata, se prodi existimans Africanis piratis, Algerium, Hispaniæ æmulam Carthaginem, præ Byzantio impetendam maluit. Igitur plenis velis in Africam, A) transmisit, atque Algerio, inimica urbe, corona circumdato, naves in commodiorem portum deduxit.

Fuit Algerium olim Jubæ Numidarum Principis Regia, Romanis Julia Cæsarea nuncupata. Asperis, excelsisque a tergo montibus; ad Septentrionem mari cingitur. Portum insula haud procul objecta, & continenti Barbarossæ ingenio conjuncta, efficit, sed aquilonibus admodum obnoxium. Vix uno, & altero die pacatæ, depulsis Numidis, qui e montibus accurrerant, ad mænia consederunt copiæ, cum repente vehementissimi venti, fœdis imbribus graves, castra perturbant. Miles jactatione maritima æger, & adversus tam atrocem tempestatem male instructus, nulla, quo se reciperet, tentoria fixerat. Auxit terrorem intempesta nox, propeque in ultimam desperationem conjecit veteranos bellatores, quod sibi mutuam, ut volebant, opem ferre non possent; singulosque solicitudo habebat, ut ne Algerienses in perturbatos, palantesque, ac locorum ignaros militem suum immitterent. Nocte inter metum transacta, haud lætior dies fuit. Tum enim primum mæstis oculis suarum navium stragem videre Christiani. Multæ, quibus irati maris fluctus pepercerunt, vi tempestatis abreptæ, in altum ferebantur cum vectoribus; multæ rudentibus abruptis, malisque eversæ, inter se collisæ, in conspectu navarchorum hauriebantur, quodve omnium dolorem in immensum auxit, sævities decumanorum fluctuum, artem nautarum, & spem pertinaciter elusit. Triduum absque induciis venti, mare, pluviæ in militem, in navigia desævierunt.

Visa Christianorum perturbatione cum in castris, tum in portu; obsessi maximo numero erumpunt, gladiis, hastis, tot malis circumventos fodicant, & cladem cumulant. Cæsar turbidis rebus intrepidus, intecto corpore promptus inter tela, & ventorum procellas, pugnam qua voce, qua exemplo accendit. Puduit vincere assuetos, & tanto sub Duce Africanis terga dare. Ergo in cæno colluctantes, ultimas vires ira, dedecoreque succensi colligunt, junctis agminibus in hostem pergunt, cæsisque pugnacissimis, cæteros intra mænia compellunt. Ad portum eo major vis urgebat barbarorum, quo inclementior maris furor navigia collisit. Numidæ in pugnam, & prædam nunquam non accincti, cum inhorrescens mare majores in momento fluctus ciere, & in quassatæ classis perniciem conspirare observarent, maritimas oras citato cursu armati petierunt, ferro, & flamma naufra-

A) Africanam hanc expeditionem edidit Nicolaus Villogagno Eques Rhodius Gallus, Basileæ.

naufragium maturaturi. Erat facies rerum omnium tristissima. A fronte Numidæ, a tergo immanes fluctus classem urgebant.

Cæsar Hispanorum bina millia præsidio classiariis misit; istorum adventus hostem quidem in fugam conjecit, sed classem incomparabili detrimento affecit. Quippe navarchi in litora, hostium secura, iterum naves agunt. Hic multo sævius, ac ante, classis lacerari cœpit, mersæque triginta supra centum naves, e quibus quatuordecim triremes, saxis illisæ, ac fractæ, in vicinum litus ejectæ sunt. Amissis una tempestate tot navigiis, castrensi supellectili, annonaque, diutius in hostili terra commorari, e re sua futurum non existimavit Carolus. Certe si nemo hostium tela expedivisset, fame pereundum erat militibus, quibus nihil jam suppetebat in Africa, quo vitam vel in paucos dies sustentarent. Igitur nondum penitus mitigata tempestate, in Europam cursum direxit, rursum aliquot navigiis absorptis. Habuit hæc maritima expeditio plus famæ, quam gloriæ per Africam; quasi vero Cæsaris fortuna barbarorum virtuti victa cessisset. A) Adeo DULCEDINE felicitatis quoquo modo partæ capiuntur hominum animi, ut non indagantes sinistri eventus causas, parumque soliciti, quid in rem contulerint, se magnifice circumspiciant, æmulos suos contemtim habeant.

Evoluto nondum altero B) anno, qui ultro bellum intulit, provocatur, stimulante Polino Galliarum Regis Oratore, quo Cæsarem Galliæ finibus imminentem averteret. Solymanus privatis de causis in ejusmodi auxilia pronus, Chairadinem, sive Barbarossam, maris Præfectum ad nota ministeria legat, ex imperio Polini arma circumlaturus. Emensus Jonium, fretum Messanæ petiit, ibique anchoris jactis, Rhegium, C) urbem incolis vacuam, ad cædem designat. Didacus Cajetanus Hispanus arci confisus, soluto e mænibus tormento, e consultantium numero, quam in partem arma verterent, ternos prostravit. Hoc veluti signo invadendæ urbis edito, foribus irrumpunt, eportatisque omnibus, quæ usui esse possent, eam incendio delent. Arx flammarum crepitu perterrita, mox obversis machinis expugnata, Barbarossam Dominum accepit. Cives, qui se, fortunasque eo contulerunt, navibus impositi, Byzantium devecti; pauci, quos sacræ ædes tuebantur, sive id religioni loci tribuerint Turcæ, sive Polini precibus, libertatem retinuere. Paucis post diebus, nullo obsistente, altius se in Italiam induit, atque ad Terracinæ D) litora applicuit. Romanus populus improviso terrore perculsus, fugæ consilia agitavit, fuitque summa trepidatio in Urbe omnium. Et Polinus quidem per literas docuit Legatum Galliæ: classem Barbarossæ bellum nullum, injuriam nullam agro Romano illaturam, ostentari solum in iis oris armatos, ad Hispanorum terrorem. Sed tantum ponderis non inerat authoritati Polini, ut fides haberetur, crescebatque in momenta tumultus intendentibus se tenebris. Matronæ, quas non una cura altius concussit, raptis liberis in Sabinum, Tyburtinumque agrum facibus instructæ, quasi totidem lemures effundebantur. Ad Tyberina ostia interim recreatis militibus, Hetruriæ, Liguriæque oras prætervectus Barbarossa, Nicæam provinciæ navigat. E) Hanc terra, marique infestus adoritur, tormentisque in arcem directis mænia disjicit.

Paulus Simeon, Rhodius Eques, arcis Præfectus, privato dolore, ac injuria stimulante (nam apud Barbarossam graves ærumnas ad vincula damnatus pertulerat) magnos animos præferebat, se extreme tuendi, idque intrepide sæpius affirmabat. Neque secus egit, ac dixit. Impressionem Ottomanorum, non sustinuit modo alacriter, sed etiam palantes ad naves compulit. Simeonis ardor militari scientiæ conjunctus dubiam spem fecit capien-

A) Nicolaus Villogagno nullam mentionem facit de Turcis. At certum est præsidium Ottomanicum tenuisse Algerium, nempe principem urbem Barbarossæ, qui amisso Tuneto eo se receperat navigaturus Constantinopolim anno 1537. B) Anno 1543. C) Rhegium, Geographis Italos imitantibus Reggio, urbs contra Siciliam, & Messanam in ulteriori Calabria sita, Turcarum latrocinia sæpe perpessa. D) Scriptoribus etiam Tarracina; & Anxur maxime Poetis. E) Nicæa, Nizza, provinciæ Nizzensis urbs; monti adjacet castello munita, quod urbem, portumque tutum facit.

A. C. 1546. dæ urbis; mox literæ nunciantes, Christianorum exercitum in propinquo jam esse, interceptæ, omnem evertunt. Retracto itaque milite ab oppugnatione, propere classem conscendit Chairadines; verum ad Siciliæ oram a Garsia Pro-Regis filio præda omni exutus, iræ, indignationisque plenus Byzantium revertitur hyemante jam anno. Sed otii impatiens, molliori jam anni tempore, Italiam homo barbarus, & Christiani nominis osor perpetuus, vix ad quietem redeuntem, perturbat. Quanquam non eodem animo fuerit in omnes insulas, aut urbes. Pro discrimine partium jam amicus, jam inimicus classem circumegit, ut hac via patefaceret Europæ, cujus potissimum causa, tot loca naufragiis infamia, & ipsis marinis monstris metuenda imperterritus adiret.

Ad Ilvam, Populinumque appulsa classis, non leviter perculit Appianum illius insulæ Dominum, postquam inaudivit, cujus rei causa eo contenderit. Adolescens Turca, natalium splendore inclytus, Tuneti olim captus, Religionem Romanam præhabuit Mahometanæ, oblitusque patriæ, dies pacatos vixerat ea in insula. Hunc ab Appiano armatis precibus repetit. Reluctanti, ac obtendenti Religionem, sine mora bellum infert, oppida urit. Appianus, qui fere ætatem in curia contriverat, a Barbarossa belli injurias redimit, tradito adolescente. Voto suo potitus cursum prosequitur. Telamonem oppidum machinarum ictibus labefactatum, captis propugnatoribus diripit. In domum Bartholomæi Telamonii luculentius rabiem, furoremque effudit. Egerat is Pontificiæ classis Præfectum, & prosperis ventis delatus in Lesbum, Mitylenæum agrum, natale Barbarossæ solum, A) dirum in modum evastavit. Reddidit vicem iste jam fatis functo Bartholomæo, cujus cineres disjecit, ac in auras sparsit; adeo hominem vindictæ cupido excæcavit, ut cum vitam adimere non posset, quietem Manibus eriperet. Privatas injurias ultus, latius belli tempestatem sparsit tanta celeritate, qua plurimum valuit, ut maritima loca incursaret ante, quam justam defensionem adornarent. Expugnato Herculis portu, insulæ Ænariæ classem admovit, B) factaque exscensione, nocte jam multum provecta, oppida juxta, & incolas ferro, flammaque perdit.

Puteolanis C) Pro-Rex Neapoleos saluti fuit, Salecumque, aut potius Draguten, Barbarossæ in plerisque maritimis expeditionibus Legatum, obsidione depulit. Sed in Brutiis, & Lipara insula D) se ultima rabies consumpsit. Principem urbem non tam classe armata, quam metu, perfidiaque cujusdam Nicolai civis, opibus, authoritateque ea in urbe dominantis, subegit. Septena hominum millia patrias sedes deserere coacta, captivorum numerum auxere; unus Nicolaus, qui minime debebat, libertatem, perfidiæ præmium, obtinuit. Hic erat ultimus conatus Barbarossæ perditissimi hominis, qui implacabili odio, perpetuo rem Christianam eversum ivit, retinuitque piratæ naturam, etiam postquam classis præfectura apud Solymanum ornatus erat. ADEO, quæ a primis annis agimus, altas figunt radices, ut ætate grandes, mutata etiam negotiorum materia, non evellantur modo ex animo, sed vires identidem capiant, regnumque tandem constituant. Et Barbarossa suapte natura ad indecoras prædandi artes factus, myoparonibus primum paupertati suæ consuluit; mox ubi timeri cœpit, a Mitylene effusus, ultra privati hominis audaciam ferox, objecta maria decurrit. Auctus deinde ejusdem sortis prædonibus, in Africam solvit, non egestatem levaturus, sed coronam capiti quæsiturus. Postremo ut Africæ fortunam firmius sibi devinciret; Solymani favorem non aspernatus, integris classibus formidandus, maris Imperium sibi arrogavit, semper inquies,

semper

A) Recole, si lubet, ea, quæ ad principium anni MDXXXIV. narravi. B) Ænaria, Ischia vulgo, insula metallis, sulphure fœta, Poetarum somniis celebrata. C) Puteoli urbs, Buzzuolo, portu, castelloque instructa; veteribus Romanis ob puriorem aerem ædificiis, hortis exculta. D) Lipara insula Brutios despicit. Plures sunt insulæ huic vicinæ. Poetis Æoleæ, Lipareæ, Vulcaniæ dicuntur. Cursum classis ut intelligas, consule Italiam antiquam Ortelii in regiones suas descriptam, ubi sinus Brutius clare exhibetur, per quem classis ingressa, ac regressa Byzantium.

semper infestus. Quantum vero detrimenti Respub. Christiana hac postre- A. C. ma expeditione acceperit, ingens captivorum numerus testatur, quando- 1546. quidem singulis pene horis cadavera fame, ærumnisque confecta in mare præcipitabantur. Inde, UT calamitas loquax est, Italiæ populus Franciscum Regem, & Carolum Imperatorem liberis vocibus lacessivit, vapulavitque utriusque fama per Europam, quod bello impliciti, ille hanc pestem Italiæ immiserit, hic non extinxerit. At ubi bellum pace composuerunt inter se, ac Solymanum, Barbarossæ facultas adempta est piraticam faciendi, avidusque curarum, cum nullæ turbæ enascerentur per Imperium biennio integro, quibus vitales spiritus aleret, æger animo contabuit Byzantii anno millesimo quingentesimo quadragesimo sexto. A)

Sublatis belli tumultibus, extinctoque Chairadine, alia tum visa 1549. Byzantinæ urbis, atque aulæ facies. Populus (cui plerumque crescente Principis Imperio, fortunæ domi succiduntur) redeunte armorum cessatione, & otio, res suas jam impensius, & jucundius curavit. Etenim fervente bello in tot diversis locis, etsi Ottomanus raro victus cederet, tamen partim morbis pereunte milite, copiæ instaurandæ novis supplementis erant, æreque succurrendum victori exercitui, quasi victus foret. Præterea inter spem, metumque ancipites hærebant sæpius Byzantini, ne ad oram Africæ excubante Barbarossa, Hispani Byzantium invaderent, aut Veneti rupto fœdere improviso Peloponnesum, vel ipsam urbem, nullo præsidio armatam, adorirentur. Quod causæ fuit, cur tantopere pacem exoptarint.

At Primores Turcæ, præ pace majoris fecerunt Barbarossam funere elatum, cujus insolentia omnium animos pupugit. Equidem novi hominis fortuna offensi, querebantur se in aula, infra sua merita haberi; piratam solo fastu, latrociniis nobilem sibi palam præferri, virtuti nullum locum apud Principem relictum. Quantum igitur odii, indignationisque conceptum, tantum gaudii, lætitiæque haustum, postquam gravi censore (nam & Purpuratorum ignaviam factis ferox acerbius perstrinxerat) se videre liberatos. Breve tamen hoc qualecumque gaudium erat, novas animorum perturbationes suppeditante præfectura maritima. Videlicet IN ALTERO Euripo versantur, qui in aulis; vultus, animique nunquam sibi constant; nunc spe, nunc metu in omnem partem raptantur. Augebatur in dies numerus dignitatem ambientium. Et populus, qui ante Principem, munia in aula dispensare solet, prout Purpuratos sibi affectos censuit, ita certos, notosque destinabat, ac sua pariter vota alebat. Galliopolitanus Præfectus, in multorum oculis, animisque erat; nemo judicio populi aptior muneri, nemo hoc felicior mari habebatur. Huic committendam Imperatoriam classem, multo sermone inter se conferebant. Plane si consensu, votisque civium deligendus foret maris Præfectus, nemo unus Galliopolitanum præiret.

Sed Dragutes B) infimo genere apud Turcas natus, quocum palmas suas communicare solebat Barbarossa, altius invectus, auris plusquam popularibus ferebatur. Maritimarum expeditionum, fidus ubique comes, ubique consilio, manuque forti plurimas difficultates perrupit; huic uni tantum virtutis tribuit Chairadines, ut abiturus ex Africa ad Solymanum, successorem sibi faceret, traducta in eum classis cura. Sustinuit hoc munus tanta cum dignitate, & fortuna, ut scirent Barbarossam abesse, non sentirent socii. Molientem in dies majora, temeritas præcipitavit. Tribus, ac decem navigiis Genuensium insulam subitus invasit. Doria majori vi aggressus classiculam, mersis undenis navibus, piratam cepit. Diu, multumque exercitus in vinculis, tandem ære persoluto in libertatem assertus, acrioribus stimulis ad pristina ministeria redit. ADEO longa etiam calamitas viro forti non adimit spiritus, quos juratum odium nutrit. Liguriam non semel

A) Annales Turcarum, Barbarossæ mortem in sequentem annum referunt. B) Nonnunquam legitur Dorgoutes, Dargutes.

A. C. infeſtis armis adortus, alter Barbaroſſa appellari meruit, utque geminarent
1549. terrorem ſui, junctis viribus maria percurſarunt.

Barbaroſſa annis, mæroreque gravis Dragutem, victoriis inclytum, Solymano commendavit ante, quam diem ſupremum egit. Neque apud hunc, hominis maritimæ rei ſcientia, ac ſingularis in rebus arduis perficiendis induſtria, loco ultimo erat. Celebrem reddidere virum ad oras Italiæ victoriæ multiplices, quarum poſt Barbaroſſam magnam profecto partem Draguti deberi, Solymanus profeſſus eſt; & recens ad inſulas Lipareas, Turcis adhuc conſperſa hoſtili ſanguine arma præferentibus, & mancipia Byzantium rapta digitis indicantibus. Atque ipſe, ut ſuper fortunam crederetur, decorum ſe, promptumque in armis oſtendit; familiari alloquio militum animos alliciens, ac plerumque in opere, in vigiliis, in agmine mixtus gregariis, verbo: omnibus factis viam ſibi ad potentiam ſtruere nitebatur. Virtus itaque, & Principis favor Draguti, præfecturam contulit, ingenti commodo Imperii Turcici. Hæc libuit de Dragute toties mihi dicendo præfari, & vitam ante adminiſtrationem claſſis paucis edere, quandoquidem eorum, qui fere principes in Hiſtoria perſonas agunt, non ſolum res in munere quopiam geſtas exponere, ſed etiam quantum fama, ingenio antea valuerint, non negligere Hiſtorico præſcriptum eſt. A)

Cum Byzantinæ res, ut meminimus, alta pace florerent, Perſia civili bello exarſit anno MDXLIX. & quod fieri videmus in ejusmodi turbis, vicinas partes, quaſi filo extenſo, in easdem pertraxit. Erchaſes, B) frater Techmaſis Perſarum Regis, Sirvanæ C) Princeps, ſive dulcedine dominandi ineſcatus, ſive quod putaret minoris ſe fieri in aula, nec meritis paria præmia decerni, ad Solymanum æquum virtutis æſtimatorem ſe conferre ſtatuit, cujus armis non vindicandas modo injurias exiſtimavit, ſed & ſceptro Perſico potiturum ſe, haud dubiam ſpem alebat. Arrepto itinere per Circaſſiam, Caffam appulit, inde Conſtantinopolim. Principis transfugio lætus Imperator, aures præbuit de publicis Perſarum calamitatibus diſſerenti: ad privatas dein injurias, petitionesque transeunti, in omnibus, quæ oravit, liberaliter indulſit, placuitque exercitum in defenſionem Principis ſcribere. Atque iſtud non tam exulis cauſa, quam Imperii propagandi ſtudio confecit. Quippe veteris offenſæ memor animum obfirmaverat, occaſionem per-opportunam Perſiæ domandæ e manibus non paſſurum elabi, cum ampliſſima factio totum regnum ex æquo jam ſcindat. Quod ſi copias Perſia conſpexerit, ominabatur, valida conſpiratione Erchaſis, poſſe latiſſime Turcarum partes explicari, & ad dilatandos Imperii fines certo eventu circumduci.

1550. Igitur interrupto otio, ipſe Solymanus in Perſidem ducit. Urbem Wanum, D) quæ prima hoſtis furorem tulit, cum arce expugnat, regionem quæ longe, lateque protenditur, militi in præmium cedit. Techmaſes more ſuo copias munitiſſimis in locis continuit, ratus in provinciis ferro, & flamma evaſtatis, non longo tempore bellum extrahendum. Erchaſes, fratrem ut e latibulis in campum perduceret, nulli labori pepercit. Aſſiduus cum expedito agmine, ut erat locorum gnarus, regionem divexavit, urbes civium opera captas, Turcarum præſidio committit; auri, argentique vim magnam, e Perſiæ oppidis comportatam, Solymano tradit, non animadvertens, quam lethalem plagam rebus ſuis imponeret. Sed quo ardentius bellum promovere contendit, eo plurium odia incurrit. Populares maxime ut turpiſſimum proditorem patriæ deteſtabantur, viſaque crudelitate, omnium animi ſocietatem armorum horrebant.

Et Purpurati, cum multo minora promiſſis experirentur, & in dies militum ardor refrigeſceret, conjuratione inita, apud Solymanum occulti cum Techmaſe fœderis reum agunt. Aberat tum e caſtris infelix Princeps, dum

A) M. T. C. L. II. de Oratore. B) Hunc Bizarus Helcan fuiſſe ſcribit; Foreſtus e S. J. Ercaſen appellat. C) Provincia Sirvan Leunclavio videtur Media eſſe C. 252. Hanc regionem armis occupavit Erchaſes. Bizarus ait: Techmaſem digna præmia non contuliſſe fratri; & hanc fuiſſe principem cauſam defectionis. Annales Turcarum Erchaſem Mediam cum Imperio obtinuiſſe volunt. D) Wanum urbs arce munita, majori Armeniæ finitima.

dum hæc faba cuderetur. Ubi rediit cum ſuis; Purpuratorum vultus (QUI maxime ſervire ſolent, & Prothei formam, ut res poſtulat, induunt) non perinde arridentes, rariorem circa ſe comitatum, infrequens tentorium videt. Diſſimulato in præſens dolore, ne id, quod animo agitabat, deprehenderent; clam ſe ſubducit, in cujusdam Principis Curdiſtani ſat firmum caſtellum. Sed iſte diuturnioribus malis liberaturus patriam, violato hoſpitalitatis jure, fugitivum vinculis onerat, ac Techmaſi tradit, vitam inter carceris ærumnas miſere tracturum. Solymanus omni ſucceſſu deſtitutus, urgentibus reditum Purpuratis, e Perſide bellum removit. A)

A. C. 1550.

Sed recruduit eo vehementius in Africa, B) ſive jam tempus induciarum evolutum fuerit, ſive Dragutes, quietis impatiens, eas ſponte ruperit. Maritima præfectura tumidus, morem Barbaroſſæ ſecutus (ut ſcires cujus diſciplina eruditus fuerit) validiſſima claſſe profectus eſt in Africam; & Aphrodiſium c) urbem maritimam ad ictum deſtinat. Movit bellicoſum Ducem, ut hanc præ cæteris invaderet, quod intelligeret præſidiarios loco confiſos, haud multum ſolicitos de defenſione; & ſi caperet, maximam gloriam partum iri. Nec falſus eſt opinione. Callidus homo fortitudini dolos addit. Jubet aliquot militum manipulos navibus egredi, feſtinare ad locum inſidiis ponendis opportunum, atque ut primum ſignum invaſionis datum fuerit, ſcalis admotis oppidi mænia occupare. Structis inſidiis, claſſem, quantum frequentia ſaxa, litus arenoſum patiebatur, Aphrodiſium verſus promovet; ingenti clamore, maxima vi, maritimam partem impugnat. Præſidiarii, cives deſertis ſtationibus, eo certatim convolant, quaſi a continenti nullus metus, nullus hoſtis immineret. Interim mænia defenſoribus nudata, ii, qui in inſidiis latebant, ſcandunt, Dragutis ſigna propugnaculis defigunt, victoriam alta voce ingeminant. Milites improviſo clamore exterriti, capta jam urbe pugnam deſerunt, Dragutemque victorem recipiunt. Fuit exinde tota Africa celebre Dragutis nomen, utque terrori majeſtatem conciliaret, titulos Regios ipſe ſibi adjecit.

Præſidio urbi impoſito, ac nominato, qui ſui vices obiret, Halete ſororis filio, cum ſeptem, & quadraginta partim biremibus, partim triremibus in Hiſpaniam ſolvit, haud dubie provinciis Caroli V. detrimenta maxima illaturus, niſi Andreas Doria maritimarum expeditionum vetus Imperator, pro viribus Archipiratæ conatus retardaſſet. Quatuor ſupra quinquaginta naves, quas Principes Chriſtiani D) in Dragutem armarunt, ſumma celeritate ad Panormum E) contrahit; & intellecto claſſem Ottomanicam annona laborare, peropportuna navigandi tempeſtate in Mauritaniam vela flectit. Africæ litora allambens, Monaſterium Aphrodiſio quinque leucis diſſitum, terra, marique claudit, ac poſt aliquot certamina, cæſo Turcarum præſidio, vi perdomitum, direptioni victoris militis tradit. Inter hæc Dragutes, Iberici maris oram, Valentiæ regnum, Baleareſque inſulas divexat, arcta, & infenſa cuncta navigantibus facit; bellum impeditum, arduum, atque cruentum Chriſtianis minatur. Pollentia vim, conatumque piratæ infregit. Hanc ille ſub quartam noctis vigiliam aggreſſus pene jam ceperat. Oppidani ſomno ſepulti, ad primos tumultus arma, in hos uſus parata, ſeminudi corripiunt, ac ut locorum gnari erant, victoria exultantes ſtrictis mucronibus petunt, & fundunt, nec ante ferrum ponunt, quam hoſtis ſemet in naves trepide conjiceret. Nihil commotus hac clade, ſublatis propere anchoris altum petit, damnum illatum, Hiſpanis redditurus.

A) Hic finem accepere Annales Turcici; eos deinde naviter pertexuit ad annum uſque 1587. & eruditis obſervationibus illuſtravit Joannes Leunclavius Amelburnus, quem intelligi velim, dum Annales nomino. B) Joannes Chriſt. Calvetus Stella commentarium edidit Baſileæ anno 1556. de hoc Africano bello. c) Aphrodiſium, vulgo Africa, Mauris Mahadia dicitur, locus maritimus in regno Tunetano. Maximam partem alluitur mari, ſaxis, ſyrtibus horrido. Qua continentem reſpicit, gemino muro cingitur; verbo: ſui temporis præſidium & natura, & arte ſupra quam credi poteſt, permunitum. D) Julius III. Pontifex Max. Carolus V. Cæſar, Coſmus Medicæus Florentinorum Princeps, Rex Neapoleos, & Siciliæ. E) Panormus feraciſſimæ Siciliæ urbs, dignitate illuſtris; Tyrrheno mari alluitur; ſecundum mare arx eminet. Lege Thomæ Fazelli Hiſtoriæ Siculæ librum VIII. C. IV.

A. C. 1550. rus. Complures onerariæ e Sicilia ſolvebant, has ut opprimeret, cum ſuis conſultat. Jamque in eas expanſis velis ferebatur, cum ecce! quinque triremes ex Africa Neapolim venientes, quas falſo Cæſareas eſſe crediderat, Draguti timorem, mox fugam incutiunt. Meninx, A) ſyrtibus ſuis, ac ſcopulis ſatis munita, fugientem accepit, ubi crebrius Hiſpanorum fortitudinem ingenio, audaciaque ſuperavit; & quando Turcarum præſidia premebantur, ab hac ſpecula opem tulit, maxime Aphrodiſio.

Cœptum eſt illud oppugnari III. Calend. Julii magno ardore militis Hiſpani. Fuit oppugnatio multis ſane memorabilis. Duces ſui ævi præſtantiſſimi, ex Europa in Africam trajecere, hoc in theatro belli ut agerent. Ferdinandus Rex Siciliæ ſeptem, & viginti triremes cum quindecim Hiſpanorum cohortibus adduxit, ſtrenuamque operam impendit cum Vega, Perezio, Varga, Toleto, Manrico, aliisque Ducibus militia claris. Horum induſtria, ac ſingulari virtute bellica, cum terreſtris oppugnatio lente admodum procederet, maritima multo acrior inſtituta fuit. Quæ res maxumopere civium animos depreſſit. Nunquam enim futurum putarunt, ut urbs aliquando ea ex parte impugnaretur; quod mare prominentibus ſaxis horridum, navigiis fidam ſtationem negaret. Pervicit tamen conſilium Vegæ, & Toleti machinatoris acre ingenium, qui quondam ad Meſſanam pro ludicro certamine navali, machinam eduxit, & nunc ſimilem illi, non minori utilitate, quam ſui commendatione fabricandam ſumpſit.

Binas triremes, malis, & armamentis ſpoliatas inter ſe arctiſſime nectit, quaterniſque anchoris, ne fluctibus cederent, firmat. Eas prævalido tabulato contegi jubet, ut octona majoris molis tormenta, collocari poſſent ſuis cum aggeribus. Addit pluteos, crates, harpagones, quibus totum opus quam firmiſſime cohæreat, & rei tormentariæ Magiſtri a deſtinatis barbarorum ictibus impune ſubſiſtant. Opus intra paucos dies omnibus numeris abſolutum ſurrexit, quod unius artificio, ac judicio uteretur Vega. Aphrodiſianos, ad ea tempora nondum viſa machina in Africano litore, in admirationem primum, tum in incredibilem metum rapuit. Nam etſi vehementior ventus, inhorreſcentis pelagi fluctus in navigia illideret, crebriſque ictibus compages operis verberaretur, tamen immota ſemper perſtitit, peritiamque artificis utrique parti ſine invidia commendavit. Eo tempore, quo ultima manus operi impoſita, e Sicilia ingentem apparatum rerum bellicarum attulit Doria; B) ſtatimque turris marina cum propugnaculis, & a continenti mænia, verberata ſunt, maxima feſtinatione obſidentium.

Sed nihil admirabilius Aphrodiſianorum pertinacia, qui quamvis dies, noctesque vexarentur ab Hiſpanis, ac ſeptem millibus (ut memorant) & aliquot centenis ictibus, intra disjecta mænia excidium operirentur, non tamen dedendæ urbis conditiones audire paterentur; apparuitque plus præſidii eſſe in forti milite, quam in munitiſſima arce. Hiatus murorum objectu corporum explevere præſidiarii; his ad paucitatem redactis, cives non minori ferocia ſucceſſere. Quin matronæ ultra ſexus ſui munia progreſſæ, pugnantium ordinibus immixtæ, reficiendis, ac defenſandis turribus, cum virorum fortitudine certarunt. Aggeribus, vallis ſtruendis, quo Hiſpanum irrupturum diſtinerent, primæ manum admoverunt; viſæque inter armatos, truci vultu pro mænibus excubare, atque caſtra Cæſarea telis laceſſere, non minus incitamento ſuis, quam hoſtibus admirationi fuere. Nempe Dragutes e Meninge ſua advolans, vana auxilii ſpe, animos ad ferenda oppugnationis incommoda flammavit.

Tentaverat is non ſemel Hiſpanos Africa deturbare, juſtaque propemodum acie congredi auſus in conſpectu urbis, ſemper ſuas triremes petere compulſus erat. Nondum tamen ſe victos fatebantur cives, etſi exercitibus ſuis exuti, ac mænibus male tecti, Hiſpanos peralacriter inſultum adornantes

A) Meninx (aliis Meninge, Gerbes) inſula Africæ minoris, ſita Tunetum inter, & Tripolim. Percurre Tabellam veteris Africæ. B) Doriæ ex Africa ſolvendum fuit in Siciliam ad rem tormentariam curandam, quod barbari pervicacius reſiſterent,

nantes conspicerent; certi irruentibus viam omnem præstruere suis cadaveribus, pugnantesque mori potius, quam servitutem, aut mortem instar imbellium animarum subire. Et obsidentes quidem cum pertinaciam civium in dies majorem experirentur, assultu urbem undique apertam capiendam censuerunt. Igitur Vega, Toletus, Doria, militem castris eductum supremum assultum facere jubent. Doria triremibus, quantum per cautes, arenamque licuit, urbem accedit; mox milites congrediendi cum hoste avidi, in mare semet præcipites dant, aqua collotenus inundante; a vadorum scitis valles inter, voraginesque ad mænia semiruta ducuntur, deliberato animo contemtis periculis, quæ partim hostis projectæ audaciæ, partim immite elementum minabatur, ILLUSTRIQUE exemplo docuerunt, eos plerumque fieri dominos alienæ vitæ, qui suam contemnunt.

A. C. 1550.

Neque terrestris oppugnatio, non minori suscepta ardore, difficultatibus caruit. Toletus, qui impensius eam impressionem probarat, veteranos quosque milites seligit, quibuscum in mænia eo die niteretur, urbemque Hispani juris faceret. Mænibus superatis, inter tempestatem plumbearum glandium, animadvertit barbarorum industria, nova opera excitata intra urbem. Atque ut timoris signum fuisset militem revocare, ita res plena discriminis longiori temporis tractu stationem tueri. Ergo ex periculo majori gloriam accersens, per repertam in propugnaculo trabem, sese in urbem generoso saltu immisit, jam pila trajectus, quippe unus omnium telis petebatur. Habet quidpiam Toletus cum Macedone, A) qui ad oppidum Oxydracarum, facinus incredibile, atque inauditum, multoque magis ad famam temeritatis, quam gloriæ insigne ausus, semet præcipiti saltu, in urbem hostium plenam, conjecit integer, nulloque vulnere perstrictus. Septeni milites ostentatione quadam martialis animi, Toletum secuti, commilitonibus viam aperuerunt. At Turcæ non telis, non sanguini pepercerunt; ubi major vis Hispanorum urgebat, eo confestim accurrere, vitam potius, quam urbem amissuri. Neque Hispanis, etsi fortissime dimicarent, expeditum iter per vicos erat, omnia obsidentibus barbaris. Nemo loco cessit, nisi graviter vulneratus, aut confectus, sociorum manibus alio abreptus.

Par est, ut trium fratrum pium, juxtaque audax factum literis committam. Morela Signifer, ingentis spei Juvenis, dum animosius, quam cautius hostem submovet, sternitur. Frater, qui pone tela in obsistentes ingerebat, viso Germani fato, signum arripit, ulturusque necem, pariter cadit. Supererat Centurio ejusdem legionis Morela, jam graviter saucius; hic ultimi dedecoris indignitate commotus, linquentem revocavit animum, signumque ambabus manibus complexus, non prius vitam, spoliumque amisit, quam hostis submoveretur. Adeo carum fuit vexillum, trium ut fratrum funeribus veniret. Et istud fortitudinis spectaculum victoriam adhuc ancipitem, certam fecit. Hispani etenim multo acrius in confertos hostium manipulos ruerunt, cædemque late circumtulerunt, etsi matronæ passis crinibus viros in pugnam animarent. Hales urbis Præfectus inter suos occubuit. Præter tormenta, & annonam, præda reperta multiplex. Captivorum septem millia Vegæ obvenerunt. His prospere gestis nunciatum est: ad Meningem insulam oborta seditione res Turcarum fluctuare, ac Dragutem liberis, ac uxoribus in naves impositis, inopem consilii hac illuc vela flectere, nec tutum locum reperire, ubi classis hyemaret. Hoc nuncio percepto, sine mora in Meningem solvit Doria. Sed cum haud procul a Cercina B) navigaret, tempestas navigia cursu prohibuit. Interea ex Europa perferuntur mandata Cæsaris: Aphrodisium ut suis munimentis spolietur, urbs ipsa piratarum asylum radatur. Vega, cæterique Duces certatim cum militibus operi institere, & paucos intra dies suæ virtutis theatrum, excisis murorum fundamentis, subruerunt. c)

Aphro-

A) Q. Curtius L. IX. C. IX. B) Cercina insula urbem, & portum habet, haud procul a Meninge. c) Annales Turcici.

A. C. 1551. Aphrodisii excidium Dragutem, sui alioquin impotentem, in rabiem, furoremque vertit. Solymanum de progressibus Cæsaris, in Africa factis anno proxime præterlapso, querulosis, ac invidia plenis verbis condocefacit; opem, operamque flagitat, quo se, Turcarumque dominationem fulciat. Non defuit postulatis Imperator. Sinanem Purpuratum e Byzantino litore cum maritimis copiis in Africam festinare jubet, ne Dragutes undique circumventus ab Hispanis, rebus desperatis provincia decedat. Sed Doria prævertendum ratus Sinanis conatum, classem veterano milite armatam in Dragutem movet. Receperat se in suam Meningem, turbis domesticis extinctis, fortunam qualemcunque forti animo excepturus. Patet in eam insulam unicus aditus, quem si occupes, Insulanorum classi omnem fugiendi potestatem ademisti. Nam adeo tenui aqua ad occidentem circumfunditur, ut per altam arenam fere vado transiri possit, nedum triremium capaci. In his angustiis deprehensum, Doria firmis custodiis obsedit, non ausus oppugnationem adornare, quod prævalidam turrim machinis bellicis quam scitissime instructam opposuerit Dragutes, ex qua certis ictibus triremes sigillatim (neque enim plures ceperant angustiæ) canalem ingressas haud dubie lacerasset, mersissetque.

At Dragutes insulæ vitium mira ingenii felicitate correxit, Doriamque multarum palmarum Ducem, calliditate consilii per aulas Principum traduxit. Quippe ubi animadvertit, omnem exitum sibi interceptum, nec posse abigi Hispanos, sine manifesto discrimine amittendæ classis; sive inopiam commeatus metueret, si longiores ea in insula moras traheret, sive ad nominis existimationem pertinere existimans, si tantum Heroem luderet, rem molitus est priscis seculis inauditam. Sinum maris, quo circumscribi diximus insulam ad occidentem, arena primum expurgat spatio mediæ leucæ, deinde novo alveo canalis perfecto in continenti, triremes unam post alteram opera Turcarum, Insulanorumque eo pertrahit, atque æstuante, insurgenteque freto, inoffenso cursu in apertum pelagus deducit. Id vero tanta celeritate, ac silentio Dragutes perfecit, ut ante Siculorum A) triremem in alto expugnarit, quam Doria sciret Dragutem insula excessisse.

Nam comportatis, quotquot in insula erant, ferramentis hujusmodi labori aptis, arrepto ipse obvio ligone, intuitusque primarios, qui aderant, militum Ductores, moliri terram primus aggreditur. Ac statim facinus æmulati ingenti alacritate Centuriones, ac reliqui milites (qui aversari opus initio videbantur, quod putarint rem tanti moliminis in hostium vicinitate confici non posse) ut paucas inter hebdomadas non summis modo difficultatibus se expeditos conspexerint, sed & superata natura e victis victores apparuerint. Et ut fallerent industriam Hispanorum prope excubantium, quædam vela, funesque malis suis appensa, eodem in loco reliquerunt, quasi integra classis pristinam stationem obtineret. Hunc in modum ingenium Archipiratæ celeritati conjunctum, Hispanis imposuit; DOCUITQUE oculos falli posse, aut certe primos Duces errorum esse.

Intellecto per Melitenses, Dragutem e Meninge fugisse, ac insulas more suo infestas jam reddere, Doria dolore, pudoreque suffusus, deserta Africæ ora in Italiam redit, nec quidpiam ea æstate suscepit in eum, sive aliis implicitus negotiis, sive de industria æmulum vitaret. Interim Sinan Purpuratus cum quinquaginta, & centum navigiorum classe aderat, Dragutis caput ultimo, ut putabat, discrimini erepturus. Melitam insulam Siciliam inter, & Africam sitam, junctis viribus majori animo, quam successu aggrediuntur. Quippe cum Equites castellum S. Angeli strenue tuerentur, re infecta in Africam solverunt, ac Tripolim oppugnandam sumpserunt. Erat Tripolis B) mœnibus, propugnaculis, arceque permunita, ac sub jure, præsidioque Melitensium Equitum, quorum fortitudini plurimum Carolus Cæsar

A) Hæc missa est a Pro-Rege Siciliæ in auxilium Doriæ. B) Tripolis, diversa ab altera hujus nominis in Syria posita, urbs Africæ, nempe tertia Respub. Piratarum post Algeriensem, & Tunetanam. Tum erat juris Equit. Melitensium.

Cæſar deferebat, prorſus inexpugnabilis credebatur. Et primis quidem diebus metus inceſſerat Turcas, ne, ut nuper Melita, ita & nunc conatu irrito Tripoli diſcedendum foret. A. C. 1551.

Etenim cum tormentis, (ſex & triginta numerabantur) propugnaculum arcis Divo Jacobo dicatum quaterent, nullo mænibus illato detrimento anxii hæſere, an porro proſequerentur oppugnationem? ſed transfuga primum, mox miles ære conductus, Melitenſium fortunam afflixit. Ille propugnaculum S. Barbaræ vetuſtate ſua detritum impetendum ſuaſit; iſte rumore futuri aſſultus metu oppreſſus, fugam circumſpexit, urbemque eodem malo afflavit. Caſparus Villarius, aliis Valerius, loci Præfectus, præſidiariorum vecordia multum perterritus, deditionem arcis, urbisque offert Ottomano, ægreque impetrat, ut trecentos, quos ipſe deligeret, rebus integris abire, quo vellent, fineret; reliquos captivos faceret. Tam indecoram conditionem pene invitus amplecti debuit. Accitus enim in caſtra a Sinane, Draguteque, aſperis verbis perſtringitur, quod temere Solymani viribus obſtiterit; neque impune iſtud futurum. Villarius rurſum inſtare, conditiones initas ut inviolata fide (nam liberum diſceſſum omnibus jurejurando pollicitus eſt per Oratores) ſervaret. Tum ſubito excandeſcens Purpuratus Præfecto vincula injicit, oppidanisque nunciat: *ſe niſi extemplo dediderint, non ultro ferocientem militem inſultu prohibiturum, nec Præfecto, quem ſua in poteſtate haberet, parſurum.* His trepide in urbem perlatis, deditionem properarunt, ut memini, cui & Villarius ſubſcripſit. Tripolis Dragutis fidei commiſſa, vicinas provincias, mareque frequentibus procurſionibus inpoſterum territabit. A)

Altero poſt anno Neapolitanis, Siculis, & Genuenſibus, redeunte bellorum turbine in Italiam, vulnera ſane non levia inflicta fuere, dominantibus Turcis mari mediterraneo. Corſica, Genuenſium id temporis inſula, cæſis præſidiariis, ac in ſervitutem duriſſimam abductis incolis, Ottomanorum pariter jugo collum indidit, gemuitque ſub eo ſex admodum annis, dum pace reſtituta inter Philippum Hiſpaniæ, Henricumque Galliæ Reges, ex fœdere Genuenſibus redderetur. Jam in Hungariam fertilem armorum campum revertamur, & quid Solymanus, Purpuratorum ductu in ea egerit, carptim exponamus. 1553.

Iſabella in Tranſylvaniam abire juſſa cum pupillo, ut ſupra narratum eſt, in dies majores turbas experta eſt, quas Proceres novarum rerum cupidi excitabant. Etenim REIPUB. adminiſtratores inter ſe diſſentientes, facile in partes populum ſcindunt cum Principum pernicie. Georgius Monachus, & Petrus Vichius, vulgo Petrovichius, pari poteſtate Reginæ, pupilloque dati, privatis ſimultatibus exarſerant. Neque ille parem, nec iſte ſuperiorem ferre poterat. Et Georgius, ſive Turcarum ſocietatem exoſus, ſive Petrovichii authoritate offenſus, ſive Iſabellæ jacentem fortunam deſpiceret, majora auſus, cum ipſa Regina in apertas inimicitias, ac bellum prorupit. Signum hoſtilitatis primus extulit, dum eam Cibinium B) tendentem aditu urbis prohibuit, ne videlicet armorum ſede occupata, quidpiam detrimenti acciperet, lentiusque procederent conſilia, quæ cum Legatis Ferdinandi Regis clam iniverat. c) Graviter tulit hominis inſolentiam undique virilis animi Regina juxta, & Solymanus. Iſte quidem, ne factio invaleſceret, graviſſimas literas ad Tranſylvaniæ Proceres dedit per Mahometem Chauſium, quibus hortabatur ſigillatim, ut Iſabellæ, pupillique partes amplectantur ſtrenue; Georgium adempta dignitate, armis e Tranſylvania propulſent, aut, quod mallet, vinculis oneratum Byzantium mittant. Hæc,

A) Daniel Hartnaccus in Conſpectu Bellorum Turc. edit. Holm. anno MDCLXXXVII. hæc recitat: „ Aucta eſt potentia Turcica A. C. MDLI. Tripoli urbe Africæ Melitenſium Equitum Rhodo ejectorum ſede, quam per Sinanem Purpuratum inſtructiſſima claſſe obſedit, & die XV. Auguſti occupavit. „ B) Cibinium urbs Traſylvaniæ. c) Georgius Tranſylvaniam Ferdinando tradere voluit, hacque ſuper re crebrius conſilia cudit cum Legatis Ferdinandeis. Iſtvanff. L. XVI. Anno 1550.

A. C. 1553. atque alia Chaufius privatim publiceque e literis recitavit, faſtuque intolerabili ſui Domini iram venditabat.

Illa Solymani præſidio animoſior, cum ſublato quaſi omni commercio ineundæ concordiæ, ſpes una pacandi hominem in armis reliqua eſſet, accitis copiarum Ducibus bellum Georgio movet. Neque iſte ſuis rebus indormiit. Commiſſis aliquot præliis, utraque pars præ bello pacem maluit. Proditum eſt literis: Georgium ferocia poſita tam abjecti animi extitiſſe, ut humi provolutus ante Iſabellam, inter lachrymas erratorum veniam oraverit. At non multo poſt recruduerunt odia tanto ſævius, quanto pertinacius animo recepta, ſpecie oris tegebantur. Georgius, quam cœperat telam, tandem pertexuit. Caſtaldum A) Ferdinandi copiarum ſupremum Ducem in Daciam evocat, ac Reginam rebus ſuis diffidentem eo adigit, ut reddito diademate regni, provinciam Tranſylvaniæ certis ſub conditionibus Ferdinando Regi ceſſerit. B)

Auditis Tranſylvaniæ turbis, vicerat dolor Solymanum, convocatoque majori concilio Purpuratorum, Mariam Malvetium Ferdinandi res Conſtantinopoli curantem palam rogat: num ea, quæ de Daciæ rebus nunciarentur, vera eſſent? cumque is conſtanter negaret (neque enim quidpiam literarum a Rege, aut amicis acceperat) & ſolum flagitio hominum ejusmodi fabellas confingi, intrepidus aſſereret; ira, furoreque præceps, multis convitiis proſciſſum, ac gentium jure violato, in ſeptem turrium carcerem conjici, ſupellectilemque domeſticam ſub haſta venumdari jubet. Mahometi præterea equitum Europæorum Magiſtro, contractis propere militibus in Hungariam, indeque in Tranſylvaniæ regionem ut proficiſcatur, præcipit, ejectisque novis hoſpitibus, Iſabellam, pupillumque veteri dignitati, provinciæque reponat. Promotis ad Szalankamenum caſtris, paucos intra dies præter militem e Græcia accitum, convenere ſummi Duces ſuis cum copiis, Ulamanes Perſa Bosnienſi, Alibegus Sirmienſi præfectura inſignes; Achomates Mihaloglis (quem equites Hungari ſomno, vinoque gravem cum nobilioribus Turcis interfecere) & Caſſonus e finibus nuper pulſus a Georgio. Valido exercitu inſtructus Mahometes, caſtella, arces, oppida deditione accipit, Caſtaldo non auſo in aciem prodire. Lippam C) metu præſidiariorum deſertam, Ulamanes ſuo milite firmat. Temesvarinum D) non interrupit modo victoriarum curſum, ſed hoſtes etiam victos rejecit. Loco præfuit Stephanus Loſſonczius, vir conſilio, manuque promptus, cum aliquot veteranis cohortibus Hungarorum, Hiſpanorumque. Tredecim dies acerrimæ oppugnationi impenſi. Verum cum operam perderet ad mænia, & jam gravior autumnus incumberet, Janitsarique ſtipendiis confectis in patriam feſtinarent, nocte concubia exercitum Belgradum reduxit. E) Non fefellit Loſſonczii induſtriam nocturna diſceſſio. Eruptione facta perpetuo ultima agmina mulctavit, & oppidum Nagylakum in itinere cæſis præſidiariis Ferdinando aſſeruit.

Abeunte Mahomete Caſtaldus, & Georgius in campum prodeunt, atque exercitum ſexaginta millium armatorum Lippæ admovent. Ulamanes Perſico, Dalmatico, & Hungarico bello multum exercitatus, ad omne periculum impavidus, magno animo defenſionem apparabat. Nec miles ferocia cedere viſus eſt Duci; adeo omnes gloria vincendi extimulavit. Et autumno jam præcipitato ſpe certa nitebantur Ottomani, Chriſtianos rigidiori tempeſtate oppugnationis conſilium abjecturos. Sed Hiſpanorum fortitudo hyemem prævertit, & hoſtium pervicaciam uno facinore infregit. Horum perpauci, ſeptem, octove memorantur, habito inter ſe conſilio,

mænia

A) Joannes Bapt. Caſtaldus Magiſter Caſtrorum Caroli V. Cæſaris fuit. Hunc Ferdinandus a fratre petiit adverſus Iſabellam, & Turcas. B) Anno 1551. C) Lippa in Temeſienſi plaga nobilis quondam cum arce civitas, jam fere indigeſta moles. D) Temesvarinum urbs, verius propugnaculum unum, pluribus aquis, aggeribus firmum. E) Peditum legiones privilegium hoc obtinuere ab Amurathe I. in campis Varnenſibus cæſo Uladislao Hung. & Bohemiæ Rege, ut ne ultra diem D. Demetrio ſacrum, militiam ſequi cogantur. Sed neceſſitas belli ſæpe easdem legiones adulta jam hyeme in campo detinuit.

mænia invadenda suscipiunt. Commodum evenit, ut eo die signum legio- nis præferret Ferdinandus Botto, absente Signifero. Hic meditati facinoris princeps, socios hortatur: *ut ne occasionem rei pulcherrimæ elabi sinerent; irent alacres, & in æmulatione tot gentium* A) *primi invadendæ urbis decus, id est periculi, victoriæque summam præriperent.* His animose dictis, arrepto signo in mænia insilit cum sociis, ac cruenta dimicatione propugnatores detinet. Accurrentibus ad locum pugnæ Janicsaris, amisso vexillo cæduntur. Visa commilitonum fortuna; Hispani sine Ducum imperio certatim eo provolant; hos Germani, Hungarique secuti, cum nullo ordine consisterent, Turcarum numero impares, terga vertere occepere.

A. C. 1553.

Forte Thomas Nadasdius clamore pugnantium commodum accurrerat, animadversoque invadentium periculo, timoreque; vexillum Hungaricæ legionis arripuit, illudque, ubi maxime pugna calebat, defert. Æmulatus Julii Cæsaris gloriam ad fluvium Sabin in barbaros signum pariter, & metum inferentis. B) Quo viso Hungari mænia repetunt; & Hispani Castaldo, GeorgioqueDucibus, iterum impressionem tentant. Tandem Turcæ, cæsis suorum promptissimis, fuga salutem quærunt. Pars arcem cum Ulamane petiit, pars per urbem vaga, palansque abjectis armis, quasi se dederet, eo promptius ab Hispanis trucidatur. Capto oppido, direptoque, Castaldus animum, operamque ad arcem subigendam advertit. Inter paucos dies mænibus prostratis, Ulamanes de deditione Lippæ, Csanadinique egit cum Georgio, qui nuper collegio Purpuratorum Patrum adlectus, universi exercitus imperium affectabat. Et Georgius quidem Ulamanem cum præsidiariis liberum dimittendum censuit, obnitentibus multum Castaldo, cæterisque Ducibus. Pervicit postremum benignior hosti sententia. Georgius Ottomanos noctis tempore egressos (mille trecenti erant) in tutiora loca deduci jubet, quanquam Castaldo perinvito, & ultionem premente. Atque istud est, quo fatum sibi acceleravit Georgius. Nam non post multo sicarii manu, sui securus in conclavi interiit. Fama percrebuit authore Castaldo, collusisse eum cùm Turca, & nescio quod regnum in Dacia sibi destinasse, quod & Istvanffius scribit. Nempe patrato immani scelere, quo honesti speciem indueret Castaldus, perduellionis notam Cardinali inurit. Vindicavit cœlum famam Purpurati Præsulis, quando de singulis necis auctoribus supplicium sumpsit. c)

Principium millesimi quingentesimi quinquagesimi secundi anni, militi Hungaro fatale fuit. Pedestres copiæ Szegedinum oppidum, faventibus audaci facto tenebris, uno impetu capiunt. Arx Solymani jussu posita, eodem ardore subigi haud potuit. Versi ad prædam milites, Turcarum domos evacuant, in apothecas vino Sirmiensi repletas involant, & disciplinæ militaris obliti, dies, noctesque crapulis extrahunt. Dum commessationibus, crapulæ indulgent, & largius pransi per urbem vino, somnoque graves procumbunt; Alys Eunuchus Budæ Præfectus cum expedito agmine eo properat; ausosque vino jam victos manus conserere, internecione delet. Quina narium millia cum XL. vexillis Byzantium missa. Nec felicius res gesta ad Wesprimium. Alys victoriam ad Szegedinum obtentam nova cumulaturus Wesprimium ducit, & spatio dierum decem muris everberatis, vetustate alioquin in ruinam pronis, præsidiarios ad deditionem compellit, quos contra datam fidem ad unum omnes jugulavit. Adulto jam vere, major procella Hungariam excepit. Achomates supremus armorum Vezirius, accepto transmarino exercitu, Hadrianopoli profectus, quintis, ac vigesimis castris Semendriam tenuit, atque inde evocato Mahomete, maturatis profectionibus Belgradum, mox strato Tibisci flumine ad Titulium oppidum ponte, Temesvarinum pervenit.

Stephanus Lossonczius, qui anno superiori summam laudem consecutus fuit a defensa urbe, eandem pari virtute tuendam suscepit cum Hispanis,

A) Præter Hispanos aderant Germani, Hungari, Itali, Belgæ &c. B) Julius Cæsar de Bello Gallico L. II. c) Inspice Purpuram Pannonicam P. Samuelis Timon, & Istvanff. L. XVII.

A. C. 1553. nis, Hungaris, & Germanis. Triginta ſex tormentis, magnitudinis non vulgaris, urbs, atque arx infeſtabatur, maxime tamen turris aquaria, quam ſi occuparent, arcem quoque habituros ſe non vane conjiciebant Turcæ. Et profecto multum ſanguinis profuſum ab utraque parte, donec noſtri ſpe defendendæ turris amiſſa, urbem juxta, & arcem perdidiſſent. Loſſonczius tamen deditionis nomen non minus, atque ipſam proditionem damnaverat, quamvis facultas repugnandi intercepta jam eſſet a Turcis, aquaria turri expugnata. Oppidani excidium urbis veriti, precibus, lachrymisque perurgebant Præfectum, ut, cum apparatus bellicus in dies deficeret, famesque in omnes graſſaretur, ſe, ſuosque molliori fortunæ ſervaret. His acceſſere Hiſpani, Germanique monentes: *ne ultima experiri vellet; ſe fortiſſimorum militum munia abunde expleviſſe, quando menſe integro fame conflictantes, undecies hoſtem mœnibus depuliſſent. Si pervicax eſſe pergeret, deditionis leges ultro confecturos ſe minabantur.* Adactus hunc in modum, accepta abeundi cum ſuis poteſtate arcem tradit. A) Vix urbe egreſſi, irruentibus Turcis trucidantur; ne inulti caderent, Loſſonczius verbo, factisque commilitones incitavit.

Subacto Temesvarino, complura oppida in victoris poteſtatem ceſſere. Lippa ingenti Hiſpanorum gloria nuper ſubacta, turpiter hoſti prodita. Bernardinus Aldana (Hiſpanusne, an Italus fuerit, nondum inter Scriptores convenit) vicino periculo perculſus, machinas caſtrenſes corrumpit, facesque tectis ſubdit. Nimirum ut collucentibus feſtivis ignibus fugam ignominia plenam cohoneſtaret. Poſt tot clades Ferdinandus Rex Eraſmum Teuffelium (quem Iſtvanffius infauſti nominis B) Ducem appellat) cum denis armatorum millibus, ad recuperandas arces expedit, quas hac æſtate Achomates eripuit. In campis Pallaſtienſibus, quo Alys Eunuchus Budæ Præfectus Teuffelio obviam venerat, utraque acies cruento prælio decertat decimo Auguſti, Regiis campum, & victoriam obtinentibus. Altero die eandem arenam multo jam ſanguine perfuſam repetunt, parique pervicacia concurrunt. Sub æſtu certaminis, dum exploſis in hoſtem tormentis, heſternæ diei victoriam Regii geminare nituntur, forte decidit in pyrobolariam ſupellectilem ſcintilla, quæ extemplo correpta, ingenti fragore tormenta, Magiſtros bellicorum operum, militesque non paucos miſerabili ſtrage afflixit. Ea res hoſtium animos ad victoriam incendit. Sublato clamore, repentino caſu perterritos invadunt, fugantque.

Teuffelius ſuorum trepidationem voce, manuqne ſiſtere conatus, a circumfuſo equite capitur. Itali modo vicinam ſylvam, & fugam reſpectabant, modo in prælium meliorum ductu redibant, eoque inter pugnæ, fugæque conſilium plures cadebant. Eunuchus nobili patrata victoria, interceptis omnibus impedimentis cum captivis, quorum quatuor millia ferebantur, Budam triumphanti ſimilis intravit. Captivi longo ordine diſpoſiti, ac Teuffelius equo inſidens, canentibus ſignis in forum deductus civium oculos rapuit. Miſſus ſubinde Conſtantinopolim cum XL. vexillis, & captivis præcipui nominis, cum negaret ſe ſupremum copiarum Ducem fuiſſe, ab irato Principe culeo inſutus Bosphorano mari mergitur. Budæ ac Peſzthini tanta mancipiorum vilitas, facile ut modio farinæ ſub haſta venderentur complures. Vitio datum eſt Teuffelio, quod præcipiti conſilio pugnam iniverit, excluſis ſeptem millibus Hungarorum, qui ad Fülekum pugnæ avidi convenere, ſive id contemptu hoſtium egerit, ſive cupidine gloriæ, quam cum aliis communicatam nollet.

Eodem adhuc anno, videlicet quinquageſimo ſecundo ſupra milleſimum quingenteſimum Szolnokino in itinere occupato, Achomates, & Alys Eunuchus, centum viginti quinque millium exercitum ad Agriam oppugnandam adducunt. Arx olim munitiſſima, urbi imminet, aut potius pars arcis, cum exterior, multoque amplior munitio ſuis jaceat ruderibus ſepulta.

A) Gemuit ſub jugo ad annum 1716. quo ab Eugenio Principe obſeſſa, aliquando tandem reddita Hungariæ eſt auſpiciis Caroli VI. Imper. ut ſuo loco dicturus ſum. B) L. XVIII.

sepulta. Sed non tam munimenta arcem servavere incolumem adversus barbaros, quam incredibilis virtus propugnatorum. Bina non nisi millia Hungarorum erant, paria longe majori exercitui frangendo, sub Praefectis Stephano Dobo, & Stephano Mecskejo. Vix alteram oppugnationem acriori partis utriusque studio susceptam Historici tradunt. Ottomani tot victoriis incitati omnem conatum intenderunt, Agriam ut suis trophaeis adderent, multis partibus inferiorem, si cum Rhodo, aliisque praesidiis conferas, quae tamen sub jugum missa. Hungari contra amissum militiae decus recuperaturos apud exteras gentes se sperabant, si Agriam servarent; omnibus nervis hostium vi sese opposuere. Et Achomates, cum blanditiis nihil perfecturum se sentiret, machinis castrensibus maenia quatere, ignibusque missilibus tecta convellere instituit.

A. C. 1553.

Octavo, & decimo obsidii die, assultu turrim occuparunt hostes; at Dobonis virtute mille suorum desideratis continuo ejecti fuere. Illud praesidiariis non parvam solicitudinem incussit, quod tormentario pulvere, qui in aede sacra asservabatur, incenso (dolo, an casu fortuito? incompertum) disjectis maenibus, molis versatilibus, superiorique parte in altum expulsa, magnam sane partem aedificiorum, relabentia saxa prostravere, septem, octove gregariis ruina incidente, subito elisis cum molitoribus, pistoribusque, qui opus curabant. Sed nova arte confecti pulveres, & maenia aggeribus refecta Dobonis industria; praesidiariis pristinam alacritatem reddidere. Versis deinde ad cuniculos, omnis labor in irritum cecidit; Agriensibus contrariis fossionibus conatum intercipientibus. Achomates infestior Hungaris, novi operis molem orsus, militem in vicinis sylvis ligna caedere, ac totas arbores cum ramis ad arcem convehere impellit. Moles ferventibus operis adeo excrevit, murorum fastigium ut facile aequaret. Gregorius Deakus, sive Literatus, machinarum bellicarum non infelix inventor, insanae magnitudinis opus momento consumpsit, vasculis multo sulphure, aliaque materia incendio fovendo apta, oppletis, in molem conjectis. Plura machinamenta ingeniosus artifex animo concepit, ac subinde fabricata & in hostem emissa, artis miraculo obsidentes tenuit, quam plurimis eorum interemptis. Archimedes sane sui temporis, meliori successu Agriam, alteras Syracusas propugnans. Certe ut non minor cura Literato erat tutandae Agriae, ac Doboni, ita non minor laus eidem tributa a praesidiariis, atque Turcis.

In hunc modum cum ingenio Literati, & Dobonis manu arx invicta persisteret, & saepius fusi, fugatique Turcae, vix vultum ferre possent praesidiariorum, Achomates amisso robore Janicsarorum, castra Budam versus promovit XIV. Calen. Novem. Volitabat postmodum celebri fama per totam Europam Agriensium Heroa virtus. Et par erat suae famae, praedicabaturque eruditis exterarum gentium calamis, etiam mulierum fortitudo, quae armatorum manipulis immixtae, patriam ab interitu servare contenderunt. a) Ferdinandus ex aequo muneraturus Praefectorum industriam, Dobonem Transylvaniae praefecit, Deakum Agriae. Mecskejo invida mors vitam, praemiaque eripuit. Nec Deako diu praefectura frui licuit, insidiis exceptus a Vilibego, ac Byzantium missus, odio Achomatis in furcam actus fuit. Adeo irrita oppugnatio alte vulnus inflixit, ut non aliter coaluerit, quam aemuli fato.

Secundum haec, principem curam eo intendit Rex Ferdinandus, ut Hungariae tranquillitati consuleret; viderat enim ingenti Reipub. damno, armis plerumque inferiores esse suarum partium Duces. Quapropter Antonium Verantium Quinque-Ecclesiensem Praesulem, & Franciscum Zajum classis Praefectum, multarum linguarum peritos, ac amplissimis muneribus instructos, ad Solymanum ablegat foederis ineundi causa. Aberat is eo temporis in Asia, Mustaphae filii perfidiam, falso, ut narrabimus, impositam, ulturus. Quapropter Legati, quo celerius suo munere fungerentur, in

a) Istvanff. L. XVIII. & Sambucus.

A. C. 1553.

in Asiam profecti, Amasiæ Imperatorem convenere. Haud perinde, ac sibi persuaserant, sunt accepti. Cum enim pro dignitate sui Regis æquas conditiones postularent, contemtim auditi, aula dimissi fuere. Auxit Solymani arrogantiam Persiæ Regis Orator, qui eodem tempore supplex pacem orabat. Augerius tamen Busbequius Orator Ferdinandeus semestres inducias impetravit, A) quas subinde prorogavit ad annum usque MDLVI. Intra hos annos etsi aperto bello certatum non fuerit, tamen præsidiariorum Præfecti, cupiditate prædæ adducti, crebrius vicinas provincias incursarunt. Nunc Mustaphæ fatum dicemus.

Plurium liberorum Pater extitit Solymanus, ut plures alebat pellices. E Circassia, vulgo Bosphorana, quam sibi in thorum acceperat, Mustapham suscepit, Principem a natura pulcherrimis dotibus liberaliter instructum. Rossa, sive Roxolana partu fæcundior, quatuor mares Mahometem (hic fato jam functus erat) Selymum, Bajazethem, & Ziangir, fæminam unam Chameriam Rustani nuptam, progenuit. Hæc ambitionis immodicæ mulier (ut POTENTIUM fæminarum magna est affectuum impotentia) id unum animo versabat, Imperium Turcicum ut in suos liberos transferret secundum Solymani fatum. Mustapham Imperatoriæ dignitati parem, & prætorianis maxime acceptum, votis obstiturum non vane intelligebat. Igitur hunc e medio tollendi cum Purpuratis, & Mufftio clam consilia agitat. Solymani erga se amoris alioquin secura, ut factionem suam authoritate fulciret, eo perpulit Imperatorem, ut præter morem Majorum suorum, solenni nuptiarum ritu eam in conjugem delegerit. Hoc impetrato, inter muliebres blanditias non levem suspicionem movit Solymano, de Mustaphæ cupiditate dominandi. Rustanes gener eadem arte in Mustapham armatus, suspicionem majorem in modum auget exhibitis Imperatori literis, velut illius manu exaratis, quibus de nuptiis cum filia Persarum Regis Techmasis, quocum bellum non ita pridem gestum est, ineundis agebatur. Proditum est præterea: magico carmine omnem erga Mustapham affectum paternum extinctum. Hujusmodi machinationibus impulsus, Rustani provinciam committit interficiendi Principis, tradito exercitu specie inferendi belli Persarum Regi. In Asiam profectus Rustanes, novum crimen affingit innocenti: eum Janicsaros solicitare suas in partes, rem plenam discriminis esse, Imperator ni propere advolet. Et vero omnibus posthabitis Aleppum festinat, eoque Mustapham, fatalis telæ minime ignarum, arcessit in castra. Ferunt Achmetem Purpuratum infelici Principi technas Roxolanæ detexisse, ac amice orasse eum, subduceret sese, gravidamque cruore tempestatem ne opperiretur.

Incertus animi Mustaphas quid ageret, tandem consilio fugæ damnato, vitæ integritate, meritisque ferox Patrem adit. Vix vestibulum tentorii Imperatoris attigit, continuo a manipulo mutorum B) hominum, quos Principes Byzantini in deliciis habere assolent, ea de causa, ne infanda Dominorum crimina propalent, terræ affligitur, admotoque non molliter nervo strangulatur. Illico vox præconis audita: *unum in cœlo Deum, in terris unum Solymanum Imperatorem esse oportere.* Ziangir C) minimus ætate inter fratres, a Solymano per ludum admonitus, Mustapham Principem ut amplecteretur, quem interfectum ignorabat; viso indigno mortis genere sublatum, adeo in potestate non habuit dolorem animi, ut alte adacto, quem sors obtulit, in viscera pugione, novo funere paternos oculos cruentarit. Ejectis cadaveribus tristi primum silentio castra hærere, mox Solymani suspicionem, Roxolanæque artes agnoscere, nimiæque Mustaphæ confidentiæ subirasci; denique laxato dolore liberis vocibus crudele facinus detestari. Et nisi Imperator, majestatis reum jure cæsum alterum, alterum suo vitio occubuisse, in castris promulgasset, militaris furor ultra indignationem

A) Anno 1553. B) Alii quoque Imperatores hoc hominum genere frequenter usi sunt, quemadmodum Annales Turcarum produnt. C) Ziangirem Galatæ tumulo illatum testatur Verantius suis literis, ut habet etiam Index Libitinarius Osmanidarum.

tionem exarsisset. Non multo post Murates, Mustaphæ filius, paternæ calamitatis hæres pari fato, dispari causa vita exutus fuit. Nocuit juveni Mustapha genitum; & istud innocenti puero necem acceleravit. A) Addunt alii Bosphoranam invidiæ Roxolanæ suo pariter sanguine litare debuisse. A. C. 1553.

Non ignoro Mustaphæ mortem paulo aliter referri, causamque patratæ cædis, quanto incertior, atque obscurior, tanto avidius, contumaciusque a Scriptoribus investigatam. Bizarus rerum Persicarum Scriptor prodidit: B) Mustapham, cum videret se artibus Roxolanæ peti, & a Patre durius accipi, atque par erat, ad Persam confugisse, c) bellumque, cujus meminimus, inde ortum. Conciliato post aliquot menses Solymano, præfecturæ, dignitatique restitutum, tandem accitum in castra, ut narravimus, interfectum. Hæc adferre, non item asserere libuit; quod multa intercurrant, quæ veritatem elidere videntur. Annales jure persecutus sum, quorum auctoritas mihi semper magni fuit, sine cura reliquorum.

Italiæ portus præsenti anno MDLV. classis Ottomanica oberravit. Hetruriæ imminebat tempestas, sed Mariniani Marchionis, Cæsarei exercitus Ducis providentiæ debebatur, quod quies publica interrupta non fuerit. Portu Herculis, cæso Gallorum præsidio, occupato vires ademit utrique parti, ne se conjungerent. Turcæ tamen Plumbinum oppidum, & Elbam insulam expugnare adorti, nullum operæ pretium tulere. 1555.

Anno proxime superiori, nondum ruptis Solymanum inter, & Ferdinandum induciis, haud levia damma illata sunt Hungariæ a Turcis, tranquillitatem armis recuperare conatis. Pedites Hungari in prædam effusi, non minus hostium, quam Ferdinandi terras evastarunt. Tuigon Budæ Præfectus, qui Aly Eunucho, nuper in numerum Purpuratorum Byzantii adscito, successerat, belli, quam pacis per se avidior, post querimonias, conscriptis decem millibus armatorum Kapos-Ujvarinum, Dersffianæ gentis arcem, quo se prædones receperant, obsidet, & quarto decimo Septembris capit. Mox Korothnam, Babocsam eadem celeritate oppressit, Szigetho non ausus admovere vim, milite, mænibusque munito. At hoc demum anno MDLVI. hostem se Ferdinandi Regis professus Solymanus, populationes agrorum, expugnationes urbium animo hausit; atque in hunc finem Byzantio Asiaticum, Europæumque exercitum in Hungariam misit. Tanto molimini Eunuchum Alym, quem paulo ante commemoravi, præfecit, injuncto gravissimo mandato, ut ne ante Budam, quam Szigetho capto, accederet. Nec dubitaverat homo ferox de armorum successu. Cæsareos Oratores, D) collecto jam milite, Byzantii adit, animoseque denunciat: *profecturum se in Pannoniæ provincias, & non armis, non gladiis; sed clava ferrea, sudibusve præustis sub jugum missurum Hungaros, toties a se victos.* Reposuere illi: *videret, ne superiorum annorum victorias corrumpat: arrogantiæ suæ frenos imponat: nondum Hungarorum virtutem adeo enervatam, ut sclopetis eminus; hastis, frameis cominus inimicos non petant.* 1556.

Eunuchus motis in Hungariam castris, Szigethum E) jam spe devoraverat. Et oppidum quidem ignibus missilibus fœde vastatum intra paucos oppugnationis dies, præsidiariis se in arcem recipientibus, Turcis relictum est. Eo postea vis omnis hostilis conversa. Almum fluvium, qui perpetuis aquarum vectigalibus paludes illas nutrit, in alios campos derivarunt, quo faciliori aditu mænibus arcis appropinquare possent. Hujus alveum, ne intumescentis iram sentirent vicini agri, aggeribus circumscripsit oppidanorum industria. Perfossis, disjectisque, quas annorum plurium labore contra eluviones opposuerant, molibus; fluvium, stagnantesque aquas in late patentes campos emisere. Ducta subinde fossa, eaque prægrandibus tignis tecta, in operarum securitatem, ingentem lignorum vim in valla

A) Annales Turcici. B) L. IX. c) Anno 1549. si quatuor epistolæ, quas de sua legatione Augerius Busbequius conscripsit, præ manibus essent, certiora adferrem. Nam is id temporis Legatum agebat Constantinopoli. D) Verantium, Zajum, Busbequium. E) Szigethum provinciæ Simeghiensis, olim celeberrimum adversus Turcas propugnaculum.

A. C. 1556. valla arcis præcipitant. Jam quinque, & viginti plauſtrorum millia, in comportandis lignis fatigabantur, cum felici aſtu præſidiarii prorumpentes, inſanam ſtruem conjectis ignibus delent, multorumque dierum opus, momento ad cineres redigunt. Hæc inter Thomas Nadasdius Pro-Rex Hungariæ, Babocſam cinxerat. Turcæ ſive ſeditione, ſive metu impulſi, magnam partem diffugiunt, remanente arcis Præfecto cum ſua equitum ala, & paucis peditibus.

Eunuchus Babocſam periculo erepturus, omiſſa oppugnatione Szigethi, robur peditum, equitum, ducit in Pro-Regem ad obſidium exolvendum, præmiſſo graviori armorum apparatu Quinque-Eccleſias. Vigeſima ſecunda Julii in conſpectum noſtrorum ſe dedit, atque fluvium Rinniam vado ſuperare molitus, a Zrinyio cladem accepit. Ne univerſa acie concurreretur, dies jam in noctem præcipitans, moram poſuit. Poſtero die Nadasdius elato regni vexillo in campum prodit, Turcis avide pugnam arripientibus. Sed intempeſtivæ fortitudinis pœnas dedit Eunuchus; multis e ſuo exercitu deſideratis Szigethum redit, quaſi parta victoria; tandem ſpe capiendæ arcis interciſa, A) in hiberna abiit, Babocſa etiam noſtris dedita.

In Tranſylvania nihilo quietiores erant res Ferdinandi, Iſabella calamo, & ferro repetente provinciam ſuam tanto confidentius, quanto plurium Principum opem ſentiret. Solymanus præ quam cæteri vim intendit. Tranſylvanos Proceres frequentibus literis admonuit, Iſabellam ut quam primum e Sarmatia revocarent, ſeque novo ſacramento obſtringerent ei, pulſis e provincia Germanorum præſidiis; ſecus ſi fecerint, iram in præcipua capita effuſurum ſe minabatur. Et illi partim ſevero, armatoque imperio adacti, partim exteri militis licentia offenſi, partim cupiditate rerum novandarum accenſi, Iſabellæ non jam clam, ſed palam favebant, Mortuo tandem Zaberdino Varadinenſi Præſule, cujus authoritate reſtincta erant Tranſylvanorum ſtudia, vehementius incaluerunt, ac in apertum armorum incendium abierunt. Bebekii, Perenyii, Tarczaius fœderi novo accedentes, primi ad Caſſoviam arma corripiunt, quorum pleroſque Ferdinandus perofficioſe olim habitos, honorumque gradu, imo & cenſu nummorum annuo, & poſſeſſionibus cumulavit. Ferventibus, atque in bellum atrox, & funeſtum æſtuantibus, Solymanus iterum, atque iterum faces admovit, gliſcentemque ſub cineribus factionem inflammavit. Aucti Turcarum copiis, Theodoricum Marcellum, & Wolffgangum Puchanium Ferdinandi Duces levi prælio fundunt, ac caſtris exuunt. Iſabella his cognitis gaudio perfuſa, e proximo Poloniæ oppido in Maramaroſienſem agrum, quo honoris cauſa Melchior Balaſſa obviam iverat, pervenit. Ferdinandus tot bellis feſſus, cum a Solymano inducias haud poſſet ſperare, ni Daciam Iſabellæ, ejuſque filio cederet, juſſit munitiones æquis conditionibus dedi. B)

1557. Iſabella provinciæ ſuæ reddita, ad Temesvarinum, Lippamque præſidia, Georgii opera Ferdinando nuper tradita, ac a Turcis occupata, oculos adjecit. Commodum per eos dies Henrici Galliæ Regis Jacobus Cambrajus Legatus, Byzantio in Tranſylvania aderat, gratulaturus dignitatem recens obtentam. Illa florentiſſimi Principis amicitia nixa, quem apud Solymanum plurimum poſſe non ignorabat, Chriſtophorum Bathorium Byzantium ablegat, ut juncta cum Gallico Oratore induſtria munitiones pupillo conceſſas repeteret. Operam uterque perdidit. NON enim decedunt ſuis, qui invadunt aliena. Cæterum tum Tranſylvani, tum Hungari hoc anno pace fruebantur. At in Illyrico ingens detrimentum acceptum. Alys Bosnenſis, Koſztaniczam, c) Prioratus Auranæ arcem, ex improviſo adortus capit. Hinc crebris procurſionibus vaſtitas regioni illata, ac Chriſtiani in ſervitutem abrepti, de quibus redimendis Nicolaum Zrinyium inter, & Alym adeo impla-

A) Oppugnationem Szigethanam lege ſis apud Iſtvanff. L. XIX. & Sambucum. Wolffgangus Lazius, & Iſtvanff. hoc anno aliquot caſtella Turcis erepta in Pannonia meminere. B) De his copioſe & eleganter more ſuo Iſtvanff. L. XIX. c) Koſztanicza, olim ſacræ Rhodiorum Equitum militiæ inſcripta, Zrinyios Dominos habuit. Fluvius Unna, aliis Huna, e Dalmaticis alpibus ortus, eam in formam inſulæ redigit.

implacabiles iræ exarſerant, ut Zrinyius non aliter, quam ſingulari certamine ſopiendas putaret. Sed Alys capiti ſuo male metuens Byzantium abiit, Ferhate Baſſa provinciæ præfecto. Hic auſpicaturus præfecturam victoria quæſtuoſa, quina armatorum millia in Sclavoniam infudit, adeo adverſa fortuna, ut juxta oppidum Divæ Helenæ conciſus, maximam partem ſuorum deſiderarit.

A. C. 1557.

Gravior tempeſtas Byzantinam aulam hoc anno excepit, quam Roxolana Solymani conjux, & Bajazethes filius collatis conſiliis excivere. E medio ſublatis Muſtapha, atque Ziangire, duo Imperii hæredes, competitoresque ſuperabant Selymus, & Bajazethes. Illum ætas, & Pater; hunc Mater Imperii ſpe alebat, utrumque inſana dominandi libido in mutuum exitium perpulit. Roxolana fruſtra admotis fæmineis artibus, fortunæ rem committendam cenſuit. Muſtapham in amore Janicsarorum vixiſſe, quam optime noverat. Hujus perſonam ſi quis ſuſtineret, ſperabat fore, ut ad primos gratiſſimi Principis rumores miles, populusque concurreret, priſtina ſtudia novo obſequii genere, & gratiam aucupaturus: ipſa deinde uteretur hac manu ad res novandas. Conſilium fortuna adjuvit. Repertus homo projectæ audaciæ quam ſimillimus Muſtaphæ; oris ſpeciem ingens animus, & indoles in arma prona multum commendavit, ut perſonatus Muſtaphas imaginem veri, plane referret. Hunc quid agere, quid moliri debeat probe inſtructum, limites Moldaviæ, Valachiæque petere jubent Roxolana, & Bajazethes, attributo juvenum fidiſſimo manipulo, qui ementitam authoritatem prompta obſequendi voluntate fulcirent. Res belle procedebat. Comites timide, atque occultis ſermonibus, ut vetita ſolent, primum apud vulgus ſpargere: *Muſtapham minime cecidiſſe paterna crudelitate: fuga feliciter manum carnificis evitaſſe; alterum e trivio raptum, & ab amicis ſuppoſitum, furori Imperatorio immolatum. Nempe celeritate vindictæ Solymanum errore lapſum, dum nec ſerio agniti, nec inſpecti, ſimulati Muſtaphæ fauces elidit.* Iſthoc argumentum fabulæ, celerrima fama vulgavit, ad quam ſpectandam, agendamque maximus concurſus, ſive reipſa fidem dederint mendaci rumori, ſive opportunitatem quæſiverint vindicandi Muſtaphæ fata, ſive denique in vaſto Imperio nova cupiverint.

Jam prope exercitus confluxerat arma geſtaturus pro perſonato Principe, ſi quis vim intenderet. Præfecti provinciarum rem trepide Byzantium deferunt; Solymanus fraudem ſubeſſe certus, acriter ignaviam eorum perſtringit: *quid ita fabellam non oppreſſerint, ut primum didita? eam compoſitam ob occultum aliquod conſilium, quo Imperium turbis involvatur. Darent operam, bellicos motus ut antevertant, ad quos excitandos hujusmodi ſermones ſeu de ficto, ſeu vero Muſtapha, apud Janicsaros turbarum cupidos juxta valent. Mittere ſe Pertavem cum numeroſo milite: gratius ſibi nihilominus futurum, ſuis viribus ſi factioſorum res nondum firmatas evertant: ignem nondum validum extinguant.* His monitis accenſi, fidas & ipſi copias educunt, manus conſerunt, factioſos ſua in latibula reprimunt. Muſtaphas tamen, ut vel inde ſe dignum dominatu venditaret popello, pervicaci animo natales ſuos ferro tueri nititur, cives in armorum ſocietatem invitat. Interim Pertaves ſupervenit in ſeditioſos armatus. Tum enimvero omnes fluctuare animo, temeritatem ſuam damnare, ſigna Muſtaphæ deſerere, fugam circumſpicere, ac capeſſere. Muſtaphas cum ſolitudinem circa ſe in dies majorem videret, nec quid ageret, quo fugeret, ſatis intelligeret, conſilii incertus in manus Pertavis traditur. Byzantium raptus nihil celat Solymanum; Roxolanæ, & Bajezethis machinationem prodit; ſtatimque mari merſus cum præcipuis miniſtrorum, fabellam triſti cataſtrophe abſolvit.

At Solymanum acriores curæ mordebant, qua via Bajazethis temerarium facinus corrigeret. Subibat paternum animum ea cogitatio, ſi diſſimulet tantum crimen, impunitate rurſum invitari adoleſcentis animum ad tale quid audendum; ſi pro merito eum plectat, in Roxolanam compari

A. C. 1557. poena animadvertendum. Ad severiora pronior, nescio quid moesti animo volvebat. Sed Roxolana callida non minus, quam potens mariti sui, senile pectus illecebris in mitiorem flexit sententiam. *Bajazethem quidpiam molitum, non quo Patrem Imperio spoliet, sceptrum eripiat, sed qao vitam tueatur. Ottomanicæ leges ita temperatas esse, ut uni fratrum sceptrum porrigant, aliis vitam adimant. Exordia initi principatus fraterno plerumque parricidio notantur. Istud prævertere Bajazethes contendit. Te, ne quid gravius in eum statuas, oro: secus in Bajazethe Roxolanam interimes.*

Veniam extorsit suavior Syren, ea tamen lege, ut ipse Imperatorem adeat. Nec dubitavit se in viam dare Bajazethes a matre monitus, veniæ securus. In aditu paterni hospitii nonnihil turbatur, jussus a militibus gladium ponere; quod tametsi apud Imperatorem perpetuo fieret, tamen conscientia animum everberante, multus in oculis uterque Mustaphas erat; sed Roxolanæ nutibus animosior, paternis manibus osculo impresso, omni metu absolvitur: mox allato, more gentis, nescio quo potu, uterque se proluit, quod fidem præsentibus fecit, Solymanum nihil in speciem egisse. A) Inter has turbas sors iniquior Achomatem sago clariorem, quam toga oppressit. Vir ad summos militiæ honores eluctatus, supremam armorum præfecturam obtinuit, Rustane ea dignitate exuto. Et iste gradus ut summus erat dignitatis, ita & primus ad præcipitium, quo involutus periit. Rustanes eum ut æmulum aversabatur, Roxolana ut Mustaphæ fautorem, Solymanus ut authorem præcipuum seditionis militaris. Horum odio victima cecidit, extincta paulatim gratia, quæ PERRARO in aulis consenescit, tot ictibus exposita, quot æmuli eam malis etiam artibus aucupari amant. In majus consilium accitus, mortis sententiam ab Imperatore latam accipit. Pacato animo, ut fortem virum decuit, neeis sententiam accepit, decessitque amici manu jugulatus.

1558. Non dispari fato vitam clausit Bajazethes biennio post. Hic, dum vixit Roxolana, intra privatam fortunam in sua provincia quietus agebat. Sed UT ÆGRE animus, spe dominationis impulsus, in ordinem redigitur, illa mortem oppetente, rursum res novas moliri occepit. In Selymum fratrem, quem jura naturæ, & paternus favor Imperio parabant, non semel veneno grassatus, cum nefariæ artes non procederent, apertam vim intendit. Solymanus filiorum odia exstincturus, jubet Bajazethem Amasiæ præesse, Selymum Iconio. Et iste quidem voluntati Patris actutum paruit. Ille veteri provincia, multisque nominibus sibi devincta, cedere injuriam interpretatus, non modo negat se imperio staturum, sed etiam solicitatis popularium animis, arma sumpturum sese minatur. Nec intra verba res hæserat. Ad Ancyram B) fraternæ acies constiterant, mutuis obtutibus iram acuentibus. Tum infestis animis, signisque concurrunt. Favit hic æquitati causæ fortuna, & Selymum in patentibus illis campis victorem fecit.

1559. Bajazethes reparaturus vires in Persidem concedit cum quaternis suis filiis exilii comitibus. Solymanus Techmasem continuo pacti fœderis admonet, hortaturque, ne perduellem hospitio excipiat, neve copiis, aut ære, Patris insidiatorem adjuvet. Pollicitationibus ad extremum eo Techmasem impellit, ut captum cum filiis neci addicat. Fecit is perdiligenter, quæ postulaverat Solymanus. Nequa tamen fraus interveniret, Casmines spectatæ fidei minister, Byzantio mittitur in Persiam, in cujus conspectu Bajazethes suis cum prolibus nervo suffocatus, Imperium una, & vitam amisit. Cadavera Sebasten devecta, patrio more terræ mandata sunt. C)

1560. Secundum hæc domestica dissidia ad arma ventum est in Africa. Tripolis olim Melitensium Equitum urbs, Dragutis præcipue opera sub jugum Ottomanorum missa, D) atque victori in præmium fortitudinis data, Christia-

A) Meminit & Justus Lipsius in suis monitis C. V. de fraude, & vi. B) Ancyra urbs minoris Asiæ. Celebrem eam reddidit clades Bajazethi I. illata a Tamerlane anno 1402. ut narravi pag. 4. C) Libitinarius Index Osmanidarum, nomina filiorum Bajazethis prodidit hoc ordine: Omeres, Murates, Selymes, Mahometes. D) Ad annum 1551. ut nuper retuli.

Christianorum classem ab Europa excivit. Melitensium magnus Magister A. C. in omnem occasionem pervigil, mentem, operamque dudum advertit ad 1560. eam, e manibus barbarorum eripiendam; sed rerum status sane quamarctissimus, praeclaris cogitationibus intercessit. Nunc demum pace firmata Hispanum inter, & Gallum, spem firmissimam concepit fore, pristino juri ut redderetur civitas, si junctis viribus Dragutem invaderent Christiani. Et Hispaniarum quidem Rex Philippus II. cujus plurimum interesse videbatur, ut piratas eo praesidio spoliaret, e re fore existimavit, ut omissis aliorum locorum oppugnationibus, Tripoli vis omnis admoveretur, quod fidis nunciis intellexisset, praesidiariorum admodum paucos inesse, & Regulum Maurorum, cujus provinciam Dragutes sibi vectigalem fecit, Christianorum foederi accessurum, quo facilius possessiones paternas de integro reciperet. Verum dum uno, & altero mense, validissima classis partim reflantibus ventis, partim Ducum simultatibus moras nectit, Dragutes Tripolitanae urbi duo millia armatorum injicit. Tripoleos oppugnatione in commodius tempus rejecta, Dux Medinensis Meningem insulam petit. Mauri Turcis immixti, qui praesidio relicti erant, praegrandibus hastis armati, portum defendendum suscipiunt: sed fistulis minoribus adeo scite ab Hispanis, Italisque excepti sunt, ut strage commilitionum perculsi, insulam subdiderint, sacramentumque fidelitatis dixerint, polliciti insuper annuum tributum. Duces collatis inter se sententiis, communi consilio destinant novam arcem insulae imponere; cui si ultima manus accessisset, opus omnibus numeris absolutum ea aetas vidisset. A Rege Philippo Philippopolis dicta, praeter nomen amplissimum, nihil terroris Africae incussit.

Dragutes interim terra, marique festinatis nunciis opem postularat a Byzantina aula, suis copiis diffidens. Classis, quae in belli usus parata stabat in portu Byzantii, Mustaphae Purpurato, cognomento Carae, sive Nigro, commissa, vicesimo die, quo solvit, Africam tenuit. Pialis Vezirii dignitate auctus summae rei praeficitur. Andreas Doria, aliive scientia militari inclyti, percepto rumore adventantis Mustaphae, Medinensem monere, hortari, ut rebus sat prospere gestis militem in commodiorem portum deportari jubeat, ne iis in angustiis deprehensus, a feroci, recentique hoste opprimatur. Satis jam consultum arci praesidio imposito: posse classem liberius agi ad defendendam insulam, quam si in eodem portu obsessa teneatur. Verum Medinensis promptior ad dandum, quam accipiendum consilium, pervicaciter abnuit, pristinam stationem deserere, ne vel in speciem signum timoris Ottomano praeberet. Atque istud totam classem miserabili clade involvit. Mustaphas enim robore navium longe superior, ut primum explicatis velis in conspectum Christianorum, classem advexit, adeo formidolosus est visus, ut plerique de fuga consilium inirent. Sed sagacitate Ducis, omne effugium interceptum erat.

In tanta trepidatione aliud malum ea nocte, quae cladem antecessit, obortum fuit. Adversis ventis quassata navigia, magnam partem in litus impulsa, altius arenae adhaeserunt, quam ut nautarum arte, militumque labore rursus propelli possent. Eo intellecto Mustaphas, spe certae victoriae incensus, dubia adhuc luce, Christianorum classem metu, moeroreque dejectam aggreditur. Paucae triremes ad cursum expeditae, adventu non exspectato, vela dedere in Siciliam; septem, & viginti, cum quatuordecim onerariis quasi per ludum captae, in triumphum abductae sunt. Militum pars ferro, pars pelago hausti, pars vinculis servati, victoriam absolvere. Non facile in Annalibus reperies, leviori impendio hostes vicisse, sive tempus, sive modum, quo pugnatum est, spectes. Verissimum est: NULLO negotio superari corpora, dum eorum animi victi jacent. Dux Medinensis damnata sero pervicacia, Meliten evasit; at ut acerbius cladem sentiret,

ret,

A. C. 1560. ret, filium admodum adoleſcentem eadem tempeſtas rapuit cum præcipuis militum Præfectis. A)

Nondum hic calamitas finem reperit. Muſtaphas cum Piale Vezirio triumphantis more Meningem accedens, caſtris ad novum præſidium poſitis, Dragutem Tripoli evocat cum omnibus copiis. Alvarus Sande, vir invicti roboris, gente Hiſpanus, quina millia armatorum ſub ſignis tenuit, quibus locum contra barbarorum inſultus extreme tuebatur; & ſi fortuna virtutem, melioremque cauſam reſpexiſſet, vincere merebatur. Fervente oppugnatione, varii morbi, ut aſſolet, orti, præſidiarios ad obeunda munia lentiores reddidere; multi fide erga Philippum Regem exuta, ad Dragutem palam defecere. At nihil Hiſpanos magis perterruit, atque Solis ardores iis diebus præter modum intenſi. Fontium ſcaturigines calidioribus ventis ſiccatæ, perennes aquas ſitienti militi denegarunt. Fontes bini, qui ſuperabant, corruptis aquarum venis, ſitim accendere potius, quam reſtinxere. Tot difficultatibus preſſus Alvarus, nondum deditionis nomen admiſit, certus ante glorioſa pro patria morte defungi, quam victor barbarus arcem intraret.

Convocata militum concione, gravi ſermone omnium animos inflammat, ut memores Hiſpani nominis eruptionem in caſtra hoſtium ſe Duce ſuſcipiant: *poſſe Ottomanos ſui ſecuros, vel caſtris exui, vel certe eo adigi, ut ſtationibus ſuis urbi proximis dejecti, caſtra retrahant, liberamque aquationem obſeſſis concedant. Si neutrum ad votum ceſſerit; nihil miſeris reliquum eſſe, quam fractos, fatiſcentesque artus barbarorum furori confodiendos tradant, fuſum toties ſanguinem honeſta morte iterum Chriſtianæ Religioni, ac gloriæ Philippi immolent.* Hæc elocutus nondum albeſcente die, Turcas ſomno obrutos aggreſſus, ingenti clade proſternit, valla caſtrorum occupat, atque exſcindere molitur. Confluentibus barbarorum cohortibus, cum pervicaciter Alvarus ſuos in cuneos obſtantes ducit, utrinque complures cadunt. Sed cum integri feſſis continenti ordine ſuccederent, numeroque ſuperiores dimicarent in paucos, vulneribus partim, partim pugnandi æſtu laſſati Hiſpani, in portum vicinum contendunt. Hic rurſum acrius inſtitit hoſtis, manipulumque ægre jam ſuſtinentem certamen, in fugam agit. Alvarus ſe cum paucis comitibus ad triremes Chriſtianorum recipit, alii palantes arcem metu, mœroreque confuſam repetunt.

Qui cladem evaſerant, rati Alvarum in pugna periiſſe, cum præcipuis Centurionibus, cum nulla ſpes auxiliarium copiarum ab Europa foret, & ſitis in dies ingraveſceret, vexillo candidi coloris ſignum deditionis edidere. B) Inſolita voluptate perfuſus Muſtaphas, conditiones, quas victi petiere ratas habuit. Sed fidei datæ immemor homo prætumidus, omnes ſervituti addixit. Alvarus fruſtra e triremibus depugnans, non uno vulnere perſtrictus Byzantium eſt raptus. Exeunte ſeptembri Turcica claſſis in patriam reverſa, navalem triumphum celebrare eſt viſa. Triremes aliquot circa prætoriam, qua Pialis, & Muſtaphas, navali, terreſtrique victoria feroces vehebantur, expanſis late velis fluitabant. Has pone ſequebantur Chriſtianorum triremes quatuor ſuper viginti, cum totidem navigiis variæ formæ. His inerant primarii Ductores cum quaternis millibus captivorum. Alvarus non minus adverſam, ac proſperam fortunam, perferre doctus, ingentem animum oris habitu conſtanter præſetulit, omniumque oculos in ſe converſos miro ſpectaculo detinuit. Ipſi milites vinculis conſtricti, non ſupplici vultu, ſed triſtes, & truces, & adverſum plauſus, & laſciviam inſultantis vulgi immobiles. Agmen clauſerunt cæteræ naves Ottomanicæ.

Atque

A) Brietius cladem his verbis deſcribit: „ Tripolitana expeditio peſſime ceſſit. Datum enim tempus expediendæ Turcicæ claſſi, quæ Ducibus Piali & Muſtapha, claſſem Chriſtianam oppreſſit, duodeviginti millia Chriſtianorum perdidit, & triremes XXVIII. onerarias XIV. cum multis minoribus navigiis. Fugere turpiter Chriſtiani Duces, capta arx Gerbenſis, Turcæ de noſtra calamitate triumpharunt. „ B) Meningem ab Hiſpanis captam die XVI. Maii anno MDLX. recuperavit hoſtis anno eodem, die XIII. Aprilis, teſte Daniele Hartnacco in Conſpectu Bellorum Turc.

Atque hac pompa portum Byzantinum victores invecti, inter gestientis populi clamores, Mahometi Prophetæ vota persolverunt. Solymanus jam inde a morte Roxolanæ conjugis tristior, visa post hominum memoriam nobilissimam victoria, severo, immotoque vultu triumphantem classem accepit, A) quasi ad se victoria minime pertineret. Et hunc morem, quoad vixit, perpetuo retinuit. Quin imo tam alte pectus senile mœror insedit, ut omni hilaritate interdixerit sibi, exoletorum gregem aula ejecerit, pellicum turbam Purpuratis donarit. Nihil in deliciis numerabat, quam templa adire, æs, stipem petentibus large erogare. Et istud inprimis occasione triumphi navalis Byzantii palam fecit. Quippe præter supplicationes, votaque Mahometi facta, ingentem vim numorum in pauperes, qui nunquam non incolunt amplissimas urbes, liberali manu profudit.

A. C. 1560.

Verum non ita se abripi sivit magnitudine mœroris, Imperii salutem ut negligeret, aut armorum oblivisceretur. Moldavia jam tum temporis Turcis obnoxia, curas intendit. Jacobus quidam gente Græcus, cognomento Heraclides, Sami, Parique insularum B) Dominum se ferebat, & quod perquam familiare Græcis hominibus, a Comnenis, Cantacusenis, Palæologis splendida magis, quam sincera narratione natales suos deducere contendit. Hic pervagatus Europæ aulas, in Moldaviam delatus, in familiaritatem, necessitudinemque Alexandri Vajvodæ callide irrepsit; mentitus propinquitatem sanguinis cum uxore Roxanda e clara, & illustri Despotarum Domo prognata. Nondum vertente anno, clam consilia agitabat de tollendo Alexandro, qui Moldavorum odio ardebat ob insignem tyrannidem. Ea machinatio suspiciosum Principem diu latere haud potuit. Heraclides solum vertere coactus, ad Joannem Sigismundum, Joannis Zapolii Regis filium, Transsylvaniæ Principem, se primum contulit, dein ad Albertum Laskum, Palatinum Siradiensem, a quo milite adjutus Alexandro bellum intulit. Sed temere commisso prælio profligatus fuit.

1561.

Novis subinde copiis instructus a Rege Ferdinando, auspiciis Antonii Szekelii, quinque, & viginti millia Turcarum, & Moldavorum, qui Alexandri signa sequebantur, fudit, & cæcidit. Alexander æmuli fortunam veritus, Byzantium fugit rebus suis accisis medelam quæsiturus. Egit apud Solymanum, veterem Patronum suum, causam a fortuna desertam gnaviter; utque verbosa est calamitas, adeo pro domo sua strenue in secretiori senatu dixit, ut Græciæ equitum Magistro mandatum fuerit, Alexandrum sine mora avitæ provinciæ reponeret: ex ejus consilio bellum administraret: elatos denique animos Heraclidis pro facultate infringeret. Et jam belli tempestas novo Principi imminebat, cum Byzantii adfuere Legati cum muneribus pacem orantes. Spondebant hi Heraclidem in potestate Solymani, quoad provinciam gubernabit, semper futurum, fidem incorruptam constanter observaturum, ac annuum vectigal denis aureorum millibus quotannis aucturum. Mirum dictu! quantopere aureo hoc vinculo Solymanum, Purpuratosque sibi devinxerit. Nullus jam erat in aula Alexander: recte fecisse Heraclidem omnium sententia erat, quod hominem sola crudelitate, atque avaritia notum, dominatu dejecerit; revocandum equitum Magistrum, ne iniquissimo bello nomini Ottomanico labem inurat. TANTUM aureus fulgor apud avaros potest, ut ea facile perfringas auro, quo gladius non pertingit. c) Itaque redire jusso exercitu, Solymanus vexillum, gladium, clavam auro, argentoque expicta Heraclidi, in amicitiæ tesseram, ac principatus confirmationem per Chausios mittit, quibus acceptis nihil a tyrannide alienum egit.

In Africa Regulus Algerii, clade Hispanorum ad Meningem accepta, audacior, Oranum terra, marique oppugnatum ibat, cui Dragutes, quietis osor acerrimus, marinas copias conjunxit. Munimentum saxeis operi-

1563.

bus

A) Busbequius in suis epistolis laudatus a nostro P. Samuele Timon. B) Samos, & Paros insulæ maris Ægei. c) Nempe: Argenteis hastis confligito, & omnia vinces; ut auctor est Principibus DEUS Pythius.

A. C. bus cinctum, quo stante Oranum hostium conatus eludere potuit, adorti, 1563. post acrem oppugnationem ceperunt. Arctius exinde præsidium occludentes, spem non dubiam habuere illius occupandi ante, quam Garsias Toletanus cum veteranis legionibus appropinquaret. Sed Garsias summa celeritate usus spem de improviso abrupit. Quippe Philippus Rex, vindicaturus nuperam cladem Hispanæ classis, multo validiorem, partim suo ære, partim aliorum Principum liberalitate ornavit, eamque rebus omnibus apprime instructam, in Africam cursum maturare jussit.

1564. Dragutes intellecto per exploratores, Ducem Hispanorum recta tendere Oranum versus, conclamatis trepide vasis, una cum Regulo se in tutiora recepit, nullo certamine tentato. Fuga hostium, dici non potest, quantopere Christianorum animos exacuerit. Toletanus militum ardore usurus, Veliæ A) Rupi, sive Penolio classem applicat. Muniverant hoc præsidium piratæ eximiis operibus, illudque tanquam communem Algerianæ provinciæ prædarum, armorumque sedem delegerant. Ex eo frequentes fiebant procursiones in præternavigantes maxime Hispanos, quos præ cæteris gentibus ob vicinitatem æternis odiis prosequebantur. Huc omnia spolia, mari capta, velut in tutissimum locum comportabantur. Unum neglexere barbari, quod eo temporis sufficientem militem non imposuerint, decepti egregia munitione loci, & quod Hispanos nihil ausuros in Africa armata putarent. Toletanus inspecto propius loco, unice terrore machinarum, si prompti manum operi admoverent, subigi posse existimavit; & revera celeritate opus fuit, ne videlicet præsidiarii depulso primo terrore, Dragutis pollicitationibus animati, pervicaci defensione repugnarent. Itaque militum Præfecti, ingenti alacritate descensione facta, munia sua strenue juxta, ac celeriter aggressi, tantum formidinis hostibus injecere, continenti majorum pilarum jaculatione, ut plerique timore concussi, tenebris fugam celantibus, præsidium, sociosque destituerint. Enituit præprimis in hac non tam operosa, quam celebri oppugnatione Chiapini Vitellii castrorum Magistri virtus, ac singularis cum Turcis dimicandi dexteritas, quem longo annorum usu Mars Ottomanicus exercuit, Chairadine Italiam urente.

Nam cum is maritimam Senensium oram rapinis, ac cædibus deformaret, in eum propere immissus a Cosmo Florentinorum Duce, Orbitellum, cui superbus incenso Herculis portu imminebat, non modo, desperata ab aliis defensione, defendit ipse, sed toto Ottomanos litore propulsos ad mare, Etruriam deserere coegit. His talibus adversus Turcas jam olim editis, plurimum contulisse visus est ad plenam victoriam; aliosque tum voce, tum exemplo accendit. Sanctius Leva, Osorius, qui globo tormenti ictus corruit, non minorem operam locarunt, uterque bellica disciplina in eadem arena cum Vitellio eruditus. Horum fervore, oppugnandæ munitioni impenso, Ottomani, & Mauri, qui fugæ dedecus honesta morte redimere cupivere, tandem animo fracti, Hispanorum dominatui se subjecerunt. Erectis iterum, quæ tormentorum vi dejecerant, propugnaculis in patriam cogitabant, cum repente ex omnibus partibus subsidiariæ copiæ effunduntur. Hispani recenti victoria elati, ferrum hostili sanguine etiamnum calens, in novam victoriam expediunt, & commisso tumultuarie prælio prope classem (nam eo audacia provecti sunt barbari) victos jam ante in commilitonibus, trucidatis sexcentis iterum in avios saltus repellunt. B)

1565. Res tam belle fluentes in Africa, quantum lætitiæ Philippo Regi attulerunt, tantum mœroris, iræque Solymano. Non enim futurum existimavit, ut classe Christianorum turpiter profligata, Ducibus partim trucidatis, partim in triumphum Byzantium abreptis, Hispani quidpiam molirentur in debellata regione, nedum victoriam, firmissimo munimento expugnato, meterent. Itaque doloris impatiens, quo prosperum rerum cursum turbaret, exercitum ex Asia, Europaque collectum, quem in Transylva-

A) Velia Rupes, Hispanis Pennon, & Pegnon, munimentum fortissimum scopulis impositum. B) Annales Turcarum.

ſylvaniam Joanni Sigismundo, illius provinciæ Regulo, mittere decreverat, mutato repente conſilio, in Africanam expeditionem deſtinat; eo promtiori animo, quod Chaſanes, Barbaroſſæ filius, Algerii Dominus, & Dragutes, Tripolitanus Princeps, auxilia flagitarent adverſus Hiſpanos, quorum veteranas legiones e Belgio eductas vehementer reformidabant. Quanquam tota hæc, quæ ſecuta eſt, belli tempeſtas in Equites Melitenſes detonuerit, ut jam narrabimus.

A. C. 1565.

Perutilem operam ſuperioribus annis impenderunt iſti contra barbaros in Aſia, atque Africa, libertatisque Chriſtianæ vindices non labori, non ſanguini pepercerunt, quo Turcarum maxime progreſſus inhiberent. Palæſtina, & Rhodo ejecti, a Carolo V. Melitam inſulam poſſidendam accepere, quam magnus Magiſter Ordinis pro imperio gubernat. In hunc modum longa annorum ſerie, varia felicitate bella geſta, utramque partem adeo ſævis, inveteratisque odiis accenderunt, ut in mutuum excidium conſpiraſſe hoc tandem anno videri potuerint. Haud diu anceps hæſerat Solymanus, quosnam Duces huic Africanæ expeditioni, non minus periculi, quam gloriæ plenæ præficeret. Pialis, atque Muſtaphas navali, muralique corona cincti in omnium oculis, recentique victoriæ memoria verſabantur, veteres militiæ, & ad aſperiora ſuapte natura proni. Poſthabitis multis in hanc ſpem erectis, Piali armorum præfecturam, claſſemque tradit; Muſtapha pedeſtribus copiis præeſſe juſſo. Uterque prompto animo, alacrique provinciam iniit. Et Pialis acceptis Muſtaphæ militibus in navigia ad Methonen, cum ducentis quinquaginta navibus confidenter in Melitam appulit, ratus ſibi omnia ad votum ceſſura, ut nuper ad Meningem. Dragutes in communionem gloriæ accitus, cum Chaſane ſeptem, & viginti triremes omni apparatu bellico, ac Mauritana juventute armatas adduxit.

Menſe Junio oppugnari cœpta inſula, Pialem pene in ultimam deſperationem conjecit, quod firmiora Melitæ munimenta animadverteret, ac fama, quæ plerumque hoſtium vires elevat, accepiſſet; queſtus præterea peracerbe, quod æmulorum invidia multis partibus inferiorem exercitum haberet, quam reipſa opus foret ad inſulam, arte, naturaque loci permunitam expugnandam. Sed Muſtaphæ, Dragutisque ſententia meliora ſperare juſſus animum recepit, atque arcem Divi Hermetis, ſive Elmi A) in oſtio portus ſitam omnibus viribus urgere incepit. Nondum totmentis mœnia arcis verberabantur, cum Turcæ inconſulte feroces, impetu magis, quam conſilio ſcalas admovent, aditum undique moliuntur. Fortunam nimium adverſam ſuo merito experti, propugnantium virtute in caſtra pulſi ſunt cum ingenti ſtrage. Coacti itaque ſuo malo aggeres erigere, duabus, & triginta machinis caſtrenſibus propugnacula quatiunt. Muſtaphas, & Dragutes Janicsarorum robore ſuccincti, in ruinas continuo eluctantur.

Joannes Valettanus, aliis Valetta Pariſotus magnus Ordinis Magiſter inprimis huic arci cum delecta militum manu ſuccurrit. Acre certamen exoritur, utraque parte pervicaciter victoriam morante. Favit rurſum Melitenſibus fortuna: Turcæ amiſſis quaternis millibus, caſtra repetierunt. Succenſus Dragutes ignominia, iterum in ruinas ſuorum ſanguine adhuc madentes enititur, & dum generoſi militis potius, quam Ducis munia mutuas inter cædes fortiſſime obit, immani vulnere in capite accepto, ſemivivus ad claſſem defertur, ubi biduo poſt incredibili dolore totius exercitus vivere deſiit.

Hic exitus fuit celeberrimi Dragutis, qui tenuibus initiis maria infeſtans, maximus piratarum evaſit, plerumque ſecunda fortuna uſus. Annales Turcici ob res terra, marique geſtas, hominem præcipuis ævi ſui armorum Præfectis haud verentur anteponere. Longo armorum uſu, ac diſciplina Chairadinis multum exercitus, omnes Imperatorias artes tenuit. Miles hoc Duce nullum hoſtem expavit, & plerumque victor. Unde mors, inſo-

A) Arx Hermetis in inſula e regione Melites eſt poſita. Vide civitates Orbis terrarum, ubi Melitam ſuis cum munimentis expictam habes L. I. N. 50.

A. C. 1565. insolita commiseratione, luctuque exercitus accepta est. Raro milites effusiore virtutum commemoratione deflevere Ducem; quasi cum eodem omnis scientia militaris jam elata foret. Quo vero loco apud Solymanum fuerit, vel istud argumento esse potest, quod ipsos Vezirios in Africam missos, omnia e consilio Dragutis agere jusserit. Adeo militaris scientia, & inveteratum erga Christianos odium Archipiratam commendabant. Tripolitanus Regulus Imperatoris favore renunciatus, novo officiorum genere demereri gratiam perpetuo contendit. Ad extremum judicio lapsus videri potuit ad Melitam, quod in fronte copiarum conspicuus, intempestivo æstu abreptus, militem induerit, manuque potius, quam consilio in arcem aditum quæsiverit, & fortunam cohortium, quas in assultum duxit, suo fato præcipitarit.

Cæso Dragute, nondum Turcæ spe capiendæ arcis dejecti sunt. Universam classem propius arci admovent, pontesque construunt e prægrandibus antennis, tignisque, ut non interrupta serie invadentium, laborantibus integri succedere, firmoque pede cum præsidiariis decertare possent. Nono Calen. Quint. intempestæ noctis silentio, arcem mænibus nudatam, terra, marique ferocissime aggrediuntur, rati somno oppressos facilius vinci posse, quam luce palam pro focis, & aris perdiligenter excubantes. Sed RARO in utramque dormiunt aurem, qui hostem præ foribus vident. Valettanus viso Turcarum apparatu, arcis ruinas virorum robore munit, utque magis repentina, quam improvisa nocturna invasio esset, sua indefessa in rebus agendis cura efficit. Itaque armati telis hostem excipiunt, ac ubi gradientium murmur audiunt, eo tempestatem ferream effundunt, atque incertis ictibus, tenebris prospectum præpedientibus, obvios sternunt. Tum vero clamores se mutuo hortantium dissoni, casus incerti, neque feriendi, neque declinandi providentia. Ubi gtavior obortus strepitus, illuc circumagere corpora, tendere machinas, cæcis ictibus ferire, nihil prodesse virtus, & ignavorum sæpe telis fortissimi cadere. Nec finem labori, periculisque nox attulit.

Appetente die solito atrocius certamen exarsit, postquam tela, mutua in vulnera directa aberrare non potuere, adeo sibi vicini, ut ad manus deventum fuerit. In altum meridiem extracta pugna, Melitenses labore, nimioque æstu lassatos fortuna deseruit. Cum enim in locum pugnæ viribus integri convolarent Turcæ, præsidiariis vero omni parte cinctis, auxiliares copiæ submitti non possent, arce tandem trigesimo die post, quam cœpta est obsideri, potiti sunt a defensoribus minime deserta. In qua quidquid ira, & avaritia in summa armorum licentia persuadent, id inimica, & victa in arce, per cædes, & rapinas agitarunt. Qui vivi in hostium potestatem venere, ii crudeles manus satis, superque sunt experti. Humi præcipitati, ima pectoris ferro diffindi, ac cor evelli senserunt; sicque spirantes purpurei coloris indumentis ornati, cum candido Crucis signo, ludibrio nimium barbaro habiti, spectaculo publico exponebantur. Satietate crudelitatis capti, amputatis capitibus in mare corpora devolverunt. Vicem reddidere Melitenses longe tamen modestius. Quotquot Turcarum in vinculis habebantur Melitæ, in forum producti ab immissis militibus, telis figuntur, capitaque cervicibus avulsa in hostium castra projecta sunt. Adeo non minus jam fortitudine, quam crudeli vindictæ genere certatum fuit. Porro expugnatio arcis promptissimos Melitensium hausit. Trecentos super mille in suprema pugna cecidisse mire consentiunt Scriptores; e quibus nobilissimi Equites dicuntur fuisse triginta, & centum. At longe major numerus ferro peremptorum hostium fuerit, quandoquidem omnes se strenue defenderint ad extremos spiritus. A)

Valetta-

A) Brietius ad præsentem annum suis Annalibus inseruit: „ Principio oppugnata est arx S. Hermetis, expugnata post XXIV. dies, duodeviginti globorum millibus in eam collibratis. In ea cæsi MCC. Christiani, & CX. Equites, qui vulnerati, etiam ex sedibus ad mortem usque repugnarunt. Periere tamen supra quatuor Turcarum millia, & omnium instar Dragutes, quem duabus Melitis Solymanus redemisset. Nec tamen Parisotus hac clade demisit animos. „

Valettanus dissimulato, quem ex arce Hermetis capta acceperat, dolore, cætera propugnacula militibus defendenda commendavit, & Toletanum Garsiam, de obsessorum periculo certiorem fecit. Is quatuor triremes, partim ære conductis militibus, partim Equitibus Ordinis instructas, opportunum sane subsidium in tantis rerum angustiis, in insulam felici astu submittit; qui continuo, impetrata ab Ordinis Magistro potestate, propugnaculum S. Michaelis, quod aggressuri videbantur barbari, tuendum sumpserunt mira omnium consensione. Neque secus, ac opinati sunt, res evenit. Septuaginta tormentis S. Michaelis munimenta, ac arcem, dies, noctesque nullo concesso præsidiariis otio diruunt. Regulus Algerii nondum patefacto tormentorum ictibus aditu, moræ omnis impatiens, assultu uno longioris oppugnationis tædia sufferri posse existimavit. Quamobrem Pialis venia, cum suis copiis, ac binis Turcarum millibus primus S. Michaelis propugnacula invasit.

A. C. 1565.

Valettanus a Philippo Lascare, Patris oriundo, de hostium conatu condocefactus, ferrea catena portus quamcelerrime munit. Tentarunt quidem vincula perrumpere semel, atque iterum, sed Melitensium machinis triremes duodenæ perforatæ, cum duobus millibus armatorum in omnium conspectu absorptæ fuere. Regulus a maritima oppugnatione deterritus, terrestrem adornat, infelici successu. Plerique præcipitis consilii temeritatem funestissima morte luerunt. Neque cuniculi, neque suffossiones feliciorem exitum habuere. A rei tormentariæ Magistris, summa industria adversis operibus occursum fuit, dierumque plurium labore, momento temporis corrupto, trucidatisque, qui in subterraneis fossionibus deprehensi. Enituit in hoc genere pugnandi, Signiferi Melitensis virtus, qui sola virtute, & hasta armatus fossam ingressus, Turcas in fugam egit, atque ob singulare hoc facinus a Valettano torque aureo donatus, commilitonum animos non mediocriter ad paria audenda incitavit.

Eodem tempore primariam arcem, sive Burgum, insanis molitionibus divexarunt barbari. Inprimis ad explendas arcis fossas, & valla animum adjecere, labore longe difficillimo, tum ob eorum latitudinem, defensorumque solertiam; tum quod longe petenda foret materia. Quippe insula nullas sylvas, cæterum satis fæcunda alit. Adæquatis improbo labore fossis, operi pontes celeriter injiciunt, quo consertis ad mænia manibus, firmiori gradu consisterent, locoque æquiore cum Melitensibus pugnarent. Improspere magis, quam animose tentata impressio, sæpiusque repulsi, conatus suos damnarunt. Pialis animadverso perdifficiles aditus in arcem esse, mænibus nondum plane detersis; tribus grandioris formæ tormentis, quæ ducentarum librarum globus vomebant, e parte Castiliæ muros pulsari, ac ignivomis pilis oppidum infestari jubet. Paucos intra dies ingenti hiatu mænia procubuere. Quo viso rursum Ottomani spe victoriæ calentes, cruentum certamen ineunt. Melitenses pristina virtute in ferocientes depugnant, certi non decedere statione quoad vires, & vita suppeterent. Adolescentes, matronæque ultra ætatem, sexumque progressæ, in hoc certamine utilem operam posuerunt, sive dum tela, irasque administrarent armatis, sive dum lapidum vim in subeuntes effunderent. Adeo LIBERTATIS amor sexum etiam imbellem ad arma gerenda pertrahere solet.

Vix repulso hoste paululum respiratum est, cum Turcæ silenti agmine e regione Castiliæ arcem ingressi, improviso locum permunitum capiunt. Valettanus hoc nuncio perculsus, sumpto propere Equitum manipulo, eos intra mænia tanta celeritate adortus est, ut nemo eorum cædem effugerit; reliqui, qui nondum stationem tenuerunt, in castra sese trepide receperint. Placuit nihilominus Mustaphæ, de integro omnibus viribus impressionem in semirutam arcem suscipere, quæ ut majori copiarum numero tentata, ita fœdiori hostium clade terminata fuit. Dum in hunc modum Valettanus domi ad insulam tuendam omni conatu totus incumbit, Garsias Toletanus, Siciliæ Pro-Rex, duabus, ac septuaginta navibus comparatis, Melitensibus serius,

A. C. 1565. ac oportebat, A) suppetias tulit. Et istud demum Piali, Mustaphæque mentem injecit, ut obsidione soluta exercitum, bellico labore exhaustum, Byzantium deportarent. B) Itaque quatuor mensibus ad Melitam consumptis, desideratis tribus supra viginti millibus armatorum; e Christianis quinque millibus, emissis in arcis munimenta septuaginta octo globorum millibus, classis ingloria turpissimam fugam arripuit, ac Solymani jussu sine pompa, nocturno tempore portum invecta, Constantinopolim non mediocri dolore affecit. Hæc est illa celeberrima oppugnatio Melitensis insulæ, qua Equitum fama Europæ provincias secundo rumore pervagata, clarissimo Ordini immortale nomen, Italiæ, Siciliæ quietem peperit. Quod si Melita hac acerrima oppugnatione cecidisset, pronum fuisset Turcis, dominatum in Italiam porrigere. Jam in Pannoniam revertendum est.

Reversi exeunte Octobri c) in patriam Antonius Verantius, & Franciscus Zajus e Byzantina legatione, spem induciarum attulerunt, sed eam evertit Hamsa Æthiops Strigonii post Toigonem Præfectus, qui arcem Tattam negligentius, ac tempora illa exigebant, custoditam de improviso intercepit. D) Repetiit eam Rex Ferdinandus, misso Legato Alberto de Viis, qui trajecto mari secutus Solymanum in Asiam, frustra oleum, operamque perdidit; etsi ad emolliendum Imperatoris animum, scyphos auro illusos cum horologio affabre elaborato, inspectante, ut volebat, utroque exercitu obtulisset, ac non avara manu inter Purpuratos pecuniam sparsisset. Exemplo Hamsæ provocatus Veligianes, Fülekini Gubernator, oppidum Szikszoviense, per summam armorum licentiam depopulatus est. Redeuntem cum ingenti præda assecutus Telekessius, Marte superior fudit, fugavitque, & magnam partem in Sajonem fluvium, præaltis ripis, & aquarum vorticibus iis diebus tumidum, præcipitem egit. E quinque hostium millibus, vix quadringenti cladem evaserant. Veligianes ob provinciam infeliciter administratam dignitate motus, cum Byzantii apud Solymanum incassum se purgare nititur, supplicium imminens anteversurus, voluntariam mortem veneno, quod ad extremos usus paratum habuit, hausto subivit.

Inter hæc Joannes Sigismundus Transylvaniæ Princeps, vehementer offensus quorundam suorum Procerum defectione ad Ferdinandum, gravissimam tempestatem concivisset Byzantii, nisi Alys Eunuchus, senatus Turcici Princeps, Purpuratorum animos mitigasset dictitans: *paucorum hominum secessionem silentio transmittendam, nec Solymanum morte conjugis diuturno luctu obsitum interpellandum.* E) Biennio tamen post, Solymanus ad Ferdinandum Pragæ morantem, Mehemetem Chausium misit expostulatum, quod Proceres (erant illi Melchior Balassa, & Nicolaus Bathorius) Joannis Sigismundi, ingentibus promissis ad defectionem sollicitarit, cum non levi Transylvanicæ ditionis jactura; quodve adversus Alexandrum Moldavum clientem suum, Heraclidi auxilia præstiterit. *Hæc talia,* ajebat, *haud obscure prodere, quantopere Cæsar otium armorum aversaretur, novumque bellum ex ejusmodi scintillis conflare meditaretur.* Reposuit Ferdinandus: *Bathorium, & Balassam nullis muneribus delinitos, fecisse quod bonorum civium erat: milites vero nullo accepto imperio Centurionum, spe prædarum incitatos, Heraclidi operam navasse contra Moldaviæ Regulum, Isthoc sibi vitio minime dandum, cum & Turcæ inscio Imperatore suo, provincias Hungariæ incursent, arces insideant, prædas abigant; se tamen non arguere, aut inducias rupisse, aut bellum quærere Solymanum.* Hoc responso instructus, muneribusque ornatus Mehemetes, Byzantium redux Imperatorem placavit.

At

A) Brietius ait: „ Garsias ob præposteram cunctationem exauthoratus, in suis ædibus consenescens, errati sui, vel Principis pœnas luit diuturnas. „ B) Annales Turcici. C) Anno 1557. Hac legatione videtur Anton. Verantius Quinque-Ecclesiensis, deinde Strigon. Archi-Episcopus, attulisse Historiam Turcarum, passimque Codex Verantianus appellatur. Res illius pro Religione, pro patria præclare gestas continenti narratione prosecutus sum in Archi-Episcopis Strigoniensibus, Tyrnaviæ editis anno MDCCLII. & MDCCLVIII. D) Anno 1558. Istvanff. L. XX. E) Anno 1560.

At non propterea arcium Præfecti quietem concessere Transylvaniæ, Hungariæque, quos Joannes Sigismundus anno MDLXII. in sui auxilium arcessivit, præcipue Ibrahimum, cognomento Juniorem, Budæ Præfectum, cui magnifica legatione non vulgaris pretii munera transmisit, tantumque apud avarum potuit, ut contra inducias, justum pene exercitum in Ferdinandeos Duces moverit. Prope Ecsedinum cum iis congressus, quinque millia in fugam vertit, A) subinde Szattmarinum obsedit eo ardentius, quod Melchior Balassa, oppido inclusus teneretur. Ut præsenti periculo eximeret fratrem, Joannes Balassa Montanarum urbium Præfectus, haud inglorius militia, Szecsenium corona circumdat. Verum ab Hassane depulsus, accepta clade iter relegit. Hanc Nicolaus Zrinyius Szigethi Præfectus non multo post feliciter rependit, cæsis ad internecionem Arslanis, Bosniæ Præfecti, copiis, quæ excubabant, cum nova munitio ad prohibendas nostrorum incursiones apud montem Claudium excitaretur. Interim Ibrahimus inopia rerum omnium conflictatus, militem Budam reducit, ubi sæviente pestifera lue correptus, provinciam Arslani, cujus nunc meminimus, reliquit. B)

A. C. 1565.

Dum hæc in Hungaria geruntur, & Ferdinandus, & Solymanus a se belli, si quod apertum sequeretur, amoliri causas, & odia conabantur, atque ideo reconciliationis curam, aut curæ speciem non omittebant, adnitentibus ante omnes Busbequio, & Eunucho Purpurato. In id vero operosius intendebat Busbequius, quippe bene gnarus, Ferdinandum qualemcunque pacem præ bello optare cum potentissimo hoste. Eam tandem singulari sua industria confecit, postquam octennium fere Byzantii transegit. Ut primum conditiones fœderis intellexit, in viam se dedit, relicto apud Solymanum Alberto de Viis, qui Oratoris Cæsarei munere fungeretur. Ibrahimus Dragomanus e Polonia oriundus, jussu Imperatoris comes itineris additus, Francofurtum adiit, & pompam, qua Maximilianus Rex Romanorum inaugurabatur, spectavit. Admissus ad Ferdinandum in consessu Electorum, Principumque Imperii, more Turcarum, pauca præfatus, suo, Alysque Eunuchi Purpurati nomine munera exhibuit, quæ non tam pretium, quam raritatem spirabant, nempe bina camelorum paria, binos tapetes Persici operis, binos item crateres Onychinos; & liquorem sinceri Balsami. Diploma deinde, quo octo annorum pax continebatur, Arabicis literis exaratum Imperatori tradidit, cujus hæc summa erat: *induciæ octennales sunto: triginta quotannis aureorum millia Constantinopolim, earum redimendarum causa mittuntor, Joannes Sigismundus in eis comprehenditor, Nicolao Bathorio, & Melchiori Balassio, quod ad Ferdinandum transissent, fraudi nequaquam esto.* C) Pax isthæc dum Ferdinandus in vivis agebat, inconcussa permansit.

Sed eo vita functo, D) Maximilianus regnorum, ac paternarum virtutum hæres, incertus animi, rectene faceret, an secus, si pacem, ut nonnulli interpretabantur, Germano, Hungaroque nomini probrosam rescinderet, frequentem senatum Procerum utriusque nationis coegerat, singulorum sententias de re gravissima percepturus. Crebrioribus enim nunciis interpellatus est ab Arslane Budensium Præfecto, pactisne stare vellet cum Ferdinando initis, an potius bellum mallet? quod cum sæpius quæreret innata genti Turcicæ superbia, haud dubium, quin alte pupugerint Maximilianum dignitatis tenacissimum suæ, quam intelligebat minoris fieri, cum apud hostes, tum suos, si excussa armorum opinione, sponte sua amplecteretur pacem Christianæ rei admodum noxiam.

Porro interesse deliberationi Rex voluit, ut utramque nationem præsentia sua moderaretur. Complures spectatæ fidei Senatores pacem præferendam dictitabant. Unus potissimum Nicolaus Zrinyius, vetus militiæ, & multarum palmarum sine invidia Dux, quo nemo ducendis exercitibus peri-

A) Anno 1562. B) Istvanff. L. XXI. C) Conditiones pacis Joannes Spiegelus Ferdinandi interpres in latinum transtulit, & Istvanffius mutuatus est L. & anno nominato. D) Anno 1564.

A. C. 1565. peritior habebatur, pronus ad aſperiora, arma contendebat; ea de Turcarum, Chriſtianorumque potentia, deque expeditione in hoſtem communem ſuſcipienda, ſcite, partiteque ſuperaddens, quæ vetus a vigeſimo, & altero ætatis anno militum Duꝏor, in eo Procerum cætu præ aliis diſceptare potuit. A) Nondum, cui parti acceſſurus eſſet Maximilianus, conſtabat, cum ecce! Sabanus caput, barbamque canus, nobilium Chauſiorum Budenſium Præfectus, literas ſui Imperatoris attulit, quibus Ferdinandi obitum, permoleſtum ſibi accidiſſe ſignificavit, precatus, ut animam illius DEUS Opt. Max. deterſis culpis cœlo recipiat; tum ſe pacem nuper ictam ſervaturum promiſit, modo eam Maximilianus ratam habeat. Reſpondit Sabano Cæſar: ſibi cordi futuras conditiones fœderis, miſſurumque ſe brevi Solymano munera. Eadem ut nunciaret Byzantium, Bartholomæo Ornæo Comaromii verſanti, in mandatis dedit.

Cum in hunc modum res Pannonicæ in tranquillo ſtatu viderentur eſſe, repente violata per Dacos pace, apertum bellum erupit, eo quidem funeſtius, quo præter opinionem celerius Hungariam corripuit. Cæſar etſi non parum a belli conſiliis abhorreret, inexpectatæ tamen injuriæ dolore exacerbatus, ferro vindicare deſtinat, illata ſuæ ditioni detrimenta. Inter hæc civilia quodammodo arma, Turcæ prædandi ſtudio, Joanni Sigismundo opem perpetuo tulerunt. Maximilianus ut ſibi devinciret Solymanum, Turcasque ab armorum ſocietate divelleret, Legatos Byzantium B) expedivit, qui trium annorum munus deferrent Imperatori, & Purpuratis, quorum Princeps Mehemetes, Aly Eunucho nuper ſublato, Selymi Principis filia in conjugem accepta, gratioſus in aula fuit. Sed cum belli furor nihil propterea remitteret in Hungaria, & Tranſylvania, Cæſare injurias perſequente ſuo exercitu; Solymanus bello Melitenſi involutus, Hidajetem interpretem ſuum, apud Saxones Cibinii Chriſtianis parentibus ortum, Viennam legavit, qui Maximilianum inter, & Joannem Sigismundum pacem ſanciret.

Dum utriusque partis querelæ in Curia expenduntur, Joannes, & Haſanes Temeſienſis Præfectus, in campo nova injuriarum argumenta large ſuppeditant. Ille Jenejenſem arcem, hic Pankotam occupat: tum ad Debreczinum Lazari Schwendii, ſupremi Cæſarei armorum Præfecti, caſtra omnibus viribus oppugnatum contendunt. Dux impetu facto in eos, inſignem victoriam reportavit, cæſis plerisque, aut in proximo flumine, quo præcipiti fuga dilapſi ſunt, merſis. Eodem prope tempore in Croatia (nam & illuc flamma belli delata eſt) partim proſpero, partim adverſo Marte pugnatum fuit. Muſtaphas, cognomento Szokolovicſius, Bosniæ Præfectus, accitis e maritima Dalmatiæ ora auxiliis, Krupam, in ulteriori Unnæ ripa poſitam, olim Equitum Rhodiorum, ruptis induciis quinto, & viceſimo, poſtquam oppugnari cœpta eſt, die armata manu ſubigit, ſpectante fœdiſſimam cladem & arcis, & Chriſtianorum, Herberto Aurſpergo, qui cum ſeptem armatorum millibus haud procul conſederat. Pari fortuna Novia arx cecidit, eidem fluvio adſita; hoc ſucceſſu elatus ad regionem, quæ Criſium inter, & Kapronczam protenditur, igne, & ferro vaſtandam ſe accinxit. Petrus Erdôdius Pro-Rex Illyrici, Matthæus & Simon Keglevichii cum mille quingentis equitibus victoriæ ſecuros aggreſſi, disjectis prima impreſſione cohortibus, Muſtapham in fugam compulerunt, omnique caſtrenſi ſupellectili exuerunt, trucidatis tribus millibus barbarorum. Hæc clades Bosnenſes Turcas, quique Adriaticum accolunt, ad modeſtiam redegit.

In Hungaria quanquam caſtris caſtra collata eſſent, tamen Maximilianus ſpem pacis nondum dimiſit. Et Schwendius Regis animi certus, non auſus juſta acie congredi cum Turcis, Tranſylvanisque, levibus præliis tempus extrahere contentus erat. Legati interim ultro, citroque commeantes miſerorum civium vota ſuſtentarunt. Nuncius, qui undecim dierum itinere Byzantio Viennam advenit, æquiora poſtulata jam attulerat: nimirum pacem fore, Tranſylvano ſi bello adempta, fide integra redderet Cæſar; arma

A) Extat graviſſima Zrinyii oratio apud laudatum Iſtvanff. Lib. XXII. B) Anno 1565.

ma poneret, munus sine mora Constantinopolim mitteret. Nihil potius Maximiliano visum, atque Solymani petitioni facere satis. Extemplo Casparum Rues ad Budensem, deinde in castra ad Temesiensem Præfectos cum nuncio legat, Schwendium ab armis discessurum, si Turcæ dissolutis castris domum abirent. Post brevem altercationem mira voluntatum consensione Turcæ discessere. His recreatus Maximilianus, ad pacem stabiliendam omnem curam, solicitudinemque adhibuit. Et inprimis Georgium Hoszutotum, ærarii Regii Curatorem ea de causa Byzantium iter maturare jubet, utque cum Alberto de Viis apud Solymanum negotium sibi adeo gratum, Reipub. quam utilissimum conficiat, multis hortatur. Commiserat etiam inter cætera: Purpuratos eam in sententiam pertraheret, ut Transylvaniæ Princeps, in hocce fœdus minime reciperetur; nempe qui pro libidine contra fas, nefasque Cæsaris provincias divexavit. Id si feliciter cesserit, tum se munus non vulgaris pretii more superiorum annorum perlibenter daturum.

A. C. 1565.

Festinatis itineribus tenuit Byzantium Hoszutotus, cumque optimi Principis res studiose curat, ignarus impendentis mali, in summum discrimen se induit. Quippe Solymanus, quod munus jam biennio intermissum non attulerit, neque Transylvano Tokainum reddiderit Maximilianus, eum ira præcipiti abreptus, neque visum, neque auditum, pro innata ferocia in hospitio Alberti de Viis concludi, ac diligenter custodiri præcepit. Eodem impetu altius provectus, consilia de inferendo Maximiliano bello, quod diu meditabatur, detexit, missisque propere ad equitum Magistros, limitumque Præfectos mandatis, ut parati signum profectionis operirentur, Byzantinorum animos diuturna expeditione absolvit. Paucis post diebus defervescente nondum bile, accitis Mehemete, cæterisque Purpuratis, equestre concilium in patenti campo celebravit, quo suscepti belli consilia semel, atque iterum rata, fixaque habuit. Est hoc positum in consuetudine apud Ottomanos, ut quidquid equis insidentes Imperator, Purpuratique edixerint, id sanctum, æternumque habeatur. Oratores improviso malo oppressi, Regis sui causam minime deseruerunt. Mehemetem Principem Purpuratorum muneribus placare conati, ab eo postularunt, in colloquium ut admitterentur, allaturos se æquas conditiones, quibus haud dubie pax interturbata coalescat. Sed is veritus Imperatoris indignationem, si Oratorum postulata perferret ad senatum, reposuit: *spem fœderis superesse nullam, bellum jam præ foribus Hungariæ adesse, ulturum Imperatorem injurias sibi, Transylvanoque illatas.* Itaque, quod unum licuit, Maximilianum de imminente gravissimo bello clam certiorem reddunt.

1566.

Rumor Turcici exercitus cum multos terruerat Principes Europæ, tum præcipue Maximilianum Hungariæ Regem, utque pro viribus tantæ tempestati semet opponeret, sedulo circumspexit. Quamobrem non ab Hungaris modo, quorum res proxime agebatur, sed & a Pontifice Pio V. Imperii Principibus pro communi causa opem imploraverat. Dum omnia ad bellum propulsandum fervent inter Christianos Principes, Joannes Sigismundus frequentibus literis Arslanem Budæ Præfectum solicitabat: *arma ut capessat, celeritateque Solymanum sibi devinciat. Ne pateretur opportunitatem præterlabi, qua nullam aliquando majorem sors obtulerit, ulciscendæ utriusque nationis Turcico nomini semper infensæ. Præsidia milite pauco esse instructa: posse currendo Hungariam capi, & Viennam levi impendio subigi. Ostentaret modo arma, secuturam prompte victoriam.* Et ille turbido alioquin ingenio, gustatoque quotidie opio, vinoque adusto ferox, non multum cunctatus, cum sciret propediem venturas ex Asia copias, initium feralis belli ad Palotam A) fecit non satis prospere. Oppugnabat eam more suo ferociter, & icto tormenti globo Georgio Thurio loci Præfecto, nihil dubitabat de victoria, cum Jaurino manus præsidiariorum pabulatum egressa, speciem universi exercitus præbuit, & Arslanem in effusam fugam conver-

A) Palota, Latinis Palatium, ab arte, & ornatu dicta, arx Wesprimiensis provinciæ.

A. C. 1566. convertit, duobus tormentis, interceptis. Majori deinde numero Jaurinenses Wesprimio circumfusi, oppidum, arcemque subjecerunt, Turcis internecione deletis, quod & ipsi in captivos Christianos saevam crudelitatem exercuerint. Tata parem fortunam experta victoriam cumulavit.

Secundum haec levioris momenti certamina, ingens, & memorabile bellum exarsit, quod Solymanus, quanquam aetate, annis, morbisque affecta, majoribus quam retroactis temporibus Hungariae movit, quo clarissimis urbibus subactis, Respub. Christiana miserabili incendio deflagravit. Ingens multitudo hostium ad hanc expeditionem coierat Solymani jussu, e totius Imperii provinciis accita. Asiaticas copias Adrianopolim; Magistrum equitum Europaeorum e Macedonia, Thracia, Peloponneso Sophiam; Tartaros, paludis Maeotidis accolas, Selistriam A) convenire jussit. Ipse cum praetorianis, roboreque peditum exeunte Majo, sonipede candidi coloris vectus, Constantinopoli B) discedens, lentis itineribus Belgradum pervenit. Hic datis septem, & viginti millibus armatorum Pertavi, seu Pertasso c) Purpurato, sororis suae filio, in Hungariam festinare, ac Gyulam obsidere imperat cum Temesiensi, & Belgradensi Praefectis. Reliquum exercitum in duas partes dividendum cogitavit, quarum altera Agriam, vel Szigethum; altera cum Transylvano Szatmarinum invaderet, eo consilio, ut tripartito exercitu Maximiliani vires distraheret, & uno impetu pluribus locis, protereret Hungariam. Pertassus accelerato itinere Gyulam cinxit.

Solymanus Belgradum progressus cum majori exercitus parte, castris ad Danubium locatis, aliquot diebus deliberabat, quonam arma verteret? Hic agentem, Ioannes Sigismundus (monitus a Mehemete, ut isthoc officii genus peragat) cum centum facile levioribus quadrigis, quibus quaterni nobiles, aut milites eleganter induti vehebantur, convenit. Adventanti ad ripam Danubii praetoriam navim auro expictam, obviam misit. Superato Danubio cum viginti circiter primae authoritatis viris, quorum consilio uti solebat, equum superbe phaleratum inscendit, atque ad tentorium Phrygii operis procedit, caeteris peditibus viam ingressis. Tum adfuere e Ianicsarorum ordine circiter centeni cum vestibus auro, argentoque intertextis, quas ipse, & comites induti, Imperatorem salutarent. Principi praeterea annulus est datus viginti aureorum millibus aestimatus.

Sic ornati, ad Solymanum militari pompa deducebantur. Ingredienti Transylvano, paululum honoris causa assurrexisse visus, dexteram, amicitiae tesseram, porrexit, caeteris vestem osculo cursim perstringendam concessit. Semotis arbitris, per Hidajetem interpretem rogaverat: *an exercitum suum satis validum esse, & Maximilianum manus conserturum putaret?* ad quae cum ea respondisset, quae in rem videbantur, addidit Imperator: *se aetate confectum rursum arma arripuisse ejus protegendi causa; nec ante positurum, quam sub moenibus Viennae vitam juxta ponat.* His animosior Transylvanus supplicem libellum, quo Budam secundum promissa sibi reddi postulavit, porrexit. Hunc Mehemeti illico pervolvendum dedit, utque Principis voto faceret satis, demandavit. Sed dirempto colloquio, cum quaedam simultates obortae forent inter Mehemetem, & Ioannem Sigismundum, non Budam modo non recepit, sed nec in conspectum Imperatoris est deinceps admissus. QUANQUAM aegre caput regni restitutum iri ab eo speres, qui membra illius tanto apparatu oppugnatum venit.

Vix in tabernaculum discessum erat, cum adfuit Ianitorum Praefectus cum baltheo eximii operis, & acinace auro, & gemmis illuso, quae nomine Imperatoris obtulit; quatuor praeterea praestantissimi sonipedes phaleris suis instructi, dono obvenere. Prima haec officia tam laeta fronte transacta, ingenti voluptate affecere Transylvanum, verum eodem adhuc die Meheme-

A) Apud Geographos etiam Selestria, & Selystria. B) Istvanff. L. XXIII. ait Imperatorem singulari pompa Legatorum Maximiliani domum, qua clausi tenebantur, praetervectum. c) Sic appellatur Istvanffio; aliis Pertanus, fortassis utraque vox corrupta, & Pertraves scribi debet.

hemetis ambitio multum ex ea decerpsit. Significarat is, sibi vehementer dolere, quod per castrenses labores tantillum temporis non habeat, quo Principem conveniat, officiaque humanitatis palam testetur: velle tamen se colloqui de ordinanda Transylvaniæ Repub. deque expeditione bellica; quod si veniret, non dubitaret se inde maximum fructum relaturum. Perturbatus hominis denunciatione, quid sibi faciendum foret, anxie perquirit. Plerique Procerum censebant tempori esse serviendum. Nihil Principis authoritati ademptum iri, si ad Purpuratorum Principem prior invisat, quem barbara ambitio Regibus parem facit. Unus Bekessius Principis sui dignitatem præ oculis habens, negabat citra injuriam Regiorum natalium, posse adire vilissimum mancipium; cujus sententiam amplexus Ioannes, dignitatis suæ alioquin tenacissimus, Mehemeti renunciavit: *se quidem alloquii cupidissimum esse: procederet modo extra valla castrorum, se non defuturum officiis suis.* Quo responso ad fastum barbari calcandum opportuno, tantum odium concepit, ut sua authoritate perpetuo illius conatibus adversaretur, cogeretque eum insalutato Solymano, in suam Transylvaniam redire. ADEO agreste ingenium, si ambitione impellatur, in vindictam exardescit, ut bonum Principis etiam eversum pergat.

A. C. 1566.

Nam Transylvanus ob simultates Mehemetis, Turcarum societatem perosus, occulto fœdere icto cum Maximiliano, in amicitiam redeundum existimavit. Sed hoc processu temporis evenit. In præsenti, discessus Transylvani magnopere consilia Solymani confudit, cum nec militem, nec commeatum missurum se pollicitus fuerit. Ne tamen meliorem æstatis partem in otio ageret, ad Agriam oppugnandam exercitum duxit Imperator. Quapropter ad Petro-Varadinum pontem extrui jussit, quo & ipse cum copiis se contulit. At fatalis Mehemetis, Dispensatoris Solymani casus Agriam periculo exemit, Szigethanos involvit. Is nuper Bosniæ Præfectus renunciatus, cum ad capessendam provinciam, assumptis secum tercentum equitibus proficisceretur, ad Sziklosium oppidum pluvio cœlo prohibente iter consedit, extensis in suburbano agro tabernaculis.

Forte accidit ut Nicolaus Zrinyius Szigetho præfectus, mille pedites veteranos, & quadringentos equites, Ductoribus Casparo Alapio, & Wolffgango Paprotovicsio immitteret ad suburbia Quinque-Ecclesiensia vastanda. Ii intempestæ noctis silentio iter ingressi ad vicum Byssam, ab agricola illius regionis certiores fiunt; Turcas Sziklosii haud magno numero, metu solutos, quietem capere. Alapius videns in celeritate positam victoriam, jussis citatiori passu progredi peditibus, illuscescente die magno sublato clamore quiescentes occupat, ac cædit, paucis fuga dilapsis. Mehemetes excusso somno, etsi arreptis armis fortissime se, suosque tueretur, amissa dextera humi dejectus, capite truncatur. Filium ejus, egregiæ indolis adolescentem, idem infortunium abstulit, plumbeis glandibus confixum. Szigethani lectis opimis spoliis, ad suam stationem reversi, non minorem sibi nominis gloriam, quam Zrinyio voluptatem pepererunt. Jam Asiæ equitatus Agriam versus infestis signis iverat, cum Mehemetis, suorumque cædem intelligit Solymanus. Ira, doloreque exæstuans, revocato equitatu pontem rescindi, atque tigna, cæteraque armamenta plaustris imponi, Eszekumque devehi mandat, e quibus pontem Dravo imponeret Hamsa Quinque-Ecclesiensium Præfectus, cui isthoc negotii sub pœna capitis commendarat, Szigethumque ducenti expeditum iter faceret. Et iste quidem accitis fabrorum magistris omni contentione in opus incubuit: verum quod Dravus continuis auctus imbribus, ripis se superfuderit, industriæ operarum moram fecit, ægreque tandem domitus, præsente Solymano, Hamsam metu, periculoque capitis absolvit.

Gyulam interim Pertassus summa vi aggressus, tertio Septembris deditione capit, postquam Hungari, Germanique Centuriones acceptis vulneribus ceciderunt. Ladislaus Kerecsenius arcis Præfectus in itinere fraude interceptus, Byzantiumque deductus jussu Selymi, ob crudelitatem in Turcas

A. C. 1566. cas captivos exercitam injecto laqueo ſtrangulatur. A) Gyula occupata iidem Turcæ Ienenſem arcem obſedere, eamque a Præſidiariis nocte concubia deſertam ſuo muniverunt præſidio. Solymanus ſuperatis, quæ obſtabant, paludibus Calendis Auguſti haud procul Szigetho B) tetendit; altero die ducentorum amplius millium exercitum propius mænibus affudit, oppidumque concluſit. Nicolaus Zrinyius, Heros apud omnes gentes clariſſimus, locum obtinebat, cum bis mille ſupra quingentos armatis, priſcaque Hungarorum virtute propugnabat. Non Roma, non Græcia nobiliores auſus ſuis in Annalibus prodidit, atque in hac celeberrima defenſione, Scriptorum fides ad poſteritatem transmiſit. Volumen facerent omnia, quæ hic a Duce, Hungarisque immortaliter geſta; ni feſtinanti Lectori conſulturus compendio uterer. Curſim quæpiam attigiſſe, ſufficiat. Ut primum ad ictum Szigethum deſtinari barbarorum adventus vulgarat, præſidiarii præeunte Zrinyio fidem obſtrinxere, nullis conditionibus ſe deditionem admiſſuros. Mox exuſta nova civitate, veterem ſuæ virtuti confiſi tuendam ſuſcipiunt. In eam Alyportugus, vir impiger, dies, noctesque æneis machinis detonuit, factaque acerrima irruptione, præſidiarios ea ſtatione depulit, atque a Solymano virtutis ergo ducentis aureis donatus, biduo poſt dum animoſius, quam cautius in arcem tormenta dirigit, majori pila transverberatus, luctu totius exercitus occumbit.

Hujus ſucceſſor Seiffedinus multo vehementius operi inſtabat, ſuccuſſisque ingenti hiatu propugnaculis, qua tormentis, qua cuniculis, perpetuis inſultibus ſuos, præſidiariosque fatigabat. Vicies pene in mænia promptiſſimi Janicsarorum ſubierunt, toties intentatam arci cladem, in authores regeſſit Zrinyius. Sed ſævior Ottomano voraciſſima flamma, Hungarorum fortunam, non virtutem afflixit. In cuniculum, ſub propugnaculo Henejano egeſtum, multum materiæ flammis obnoxiæ comportant, eamque pulvere injecto, tanto ſucceſſu accendunt, Auſtro præſertim in fortunam hoſtium conſpirante, ut omnia exterioris arcis tecta, ferali incendio conflagrare momento temporis conſpicerentur. Depluente undique igne cum nulla via ſuppeteret mali opprimendi, & Turcæ ſublatis ferociter ſignis, propugnaculo Nadasdiano imminerent, eo converſus Zrinyius bis hoſtes rejicit. Sed crepitantibus jam in proximo flammis, propugnandi copia adempta, in interiorem arcem ſe cum ſuis conjicit, cæſis ſeptem Turcarum millibus.

Dum cum hoſte, & flamma luctatur Zrinyius, Solymanum vehementia morbi, & ætate fractum mors gratiſſimam Szigethanis Heroibus victimam immolavit. Mehemetes tamen, qui ſua authoritate bellum adminiſtravit, mortem celavit, quo Selymum ad Imperium pacate capeſſendum admoveret. Interim Zrinyius exiguo ſpatio concluſus, cum penuria rerum in dies anguſtiori vexaretur, & ſexto Idus Septembris, interior pariter arx fœdo incendio corriperetur, mortem Heroe dignam obire, quam in ſervitutem abripi, aut quod futurum erat, per ludibrium, trucidari maluit. Itaque ut fati una, & hoſtis de ſe triumphum anteverteret, triumphalem apparatum ſumit, apertaque porta, ac diſploſo non ſine ſtrage hoſtium, qui irrupturi in arcem conferti accurrerunt, tormento, cum ſociis erumpit, ferroque late circumducto per medias acies ruit. Gemina glande poſtremo appetitus, magnam animam ſuper aggeſtos cadaverum acervos efflavit.

Quaternos ex illo Heroum manipulo ſeu fortuna, ſeu virtus tanta multitudine etiam ſuperior, hoſtili furori ſubtraxit, qui a Georgio, hujus Zrinyii

A) Annales Turc. ajunt Kerecsenium ſævitiæ poſtulatum, vaſi clavis perforato incluſum, e monte præcipitem actum. B) Hiſtoriam hujus obſidionis inter paucas memorandæ adeo multi ſcripſere, ut actum agerem, ſi in ea recenſenda fuſiori calamo uterer. Præter patriæ Scriptores Joan. Sambucum, quem Iſtvanff. ſecutus eſt, Fran. Forgachium Epiſcopum; M. Samuel Budina, Petrus Bizarus Sentinas Perſicarum rerum Hiſtoriæ author, & Belli Pannonici ſub Maxim. II. Natalis Comes in univerſa Hiſtoria ſui temporis, Bellarius, Thuanus, Joannes Leunclavius Continuator Annalium Turcicorum, Simon Schardius eandem literis commendarunt. Denique vix quidpiam de Hungarorum fortitudine bellica leges apud exteros Scriptores, ubi non continuo Nicolaum Zrinyium reperias. Vivit poſt funera virtus.

Zrinyii filio, redempti, rerum a ſociis fortiter geſtarum teſtes, & præcones extitere. Caput Zrinyii præciſum, haſtilique præfixum in caſtris diu ſpectaculo fuit; Cadavere a Muſtapha Banjalukenſi tumultuarie ſepulchro condito. Præſidio obtruncato, hoſtes utramque arcem perſcrutati, prædam conquirebant, flamma etiam tum munitiones vaſtante, cum ſubito in lapideam turrim, pulveris ſulphurei receptaculum, illapſa ſcintilla, tanta vi ædificia concuſſit, ut non ſolum nutantibus arcis fundamentis, multæ circum domus corruerint, oppreſſis ter mille Turcis, ſed etiam oppida vicina quatefactis domibus extimuerint ſupremum caſum. Jam ſi calculum ponas quot hoſtium Szigethum hauſerit, facile quinque, & vicena millia reperies. Nonnulli ad octoginta millia periiſſe ſcribunt, quod facile conceſſerim de tota expeditione.

Capto Szigetho nondum Mehemetes A) Solymani mortem vulgaverat, imo ut fucum faceret ſolicitis de Imperatoris valetudine, edicit Janicsarorum Tribuno: *incendium reſtingueret, arcem perpurgaret: velle Imperatorem ſeptimo poſt die Szigethum, tot Heroum monumentum, inviſere.* Aderat ſtatus dies, & cum Solymanus in publicum haud prodiret, non levis oborta eſt ſuſpicio, de ejus ſupremo fato. Sed jam Selymus velociſſimis nunciis condocefactus de Patris obitu, per Scenderem Purpuratum, quem Conſtantinopolitanæ urbi Solymanus Præfectum dederat, ſolium paternum, nemine obſiſtente, occupavit. Hoc cognito Mehemetes ſæviſſimam populationem regioni intulit; Babocsamque metu proditam ſui juris effecit. Dimiſſis ſubinde hieme appetente Bosnienſibus in ſuam provinciam, ipſe cum cæteris copiis Byzantium abit, juſta exequiarum Solymano ſoluturus; cum paulo ante in eodem loco, in quo e vita exceſſerat, ejus viſcera apud Sibotum oppidum, mœſta militum pompa tumulaſſet. B)

Obiit Solymanus ætatis ſeptuageſimo ſexto anno, triduo ante, quam Szigethum ignibus domaretur, poſtquam Imperium tenuit ſex ſupra quadraginta c) annos. Erat magnitudine animi, rerum geſtarum gloria, & felicitate, nulli ſuorum Majorum ſecundus, militari ſcientia, fortitudine in rebus arduis perficiendis plures anteceſſit, ætatem plurimum belli contrivit, ſuoque potius ductu, quam alieno, belli aleam tentare maluit. Si Viennam, Ginſium, Melitam D) demas, quas adortus eſt urbes, perpetua armorum felicitate fere perdomuit. Mari perinde, atque terra hoſtes vel reperit, vel fecit. Exteris Ducibus, haud ſecus, ac ſuis bella ingentia in Africa abſolvit. Perſiam, Italiam, Germaniam, inſulas Ionii, & Ægei maris crebro exterruit. At nullam regionem funeſtiori clade affecit, quam Hungariam in Mohacſiano agro. Hic victoriarum ſumma. Rhodus expugnata, & famam, & vires in immenſum auxit. Iſabellam in Tranſylvaniam legando, ſemina multarum ſimultatum jecit, quas non niſi ſerior ætas præfocavit.

Si quis præterea ad militares Solymani laudes, altitudinem animi adjungat, quo nullum unquam genus hoſtium vel numero majus, vel fama inſuperabile expavit, profecto maximos inter Imperatores omnis ætatis jure adnumeraverit. Certe parem animo ſuo quæſiturus æmulum, cum Carolo V. congredi ardebat, eaque de cauſa extra limites Hungariæ duxit; niſi fortaſſis ad ſpeciem iſtud egerit. Utriusque miles non poſt multo in campum eductus, ſine prælio, ſine virium imminutione diſceſſit. Placuit nimirum circumferre arma pugnam vitabundis. Ex quo callidiores conjecere: alterum alterius fortunam timuiſſe. Præter Carolum V. Occidentis, Solymanum II. Orientis Imperatores, vidit eadem ætas bellorum ferax Franciſcum I. (adverſis juxta, & proſperis notum Annalibus nomen) Gallis imperitantem. Quivis eorum dignus Imperio orbis terrarum. Et habuiſſent, aut promoviſſent, niſi concurſus ille fuiſſet, & alius alium interpellaſ-


A) Plures hujus nominis Duces in Annalibus reperies. Hic ſupremus armorum Præfectus, ſeu Vezirius fuerit. B) Iſtvanff. L. XXIII. c) Bizarus L. XI. rerum Perſicarum biennium regiminis addit. D) Inſignia horum locorum habes pag. 102.

A. C. 1566. pellasset. Nempe BONUS ille DEUS, ut Justus Lipsius advertit, A) imperantium animos temperat paribus æmulis, & velut in æquilibrio res humanas suspendit, ne nimium crescant, aut cadant. Sic consulitur libertati orbis. Cæterum elatæ mentis erat Solymanus, nec fortunam capiebat suam. Tria potissimum in votis habuit: primum, ut Viennam, Germanici Imperii propugnaculum, in suam redigeret potestatem; alterum, ut templum miri operis, Byzantii a se inchoatum, absolutum videret; tertium, ut aquarum ductibus supremam manum imponeret. Dignitatis tenacissimus fuit, titulosque B) magnificos sibi affinxit. Atque hæc princeps causa, cur paternas manus filiorum cæde macularit. c) Sed satis de Solymano.



SELY-

A) In Monitis Politicis L. I. c. v. mon. IV. B) Ut legere licet ad annum 1522. pag. 107. c) Itaque verum est illud Lucani: Nulla fides regni sociis, omnisque potestas impatiens consortis erit.



SELYMUS II.

IMPER. OTTOM. V.



Onatu nullo, aut ambitu quæsitus principatus Selymo non diuturnus fuit; at qua prosperis, qua infaustis successibus bellicis multum exercitus. Sine civili tumultu, quod Imperium paternum acceperit, Scenderi A) genero suo debuit. Hic Imperatoris vices Constantinopoli agens, Janicsaros præsidio relictos, urbe educit quæsita specie abeundi in Hungariam, supplendis legionibus ad Szigethum attritis. Interim in urbem revolat, & Selymum Magnesia reducem, solenni ritu in aula maxima Imperatoriarum ædium, successorem Solymani declarat. Didito per vicos arcano, multi undique mortalium ad aulam accurrentes, primum Solymani animæ vota depromunt, tum ad Selymum versi, vitam, felicitatem repetitis clamoribus precantur. Mox dimissi in omnes provincias nuncii, mortem juxta Solymani, & Imperium Selymi divulgant. Quod utique plurimum contulisse videtur, ut non motus solum anteverterit, qui oriri assolent in tam vasto, ac turbis obnoxio Imperio, sed Ianicsaros etiam cum semper, tum maxime tumultus cupidos, extincto Principe, illico placarit numeratis centum millibus aureorum. Eo ære sive stipendia persolverit, sive populationem Byzantinæ urbis redemerit, perinde valuit ad militum animos sibi obstringendos. Hac cura defunctus, a pietate auspicari regimen voluit. Belgradum recto itinere contendit, supremum honorem Patri persoluturus. Atque ut primum corpus inter convulsa signa legionum, ac reliqua mœroris incitamenta adferri vidit, equo desiliens, propiorque factus lugubri pompæ, dolorem suum conjunxit. Præibat currum, quo vehebatur mortuus, animo tristiori, quam veste; nisi quantum cura exercitus diuturno labore, morbis confecti, dolorem avertebat. Non minus Purpurati, equitum Magistri, militum Præfecti, signa mœstitiæ edidere, sive quod jam moris esset vultum fingere ad Domini nutum, sive reipsa memoria Imperatoris, eam scenam tristitiæ imperaret. Belgradi agmen substitit. Hic in Janicsaros e consuetudine superiorum annorum, magnam pecuniarum vim profudit, magistratusque plurium urbium constituit, lectis judicibus, qui per provincias sparsi, litigantibus jura dicerent. Perquam necessarium hoc postremum erat; quod Solymani ætas, inter assiduam armorum tractationem transmissa, admodum opportuna fuerit

A. C. 1566.

A) Annalibus Turcicis Ischender, quod Alexandrum denotat.

A. C. rit ad leges civitatum convellendas, ac privatorum fortunas, dominante fer-
1566. ro, diripiendas.

Altero post adventum die, funus Constantinopolim deducendum Achmeti, Ferhatique Bassis commisit, ipse lentis itineribus eo secutus. Vicesimo secundo Novembris, innumera hominum multitudo Mufftio, sacrorum Antistite, præeunte pompam excepit. Corpus curru depositum, peditibus, equitibusque per agmina dispositis, primarii provinciarum Præfecti, oneri per vices succedentes extulerunt ad moscheam, quam dum viveret, ad omnem elegantiam extrui curaverat. Lateri acinacem apposuere, in signum bellicæ virtutis, ac profusi sanguinis; addito capiti pileo, nigris ardearum pennis ornato, quo uti consuevit domi, militiæque. At Talesmani (genus est Sacerdotum) vultu ad mœrorem composito, ferali murmure omnium luctum testabantur, humique sedentes more suo, lessum in multos dies continuarunt. A)

1567. Deducto, ut memoravimus, exercitu, nondum pax firma constitit Hungariæ, Hassane Temesiensium Præfecto turbas ciente. Joanne Sigismundo faces addente arcem Dedesiensem suo orbatam Præfecto oppugnabat. Stephanus Barius, vir pugnacis animi, fortuito ad arcem delatus, confirmatis præsidiariorum animis, diebus quindecim ab ea barbarorum vim sat animose prohibuit. Sed postremum paucitati suorum diffisus, mænibus jam solo æquatis tormentorum ictibus, arcem hosti relinquendam constituit, detrimento, quo posset, maximo. Pulverem, cujus copia ad diuturnam obsidionem comparata erat, in turres, ac apothecas abdit funiculo ardente ita aptato, ut illucescente die, quo hostes irrupturos putabat, pulvis concepto igne inflammaretur. Ipse vero evitatis excubiis, feliciter cum suis evasit. Res secundissime processit.. Quippe ubi nullus præsidiariorum apparuit, illucescente die Turcæ confusis ordinibus arcem petentes, securi ad spolia vertuntur. Tum repente vi pulveris succensi convulsa ædificia, ac in sublime jactata, quadringentos admodum fœde exanimarunt. Hassanes improvisa tot fortium virorum cæde, & suimet ipsius periculo commotus, rabiem in partem superstantium ædium effudit, imitatus Barium.

Sed altior erat dolor, quam ut eversis muris, tectisque læsæ alioquin arcis tumularetur. Tokainum, Cassoviam, Agriam torrentis instar expedito agmine equitum invadit, evastato incredibili feritate fertilissimæ regionis agro, multis mortalium millibus partim cæsis, partim ad vincula damnatis. B) Schwendius Regii exercitus Ductor, absente hoste pugnam ciere solitus, Cassoviæ inclusus, triste excidium collucentium oppidorum oculis hausit. Tot malis fessa Respub. Hungariæ, cum Maximiliano anxiis votis pacem peroptabat. Et Hoszutotus, Orator Regius Byzantii, cum anno præterlapso, mortuo Solymano libere revertendi in patriam potestatem impetrasset, non vanam spem induciarum fecerat. Is quidem Belgradi Selymum convenire non potuit, quod Purpurati, qui limina novi Principis obsederunt, dicerent: *Oratori ad Solymanum misso nihil negotii intercedere cum Selymo. Maturaret reditum cum mandatis sui Domini, tum aditu non prohibitum iri.* Hoc intellecto, Maximilianus Edvardum Csernovicsium Byzantium legat pacis sanciendæ causa. Sed sive quod peregrinus, & hospes in perturbata aula timidius rem suam egerit, sive quod nullis muneribus Purpuratorum avaritiæ litaverit, nihil aliud Byzantio retulit, quam ferale nuncium: Selymum militem scribere, Pertavem, & Beglerbegum Duces designatos Pannonici belli, quorum alter Agriam, alter Kanisam oppugnarent.

Jamque ad Gyulam copiæ Ottomanicæ castris locum delegerant, ut Joanni Sigismundo ad primos belli fragores præsto essent. Et erupissent in proximas provincias Regi obnoxias, nisi Oratores propediem Byzantium venturos nunciatum fuisset. Delecti erant in Comitiis Posonienlibus ad hoc munus obeundum Antonius Verantius Agriensium Antistes, qui non ante mul-

A) Annales Turcarum. B) Istvanff. L. XXIV.

multos annos hac provincia functus fuit, & Christophorus Teuffenbachius. A. C. Quo pretium adderent legationi, præter munera Imperatori, Purpuratisque ferenda, nobilissimos adolescentes in viæ comites secum acceperant. 1567. Selymus etsi lætissime Oratores excipiebat, tamen dissimulato gaudio, conditiones minus æquas obtrusit; MEMOR victorem victis fœdera pacis præscribere solere. XI. Calend. Sept. Byzantium ingressis, Mehemetes, A) Pertaves, & Achmetes, Purpuratorum primores, omnem humanitatem præstitere. Adhibiti epulis in Regia domo, cæteri nobiles apud Præfectos minorum gentium, non ambigebant opera Principum pacem coalituram. Remotis mensis, Legati ad Selymum admissi, a Purpuratis binis, honoris quadam specie, singulorum brachia sustentantibus in palatium ducuntur. Quod ea de causa factitant Ottomani, ne fors occultato per dolum ferro Imperatorem improviso invadant, & lethali plaga, ut a Dervisio factum narravimus, sternant. Venerati Selymum, muneribusque exhibitis, perbrevi sermone Maximiliani nomine pacem poposcere.

Et tunc quidem sine responso cunctabundus Princeps eos ad hospitia redire jussit, quod Adrianopolim proficisci decrevisset. Eo delati Oratores, octo annorum inducias pepigere. Moram injecerunt nonnulla oppida Hungariæ, quæ partim Turcis, partim Hungaris parebant, geminoque annuo vectigali vexabantur. Sed cum Mehemetes ea oppida juris Turcici esse asseveraret, nec vellet ærarium sui Principis imminutum, lis ea indecisa mansit, quanquam Hungariæ Ordines in publico conventu Posonii, redeuntibus Legatis anno insequenti, B) acriter obniterentur, palamque dicerent: *se ferro hæreditates Majorum suorum vindicaturos.* At minæ non ultra verborum ferociam processere. Joannes Sigismundus Transylvaniæ Princeps, hortante, an potius mandante, Selymo easdem inducias est amplexus, & dum vixit, C) odiis fortassis, non armis cum Maximiliano certavit. In hunc modum afflicta Hungaria ad pristinam tranquilitatem rediit, eo majori populorum lætitia, quo certius bellum affore trepidi nuncii referebant.

Composita inter Maximilianum, & Selymum pace, soliciti Christiani Principes, quo victor arma inferret, Byzantinæ aulæ motus velut e specula observabant. 1568. Et Veneti quanto magis injuriæ obnoxii ad oras maritimas, tanto vehementius tempestatem extimescebant. Etsi enim Selymus fœdus cum Solymano ictum confirmarit per Legatum Ibrahimum, tamen quod orationem crebrioribus querelis misceret in senatu, ob piratas Adriatico mari infestos, non falso collegerant, in se molem belli incubituram. Marinus Cavallus, ut certiora referret, Byzantium a Repub. missus cum lautis muneribus, cum Selymo rursum veterem amicitiam corroborat, sive isthoc eo consilio Imperator egerit, ut Venetos pacis opinione delusos certius opprimat, sive reipsa nondum certus, cui hostium bellum facturus esset.

Erant in Aula Turcica Principes viri Mehemetes, & Mustaphas; 1569. ille supremus Vezirius, hic Cairi, seu Mempheos Præfectus, uterque summæ authoritatis, quique non infeliciter ferrum in hostes Imperii strinxerant. Et Mehemetes quidem veterem gratiam, qua apud Solymanum florebat, recenti beneficio firmiorem effecit, dum Szigethum, extincto Imperatore, continuata oppugnatione fregit, & dissimulata morte, Selymo spatium concessit, sine perturbatione domesticæ quietis Regiam occupandi. Claritudo deinde bellicæ scientiæ, quæ hominem sine invidia supremæ armorum præfecturæ admovit, facile omnibus Purpuratis superiorem ostendit. Sed Mustaphas Cairo per eos dies reversus (etsi Selymi iram incurrerit, quod Arabiæ populum rebellantem mollius tractasset) placato Principe, gratia præire videba-

A) Nonnullis Historicis Machometes, & Mahometes. Hic idem est, qui a sicario percussus obiit anno 1580. B) Anno 1568. C) Obiit Joannes Sigismundus anno 1571. & cum eo stirps virilis Zapolyianæ, sive Deakianæ prosapiæ. Ejurato Luthero, Ario infelix Princeps adhæsit. Successit in principatu Stephanus Bathorius tum a Selymo, tum a Maximiliano confirmatus, primusque Principis Transylvaniæ titulum sumpsit, ac posteris transmisit. Joannes Sigismundus jam Rex, jam Princeps a suis appellatus.

A. C. 1569. videbatur Mehemetem. Quippe vetus neceſſitudo domi, bellique firmata, inter utrumque interceſſerat, maxime Bajazethe fratre debellato. Poſteaquam enim fraternæ acies in campis Iconienſibus ſuorum Principum odii induiſſent, ac armis propugnaſſent, Selymus non multum bellicoſus fugæ magis, quam pugnæ intentus erat. Muſtaphas, ne immatura fuga exercitum ſuum proderet, ſonipedis fræno fortiter arrepto, Principem in campo detinuit, plenamque hoc facto victoriam confecit. Iſtud homini alioquin in aula accepto gratiam, authoritatemque longe maximam conciliavit.

Ambo itaque in deliberationem adhibiti, Venetisne, an Hiſpanis arma inferenda eſſent? non minus in ſenatu ſententiis, quam in aula gratia concertarunt, Principisque animum perpetuis diſſidiis diſtraxere. Mehemetes in Africanam expeditionem inclinabat, *eo utiliorem honorificentioremque dictitans, quo juſtius contra Hiſpanos, Africæ inhiantes, arma induere, & Mauris, Mahometanæ religionis hominibus, opem ferre addecet Principem. Poſſe ex Africæ litoribus facile flexu claſſem Ottomanicam converti in Hiſpaniæ provincias, & afflictam Maurorum gentem, Mahometanaque ſacra priſtinæ libertati reddi.* Muſtaphas contra: *Cyprium regnum magnificis verbis Imperatori oſtentabat, agrorum fertilitatem, divites metalli venas, aliaque feliciſſimæ inſulæ beneficia non parce dilaudabat.* Ad extremum conficiebat: *ſummo dedecori ducendum Imperatoribus, tot annos Venetorum juri inſulam relictam, in viſceribus Turcici Imperii poſitam. Vindicaret hoc probrum claſſe armata: una expeditione tota Aſia depelli poſſe elatos Dominos, theſaurisque maximis interverti. E Caramania perbrevem curſum in Cyprum patere, quam tanto facilius victor exercitus ſubjugabit, quanto ſecurius Veneti, excuſſo belli metu, quietem ſomniant.* In eandem ſententiam conſpiravit Pialis claſſiariorum Præfectus, Muſtaphæ addictus, ejusque fortunæ innexus. Iſtorum authoritate viſus eſt flecti Selymus in Cyprium bellum. Neque Cavallum A) latuit, quæ faba in Venetos cuderetur, rumore evulgato Byzantii; proxime claſſem emittendam in piratas, quos Cyprus ad perturbanda mortalium commercia aleret, & contra jus gentium ſecuro ſemper hoſpitio exciperet.

Sed validior aries Selymum pulſavit, ut Venetos bello perſequeretur. Joannes Micheſius gente Hebræus, homo multis ſceleribus illuſtris (juvat enim triſte Annalibus nomen pluribus prodere) Hiſpania exactus, metu ſuperſtitionis male diſſimulatæ, Venetias petiit, egitque cum Senatu de attribuendo domicilio Judæis, in aliqua ditione Veneti juris. Rejectus cum indignatione Reipub. Byzantium, ſceleratis certum perfugium, contendit primum, ubi nuptiis cum opulenta Hebræa initis, ad divitias immenſas pervenit, dein ad Selymum tum temporis in Cilicia agentem inviſit. Facile e fraudibus, technisque compactus nebulo, in familiaritatem Principis, fœdis amoribus dediti irrepſit, tantumque in aula anteceſſit alios gratia, quantum aſſentandi ſtudio, novisque voluptatum illecebris omnes vincebat. Hoc artificio devinctus Micheſio Selymus, a Patre Solymano impetravit, ut Hebræi civitate per Imperium donarentur, quod a Venetis nuper negatum. Sed nondum beneficium abſolviſſe ſibi videbatur Princeps, niſi eundem in ſecretiorem ſenatum adlectum, perpetuo ad latus haberet, omniumque arcanorum participem faceret.

Imperator ſalutatus eodem animo in Micheſium fuit, negotiorumque molem cum eo communicavit tum maxime, cum Mauri in Philippum II. arma ſumpſerunt, opemque Turcarum poſtularunt. Micheſius etſi prima fronte hujus ſententiæ patronum ageret, Mehemeti benevolentia propior, quam Muſtaphæ; tamen inſpecta altius Principis ſui mente, ut erat aulicarum artium intelligens, in partes Cyprium bellum ſuadentium, leviſſimi ingenii homo, ſe transdidit, recrudeſcenteque odio in Venetos ob datam repulſam, ancipitem Selymi animum in hanc ſententiam unus ipſe traduxit. Haud contentus ſuppeditaſſe conſilium, præclaram, ſi Superis placet,

A) Apud Comitem Natalem L. XVIII. Marinus Caballius nominatur.

cet, operam addidit. Pulcherrimum illud, atque omni apparatu navali A. C. instructissimum Venetorum armamentarium, per nefarios homines uno 1569. incendio absorpsit, tanto successu, ut turres, pulveris pyrii receptacnla, eodem infortunio correpta, ac eversa, toti civitati supremum exitium intentarint. a) Fatis benignioribus debebatur, quod ingens vis confecti pulveris? in belli usum Corcyram avecta fuerit; secus excisis Venetiis, urbe urbium amænissima, unius hominis scelere in Cypro debellatum fuisset. Tantum excitare vel in aquis incendium valent accensæ unius in pectore odiorum faces.

Hanc stragem consecuta est incredibilis omnium rerum penuria, qua 1570. non Veneta modo urbs, sed & circumjacentes agri misere affli&abantur. Hæc erant funestissimi belli sat infausta initia. Selymus his magis in bellum Cyprium inflammatus, Cubatem Chausium Venetias expedit, cujus adventus civium animos tristi augurio implevit. In Senatum admissus sui Principis mandata patefecit. Inter cætera ajebat: *Selymo, totique Imperio vehementer dolere, quod piratæ Christiani nominis, myoparonibus suis, Turcica navigia non mediocri detrimento affecerint, mercatores solita navigatione, portubus amicis prohibuerint contra induciarum leges, ac mutua utriusque partis fœdera: quodve crimini datur Venetis, illud esse, quod hoc pessimum genus hominum suo quodammodo sinu foveant: Cyprum, tanquam communem piratarum sedem, illis incolendam concedant. Quapropter ut justam irati Imperatoris ultionem antevertant, traderent Cyprum, promptoque obsequio imminentes belli calamitates redimerent. Meminissent in hanc insulam dominatos fuisse Ægypti Reges, quorum possessiones cum jure armorum occuparint Majores sui, non aliena, sed sua repetere. Quod si renuant pacatis rebus insulam tradere, tum se coactum iri in arma, ad pœnam de injuria, deque pervicacia sumendam.* Veneti imperiosam petitionem aversati, negarunt se Cypro cessuros, quam hæreditate adierant. Et quamvis domi ab armis male instructi essent, tamen quod sperarent Christianos Principes auxilio adfuturos, qualemcunque defensionem in publica illa calamitate parare, quam nobilem portionem Asiæ, solo armorum terrore ostenso amittere, maluerunt.

Juvat altius celeberrimæ insulæ fata repetere. Cyprus ære, frumento, vite generosa nobilis inter Ciliciam, & Syriam posita, e gremio suo Reges habuit, donec Alexander Macedo, orbis terror, subjugata Asia, Cyprum pariter sui juris fecisset. Eo sublato Imperium amplissimum Principes, Ductoresque militum ita divisere, ut paulo ante Regis ministri, specie Imperii alieni procurandi, ingentia invaserint regna, auctaque cupiditate dominandi (nempe SORDENT plurima quæque, cum majora sperantur) alter alterum bello petierit. Ex quo Cyprus Regibus Ægyptiis paruit, quos tamen Romani ea possessione deturbarunt. Horum Imperium cum mole sua laboraret, Flav. Val. Constantinus, cognomento Magnus, translata Byzantium Imperatoria dignitate, novum dominatum in Oriente fundavit, vastumque Romanorum Imperium, quo facilius regeretur, in plura capita partiri cœpit. Sed jam tum barbarorum armis Cyprus evastata, alienis Dominis servivit. Invalescente Saracenorum populo in Oriente, semel, atque iterum fere eversa: tandem sub Nicephero Phoca Imperatore ad Byzantinos rediit. Andronico Comneno rerum in Oriente potito, Isaacius quispiam e Ducarum stirpe, defectionem molitus, insulæ hujus principatum arripuit. Tyrannide occupata, cum non minus in Cyprios, quam exteros ferro, & igne grassaretur, & Richardi Angliæ Regis navigia per tempestatem disjecta vexaret, male partum dominatum amisit. Insula Gvidoni Lusignano, qui a Saladino Hierosolymis exutus fuit, tradita, duodenos Reges continenti serie, eadem e stirpe numeravit. Jacobus ultimus Regum, Cypro sua ne excideret, late jam dominantibus per Asiam Ottomanis,

a) Annales Turc. Famianus Strada L. V. Dec. I. & Daniel Hartnaccus in suo Conspectu bellor. Turc. ad annum MDLXX.

A. C. 1570. manis, accepta in conjugem Catharina Cornara Veneta, fœdus percussit cum Venetis. A morte Jacobi Cornara domesticis turbis jactata, & mox filii morte, admodum adolescentis ægra, regnum Cypri, e testamento Jacobi, Reipub. Venetorum cessit. Multos annos in eam insulam dominatis, ut hæreditatem nobilissimam conservarent, armis agendum erat.

Itaque primi in hosticum classem procurrere jubent. In Albania initium bello datum est adeo feliciter, ut paucos intra dies castellum (Cestriam, sive Suppotoum dictum) rupi impositum, expugnarint Duce Sebastiano Venerio Corcyræ Præfecto. Eodem tempore altera classis, quo propiora auxilia ostentarentur Cypriis, ad Peloponnesum applicuit, & arcem sinus A) Mainensis, victricibus armis ad deditionem compulit. Arx suis munimentis spoliata, ac funditus pulveris sulphurei vi in auras ejecta, tanta cum vehementia, ut Byzantina classis exaudito procul fragore, tanquam ad belli tesseram in Cyprum continuo cursum flexerit. Gerebat præfecturam classis Pialis; copiarum vero terrestrium Mustaphas, uterque clarus triumpho Africano, uterque suasor præcipuus Cyprii belli. Hos de industria expeditioni præfecit Selymus, quandoquidem ei probe constaret, PLURIMUM in bello referre, ut consilii actores sint, qui fuerint authores.

Et illi cum exploratum haberent, urbem Nicosiam, Cypri caput, nec milite, nec annona, nec cætero apparatu satis armatam, toto impetu in eam ferebantur. Quippe Veneti decepti rumore de Famagusta oppugnanda, eo vires converterant. Exeunte Julio B) Mustaphas ad Amathuntem copias exposuit, atque inde profectus, Nicosiam arctissima obsidione clausit, Piale ad classem relicto. Nicolaus Dandalus (Joan. Bapt. Vero, Patavino Canonico, rerum Venetarum Scriptori Dandulus) urbis Gubernator, etsi justæ oppugnationi parem apparatum non haberet, tamen quod Venetam classem ad Peloponnesum, & Cretam excubare sciret in Cypri defensionem, maximo animo barbarorum conatibus semet opposuit. Sive enim in castra prorumperet, sive illi impressionem tentarent, Dandalus cum suis victoriam retulit. Pialis Purpuratus, cum Venetorum classem in anchoris hærentem conspiceret, neque pugnam commissuram conjiceret, pestifera lue eam in dies depascente, Alym, belli Legatum, cum vicenis millibus armatorum, ad accelerandam oppugnationem mittit. Eodem tempore Hispanæ triremes in Cretam secundis ventis pervenere. Hoc subsidio tantopere accreverunt animi Venetis, ut Pialem junctis viribus invadendum existimarent. Sed Hispanorum cunctatione, quod dissuaderent classem non esse committendam unius prælii fortunæ, effectum est, ut Nicosia ante caperetur, quam classis e Creta solveret.

Nam Mustaphas recenti milite auctus, quaterna propugnacula uno, eodemque tempore impugnavit, jussique armati in mænia eniti, tanta ferocia in opus incumbunt, ut rejectis, cæsisque propugnaculi (cui Podocattarum c) nomen erat) defensoribus, aditum patefecerint in urbem. Elatus a Turcis clamor, qualem victores edere solent, a ternis propugnaculis defensores pariter retraxit, ac in præcipitem fugam abegit. Instant barbari celeriter, agmineque quadripartito in urbis interiora penetrant, civibus, præsidiariis subita irruptione consternatis, nec satis concordibus inter se: DUMQUE singuli seorsim sibi consulunt fuga arrepta, abjecta publicæ rei cura, privatam simul omnes amisere. Itali tamen intrepide se obtulere suo cum Ductore Comite de Rocas; sed Duce glande percusso rursum profligantur. In foro renovata dimicatione, dubio aliquamdiu Marte pugnatum fuit. Namque oppidani, ubi vident se fuga elabi non posse incumbente hoste, resumpto animo, victoribus frontem obvertunt, ferrumque non impigre tractant. Nempe AD defensandum natale solum acrius multo unumquemque patriæ memoria, quam peregrinum, æreque conductum militem gloria exstimulat. Verum cum omni ex parte non pedites modo, sed & equi-

A) Maina, sive Leuctrum, juxta sinum Laconicum in Morea. B) Annales Turcarum. C) Comes Natalis Lib. XXI.

equites effractis portis eo convolarent, multitudine circumventi, jugulantur. A. C. 1570.

Dandalus sumpto lautiori vestitu, sive ut eo cultu corporis vitam mercaretur, sive potius ut victorum insolentiam in se avocaret, hostibus ultro se obviam dedit, a quibus capite truncatus, in communi illa jactura cladem auxit. Caput hastili præfixum, superbe in castris, ac deinde juxta mænia Famagustæ circumlatum fuit. Cæsa sunt eo die (decima Septembris) viginti circiter millia: e nobilitate pauci vinculis asservati. A) Urbs direptioni data victoribus, quamvis diuturna pace opulentas hæreditates civium, suo nobilissimo emporio in immensum accumulassent, tamen avarissimis hominibus, quidquid repertum in arcis, infra expectationem erat. Mustaphas ut victoriæ fructum, æmulorum invidia longe minorem ad Selymum perlatum, reipsa Byzantinis palam exhiberet; auri argentique vim magnam, præter spolia, manubiasque opulentissimæ urbis in duo navigia, ac myoparonem imponit. Inprimis vero egregios forma adolescentes, puellasque omni fere insula conquisitas addit (gratum utique donum, Imperatori fœdarum voluptatum mancipio) traditque omnia quadringentis prætorianis militibus Byzantium deportanda.

Fluitabat alto mari, ventis in cursum conspirantibus, nobilissima præda, & jam sui fama Byzantinorum animos in amænissimum spectaculum exacuebat. Myoparone vehebatur Cypria Virgo (Arnaldam Rocasiam Annales nominant) inter captivas, quæ secum reputans, quid evenisset patriæ, quid suis; quid sibi in Selymi potestate eventurum esset, magnum quid animo agitare cœpit. Et jam e portu inter militum, nautarumque clamores, ad duo milliaria processerant; cum milite nitratum pulverem extrahente ad usum tormentorum, intervenit inibi puella cum lumine. Enimvero nacta patrandi facinoris opportunitatem ardente in animo flamma, respectans modo patriam, modo cœlum, propius repente prosilit, ac deliberata morte ferocior, ingenti sane ausu intra ea receptacula ignem jacit.

Emicuit illico feralis flamma, magnoque fragore avulsa a sedibus suis tabulata, atque in altum excussa, rapuere simul eadem vi, semiusta hominum corpora; permistaque, & conglobata omnia in aquam decidere miserabili sonitu. Cæteri aut collisi invicem, & consauciati, aut incensi, exceptique undis expiravere. Nec se intra myoparonem continuit clades. Fragmentis hominum, tabularumque ex alto late decidentibus, corripuit ignis proxima navigia, horæque unius spatio, quantum erat toto regno corrasum prædæ, hominumque, quatuor exceptis, ex quibus rei series dein cognita, in oculis insulæ, Mustapha ipso triste incendium inspectante, consumptum est. Sic una captivarum, sive hostium odio, sive amore pudicitiæ, præsenti certe consilio, eadem opera & Ottomanici Ducis ambitionem fregit, & se, suosque subtraxit servituti, atque dedecori, ac in medio pelagi, aquarum diluvio fœdos amores sepelivit.

In hunc modum Nicosia B) capta est, dum Christianæ classis Præfecti non jam sententiis modo, sed & animis discordes, inutili consultatione disceptant de inimica classe incursanda. Certe rumor acceptæ cladis adeo mœrore Doriam affecit, ut statim in Siciliam vela expanderit, desertis Marco Antonio Columna Pontificiæ, & Venerio Venetæ classis Præfectis. At Mustaphas victoriæ cursum non interrupturus, visa præcipue alacritate militum; Famagustam ejusdem insulæ urbem, decimo Septembris eodem adhuc anno suo exercitu obsedit, quamvis hiemem non longe abesse sentiret. Erat illa ingenio loci, Venetorumque industria firmis adeo operibus permunita, ut quantamcunque hostium vim facile superare videretur. Sed cum mænia liber- 1571.

A) Annales Turcarum. Joannes Bapt. Verus L. IV. B) Joannes Bapt. Verus loco laudato, pag. 253. At Daniel Hartnaccus (nescio, ex quo fonte hauserit) memoriæ prodidit in suo Conspectu Bellorum: „ Nicosiam ignavia Danduli amissam, cujus eum Pisaurus Patritius Venetus coarguit. „.

A. C. libertatem urbium salvam, integramque præstare non possint sine robore 1571. virorum, eo immissi sunt cum veteranis cohortibus fortissimi Duces, M. Antonius Bragadinus, Astor Bellionius, & Ludovicus Martinengus, quorum consiliis, fortitudine in mensem undecimum oppugnatio protracta est, Mustapha prope in desperationem acto. Pialis, ne quid auxilii Famagusta acciperet, perdiligenter portus maritimos stationibus sepsit. Neque Alys Purpuratus cum altera classis parte, minorem operam ad subjugandam Cyprum posuit, igne, ferroque depopulando insulas Veneti juris. Cretam, Cytheram, Zacynthum, Cephaleniam partim incendio, partim direptione evastat; Suppotoum interfectis defensoribus, cum Manuele Murmurmio Præfecto intercipit: Dulcinium A) in limitibus Albaniæ, Dalmatiæque situm præsidium, deditione capit, præsidiariis, civibusque in Turciam deportatis.

Sic conjuratis animis, viribusque, Ottomani in excidium Famagustæ alacres ibant, quæ longa oppugnatione fracta, jam jam animam agebat. Nam cum Bragadinus dies, noctesque ictibus tormentorum, arcere vellet hostes, eorumque aggeres, cæteraque castrensia opera crebris eruptionibus inquietaret (quamvis plerumque suorum virtute excubitores opprimeret, tormentaque corrumperet) ad inopiam bellici apparatus devenit, & fortissimos quosque amisit. Quamobrem parcior erat in impetendo hoste, neque suis potestatem fecit procurrendi. Paulus quidem Querinus, B) vir intrepidi animi, mille sexcentos armatos duabus navibus Famagustæ intulit, tanto ampliorem laudem consecutus, quanto majori periculo, & victoria (septem enim hostiles triremes fugavit, tribus ex iis interceptis) laboranti urbi suppetias venit. Sed & istos quotidianæ impressiones, & cuniculi soluti absumpsere. Postremo decrescente numero præsidiariorum, annona pariter cum supellectili bellica decreverat.

Ergo cives, quos primum fames vexare, & fortunarum jactura angere occepit (victoris iram nisi deditione anteverterent) Bragadinum adeunt, orantque, ne urbem mænibus nudatam, & ab hoste prope insessam, fameque, omni hoste sæviori, dire oppressam, ultimo furori objiciat. Præstita abs se omnia officia bonorum civium; & præsidiarios in summa rerum penuria, summa virtutum specimina edidisse. Ille cum & deditionem aversaretur, & fidei Turcarum non multum tribueret, perstitit in proposito, lacinias afflictæ urbis extremis spiritibus tuendi. Mustaphas festinatis interim per iram accessibus, cuniculisque duobus feliciter solutis, ac insultu bis repetito ægerrime repressus, vicesimo nono Julii, adeo gravem tumultum, civibus fame passim expirantibus, metumque inter milites excitavit, ut timeret Bragadinus, ne populus ultimum tolerantiæ jam expertus, hosti portas patefaceret. Itaque altero die deditionis signum dedit,

Erant conditiones admodum molles tradendæ urbis, nempe: liceret præsidiariis pompa militari excedere, oppidani avita libertate fruerentur, religio nemini fraudi esset. Has ipse Mustaphas manu sua firmaverat. Vix urbem ingressi Turcæ, sine discrimine sexus, ætatisve in omnes sæviunt, arcas effringunt, & quidquid insolens victoria armatis suadere solet, ferociter agunt, consulto utique Mustapha, vehementer irritato, quod parva militum manu, Famagusta tot menses defensa fuerit. Hic Bragadinus Imperatoris fidem, dexteramque implorare, utque a direptione fortunarum, civiumque cæde suos cohiberet, per internuncium rogare. Ille quasi ignarus omnium, modum impositurum se licentiæ militari pollicetur; additque; se cupiditate flagrare coram intuendi Heroem, cujus virtute urbs suis ruinis consepulta, adversus tot copias in eum diem invicta steterat.

Adfuit

A) Dulcinium, Italis Dulcigno, aliis Olchinium, seu a Colchis conditoribus Colchinium, propugnaculis firmum cum portu. B) Hunc Joannes Sagredo M. Antonium Querinum nominat: Joannes Bapt. Verus Marcum Antonium Quirinum.

Adfuit Bragadinus in nobilium comitatu virorum: quem simulata humanitate primum amice acceptum liberaliter habuit; at posita mox larva comites primum trucidari, deinde ipsum Bragadinum, naso, auribusque male mulctatum, postremo pelle exutum, totoque corpore fœde dilaceratum, in multas partes concidi jubet. A) Hoc velut classico incitati victores, rursum in prædam, cædemque civium feruntur, alios suppliciis laniant, alios in vincula conjiciunt. Postquam urbs incolis exhausta victorum iris pabulum subtraxit, in aras, & cruces insanam rabiem effundunt, omniaque Divina, humanaque jura contemtim habent. Sic violata fide, Famagustani cives misere partim interfecti, partim Byzantium abducti, nobilissimam urbem, Cyprumque Ottomano cessere non sine strage victorum. Nam sexaginta millia (Brietius octoginta millia annotavit) ea oppugnatione cecidisse constans fama obtinuit. B) Mustaphas sua interesse arbitratus, non minori cura parta tueri, quam aliena invadere, validam manum suorum militum Cypro reliquit; ipse vero altero triumpho illustrior Byzantium abiit.

A. C. 1571.

Perdita Cyprus non parvo dolore, pudoreque concussit fœderatam classem, quæ bello Cyprio exardescente, Christianorum Principum studio, in communem hostem comparata, sive discordia Ducum, sive æmulatione, invidiaque nationum nullo operæ pretio (nisi fama sui, & consumpto militum ardore) Adriatici maris litora, aut Peloponnesi oras ingloria legebat. Hoc tandem anno Joanne C) Austriaco, Philippi II. Regis Hispaniarum Fratre, novo Duce instructa, novos simul animos in Asiam advexisse videtur ad victoriam, longe celeberrimam, de jurato hoste reportandam. Et profecto, hunc nisi Imperatorem nacta fuisset, aut sine pugna ad patrios lares reditum fuisset, aut certe hostes ut alias triumphassent. Præerat tum temporis classi summo jure imperii Alys, & Pertaves Purpurati (exauthorato veteri Præfecto Piale, quod per negligentiam dicerentur Famagustani accepisse auxiliares copias) sinumque Corinthiacum obtinebant. Adventante classe Christianorum, disceptatum inter Duces: an signa conferenda; an vero pugna abstinendum? Pertaves etsi pronos plerosque Præfectorum in pugnam intelligeret, tamen non sine omnium admiratione arma dissuasit in belli D) senatu, sententiæque suæ causas attulit. *Inimicam classem, qua spes, viresquæ Christianæ Reipub. vehuntur, invadere optatis Proceres. Videte, ne in hac unica dimicatione, partas hoc anno victorias corrumpatis.* CAUTI, *sapientisque Ducis præcipuum munus arbitror, non sua tantum vota, viresque, sed & hostis expendere, secumque sedulo, & quasi subductis rationibus reputare, quem sibi, quem hosti fructum afferre possit secunda, aut improspera belli sors. E captivis didicistis, hostium classem rebus omnibus superiorem, & quod caput rei, uni Imperatori obsequentem. Non ea profecto confidentia huc appulsa esset, nisi certi de victoria de nobis triumphum præcepissent. Classiarii nostri partim morbis, partim præliis fracti, vix primos sustinebunt impetus. Sed demus nos superiores fore maritima pugna; an propterea uberiorem fructum reportabimus acceptis vulneribus, sanguine profuso, quam si pacati stationem istam tenuerimus, & nonnisi lacessiti ferrum opponamus? aut necessitate adacti Cyprum ostensis eminus armis tueamur? Quanquam Cypro nihil metuam, quod facile intelligam Christianorum classem hac tempestate eo vela non daturam. Imo si paucos dies quietem ferre possimus in hoc securissimo portu, nullaque arte in pugnam nos extrahi sinamus, spero futurum, ut consumpto pugnandi æstu, opinione celerius in patriam retrocedant, & sine pugna eundem victoriæ fructum capiamus. Verbo; festinationem hostibus, moram nobis utilem futuram spondeo. Quare*

A) Hartnaccus in Conspectu Bellorum, paulo aliter necem Bragadini narrat his verbis: „ Marcus Antonius Bragadinus urbe egressus, contra datam fidem vivus deglubebatur, Tribuni palis figebantur, militibus promiscue interfectis, civibus ad transtra religatis, aut venundatis. Facta deditio Famagustæ tarditate auxiliorum, deficiente annona, & pulvere pyrio. „ Hæc ille. B) Scriptores numerum cæsorum multum augent. Nempe unum solatium victorum, qui dum ferro non possunt, calamo non parce superiorem hostem interficiunt. C) Hujus Imperatoris res bello gestas Fam. Strada compendio recitat Lib. X. Dec. I. de Bello Belgico. D) Annales Turcarum.

A. C. 1571. *re cum in hac, quam sponte suscipitis, expeditione, par prope utilitas maneat, sive prœlio decertemus, sive quiete autumnum transmittamus, censeo ab hujusmodi invasione temperandum, & hosce spiritus, magnos potius, quam quæstuosos, in præsentia contrahendos.*

Verum Alys cum cæteris, qui deliberationi intererant, Præfectis, pugnæ avidus, Pertavis sententiam graviter perstrinxit, remque plenam dedecoris asseruit, si invicti Imperatoris classis, tanquam capta, in sinu Corynthiaco in anchoris staret. Addidit Ulucialis Tripolitanus Dynasta, ab ingenio nihil mitior Aly Purpurato, gravissimum Selymi edictum, quo jubebantur omnem opportunitatem arripere, cum Christiana classe signa committendi. Atque istud tandem operosæ deliberationi finem imposuit, omniumque mentes in pugnam abripuit. Itaque sex millibus peditum e Peloponneso adductis, ac in navigia acceptis, in altum educta classis, sinum Corynthiacum deseruit. Dextrum cornu ductabat Ulucialis, sinistrum Mahometes Sirochus Alexandriæ Præfectus, mediam aciem Alys, & Pertaves obtinuere. Hoc ordine secundis ventis subvecta classis, Christianos plenis pariter velis ad Echinadas insulas A) cursum festinantes excepit. Joannes Austriacus, ubi vidit hostes ultro in pugnam prodiisse, spe victoriæ plenus, signum dimicationis edit Nonis Octobris. Concurrentibus navigiis, prælium committitur Turcis improsperum, cruentumque. Ulucialis primus, Andreæ Doriæ triremes aggressus, nautarum celeritate elusus est, cum ii in altum provecti extra teli ictum substiterint, redituri in pugnam, ac sociis opem laturi, si res postularit.

Sed in media acie, quam Austriacus impulit, præprimis pugna fervebat. Præstabat ille quidem navium magnitudine, numeroque, ac nautarum peritia; verum Alys Purpuratus, quem prætorianæ cohortes stipabant, non minus agendo, quam hortando promptus, incredibili fortitudine non sustinuit modo ænearum machinarum ictus, sed etiam cominus ausos congredi, & insilire volentes in prætoriam, qua vehebatur, non semel repulit, ac victoriam diu ancipitem, unus prope ad suos certam transtulit. Tum Alexander Farnesius, Parmensis Dux, Austriaco non minus sanguine, quam militari virtute conjunctus, pudore juxta, iraque incitatus, arrepto prægrandi gladio, in prætoriam generoso saltu se librat, ac circumducto utraque manu ferro, fortissimos hostium trucidat, viamque aperit militibus suis, prope expugnatum navigium omni ex parte inscendendi. Periculum sui Ducis, Ottomani non segnes tulere, qui amisso alibi certamine duabus triremibus accurrerunt. Sed jam Alys e minori tubo confectus auxilio non eguit, cujus caput cervicibus avulsum, ac præalto malo subfixum, quantum vigoris Austriaci militibus suffecit, tantum suis ademit.

Eodem tempore Alexandrinus Præfectus, etsi initio prospere conflixerit, Augustino Barbarico Veneto, qui furentem sustinuit, ob oculum sinistrum sagita percussum excedere coacto; tamen a Joanne Cantareno multis vulneribus confossus vitam, & victoriam cessit. Binis Ducibus in conspectu pugnantium cæsis, mirum dictu, quantopere rerum facies continuo mutata. Turcæ quasi spiritu Præfectorum eatenus pugnassent, amissis iis, in una fuga salutem posuerunt. Ulucialis discrimine classis animadverso, cum per Doriam spatium elabendi nactus fuisset, cum triginta circiter triremibus, virtutis Christianorum testis in tutum evasit. Excusavit quidem factum Doria; non absolvit eum publica fama, quasi timore perculsus, longius abierit cum parte suarum navium, ac aciei ordo postularit. Pertaves infelicis pugnæ dissuasor, inter tumultum fortuna benigniori usus, Peloponnesum cum paucis comitibus tenuit. Hunc in modum sex horarum spatio profligata classe Turcarum, locum Actiaca olim victoria ab Cæsare Octaviano

A) Locus maritimæ pugnæ theatri faciem referre videtur, continente sic cinctus, ut prælliantes omni ex parte conspici potuerint. Adi L. XXII. Comitis Natalis. Nicolaus Parthenius Giannettasius e S. J. L. III. Nauticorum de hoc prælio legendus, ubi mirum quid de ventorum tempestate, dum pugna cœpta.

A. C. 1571.

no relata percelebrem, tanto magnificentius nobilitavit Auſtriacus, quanto ſanctiores cauſæ pugnam ſuaſere. Centum ſeptuaginta navigia intercepta, triginta merſis, cum omni præda victoribus in præmium venere, præter quinque millia captivorum, inter quos Alys Purpurati filii bini, paterni infortunii hæredes, Romanam in urbem a Columna in triumphum abducti, diu ærumnas ſenſere. Denique triginta millia aut pelagus, aut ferrum hauſit. a) Hac obtenta victoria nihil deinceps geſtum a fœderata claſſe, ſive jam hiems inſtaret, ſive diſcordia Duces committeret. Diſcedentibus Auſtriaco, & Columna, Venerius proſecuturus victoriam, Margaretam, Albaniæ oppidum, Turcis eripit, caſtello igne deleto, Suppotoum iterum Dominos ſuos mutare coactum, Albanos primum accipit, dein Venetos, a quibus pace compoſita Selymo reſtitutum fuit. b)

1572.

Ulucialis, quem cladem effugiſſe memoravi, ut victoriam fœderatæ claſſis elevaret, contractis e vicinis portubus navigiis, fluitantibus ſignis captarum quondam navium, ac diſploſis magno numero tormentis, Byzantinum portum triumphanti ſimillimus intravit. Qua ſimulatione urbem luctu, mœroreque depreſſam ob claſſis jacturam, ad publicam lætitiam revocavit, ſive ipſa odio haberet, taciteque damnaret nihil profuturum mœrorem, ſive reipſa decipi vellet hac qualicunque ſpecie inſanientis Ulucialis. Et Selymus, quem non tam perditæ claſſis nuncius, quam inſolentia dicacis populi (qui exuta Principum reverentia, victos in prælio Dominos aculeatis dicteriis proſcindere minime veretur) perculit, delectatus magnopere hac ludicra ſcena, victoris ſi non ſuſtinuit perſonam, victi certe, quam ante adventum nugatoris geſſerat, palam exuit. Igitur Uluciali provincia maris demandata, exeunte hieme claſſis ſuppar priorum annorum, Byzantium penitus recreavit, acceptoque commeatu Peloponneſum adiit famam reparatura. Fœderati ſero admodum veterem arenam ingreſſi, claſſem ſuam Turcicæ non dubitarunt opponere, etſi Joannes Auſtriacus cogendo militi intentus, nondum adeſſet. Ulucialis inter fugæ conſilia, quaſi pugnam oblaturus, claſſem ſuam adeo prope admovet fœderatorum navigiis, ut tormentorum ictibus ſe mutuo infeſtare potuerint. At multo fumo præpediente aſpectum, Ulucialis vetus, cautusque miles, ſolicitatis remis, veliſque in tutum evaſit, amiſſis undenis triremibus ad Maleæ promontorium, quæ in præſenti prælio male mulctatæ, dein Auſtro pelagus everberante, fluctibus ceſſere.

Joannes interim Auſtriacus veteranis copiis Corcyram (quo honoris cauſa obviam proceſſit claſſis, ſummo armorum Præfecto, non ſine ingenti temporis diſpendio) advectis, tantam alacritatem Fœderatis indidit, ut pugnam uno ore omnes conclamarent. Auſtriaco non voluntas, ſed opportunitas defuit cum hoſte congrediendi. Quippe Ulucialis ſubducta claſſe in Methones portum, conatus Chriſtianorum aut ſpectando eludere, aut aſtu intercipere ſine prælio decreverat. Et revera patuit callidum Ducem, nulla arte in pugnam elici potuiſſe, quamvis Auſtriacus oblato ſæpius certamine claſſem explicaret, ſigniſque canentibus, quaſi totidem conviciis hoſtem irritaret. Unum ſupererat, quo firmatam propugnaculo claſſem extraheret in apertum mare. Navarinum haud procul Methone ſitum, ter-

a) Annales Turcarum viginti quinque millium meminere. Anton. Sandinus in Vitis Pontif. ſeculo XVI. hunc in modum ſcribit: „Ejusdem (Pii V. Pont.) auſpiciis, ac precibus relata eſt ad Echinadas victoria de ſempiterno Chriſtiani nominis hoſte Turcarum tyranno, quam divinitus didicit eadem hora, qua parta eſt. Erit hæc ſeculis omnibus admirationi. Nulla poſt hominum memoriam claſſis proſtravit tantas opes. Sine magna Chriſtianorum clade amplius XL. hominum millia cæſa, X. amplius millia capta, CXCV. triremes, aliaque complura navigiorum genera redacta in poteſtatem Fœderatorum, ac plus XV. Chriſtianorum millia reddita libertati. Haud humanæ inde opis videri tanta victoria potuit. Itaque Deiparæ Virgini Pius acceptam referens, commemorationem inſtituit S. Mariæ de victoria Nonis Octob. quo die Turcæ devicti, recolendam, ac litaniis ejusdem Virginis inſeruit: Auxilium Chriſtianorum ora pro nobis. Pii V. Succeſſor Gregorius XIII. ad grates agendas Mariæ Virgini inſtituit Feſtum SS. Roſarii celebrandum in ſingulis Eccleſiis, ubi eſſet Altare Roſarii, Dominica prima Octob. quo die ea victoria parta. Clemens XI. Univerſæ Eccleſiæ commune eſſe voluit, & Breviario Romano Benedictus XIII. inſeruit.„ Hæc Sandinus. b) Iſta uti & victoriam Auſtriaci ad annum ſequentem Annales Turc. referunt.

A. C. restri aggressione frangendum Alexandro Farnesio committit. Ille acceptis 1572. secum bellatorum millibus omnino sex, bipartito exercitu arcem majoribus tormentis verberare aggreditur, spe non vana concepta Navarienses expugnandi. Et credebantur propediem deditionem facturi, cum partim Methone, partim e proximis locis confluentibus barbaris, & introducto in arcem novo milite per occultos montium calles, quos Farnesiani occupare neglexerant, veritus Alexander, ne omni reditu excluderetur, convulsis propere signis, copias, tormentaque classi restituit.

Austriacus quando ne discrimine quidem Navarini in aleam universi certaminis Ottomanos e portu extrahere poterat, reditum in Siciliam meditabatur; cum fortuitus casus utramque classem e statione sua elicuit. Annonaria navis Christianorum, incerto rumore ferebatur apud utrumque exercitum adventare, & a Turcis vehementer urgeri. Ulucialis spe prædæ accensus, ipse partem navigiorum educit. Austriacus periculi annonariæ admonitus, in Ulucialem immittit parem navigiorum numerum: sed ille pugnæ vitabundus, iterum Methonen regreditur, una solummodo triremi mulctatus. Ita transacta meliori autumni parte, Fœderati divisa classe, animisque, ad suos discessere. Isthæc maritima expeditio majori sumptu, quam commodo suscepta, hoc utilitatis attulisse visa est, quod Turcæ contenti Cypro, & dominio maris ad Peloponnesum, pacem cum Venetis anno secuturo sponte inierint.

1573. Dissoluto fœdere, conversis in Africam armis, patuit consilium Philippi II. Hispaniarum Regis, cur societatem armorum deseruerit. Nempe Africa ut monstrorum, ita & multarum inter Regios Principes simultatum ferax, ad longe uberiorem messem gloriæ, & fructus invitaverat Philippum, & Joannem Austriacum, Juvenem bellicæ gloriæ cupidissimum. Verum, ne votis, & expectationi exitus responderet, molitio rerum novarum Austriaco inusta, prohibuit. Invaserat Tunetum, maris Lybici Regiam, Amida a) filius Assanis, sive Muleassis, absente Patre, & ut erat projectæ audaciæ, effrenatæque cupiditatis regnandi, Assanem redeuntem, fraudisque ignarum occupat, atque candenti ferro exustis oculis in ergastulum detrudit. Pari crudelitate in suos fratres Nahaserem, & Abdallam bachatur. Non tulit hominis feritatem Abdamelechus patruus, qui ope Francisci Tovaris Hispani armatus, Tunetum intercipit, & arcem, mentitus Amidæ vultum. Huic post sextum, & trigesimum diem regni, vita functo, succedit Machmetes filius, duos supra decem duntaxat annos natus, nondum per ætatem sedandis turbis suppar. Leguntur e gremio Procerum primarii, quorum maturis consiliis, ætas Principis injuriæ obnoxia, regnumque defenderetur.

Verum cum isti multo crudelius administrarent Rempublicam, quam ipsi Reges, cives excusso impotentis dominatus jugo, & Regem, & curatores loco moverunt. Amida occasioni intentus, intellecta hac rerum mutatione strenuus advolat, urbem, regnumque apud levissimæ fidei cives usurpat. At non diuturnum regimen illi fuerat. Ottomani etenim, quorum potentia in Africa creverat, Amidam Regio solio deturbant, oramque illam maritimam sui juris factam, Uluciali, cujus ductu, virtuteque vicerant, gubernandam tradunt. Amida patriis fortunis semel, atque iterum dejectus, perosus fluctuantis aulæ procellas, Guletam, tanquam securum rerum suarum portum, cum duobus filiis petit, privatam fortunam animo pacatiori, quam Regiam laturus. Sed dominandi libido inescatum pridem animum, in pristinas turbas rapuit. Philippi Regis, & Joannis Austriaci opem, cujus nomen maritima victoria multum inclaruerat, cum literis, tum internunciis imploravit, pollicitus non annonam solum, apparatumque bellicum, suppeditaturum se, sed etiam Tunetanum populum in Turcas concitaturum, modo classis Hispana, arma Africæ cominus ostendat.

Habita fides barbaro. Austriacus veteranis legionibus in Africam trajectis, Tunetum, nemine resistere auso, capit; Bisertam admoto terrore

subigit,

a) Annales Turcici.

subigit, tanta nominis fama, ut fracta Turcarum, Maurorumque ferocia, in latibula sua refugerent armati, & metentem victorias sine sanguine Hispano, eminus mirarentnr. Amida, sive consilium accitæ Hispanicæ classis serio damnaret, sive apud populares suos expeditionis istius author haberi nollet, sive metueret, ut ne Machmetes, quem Austriacus secum advexerat, summam principatus obtineret, nusquam comparuit. Jamque Austriacum suspicio occuparat, mutasse Regulum animum adversus Hispanum, dubitaveratque, num Amidam, num Machmetem Regia dignitate ornaret? cum ipsi cives Tunetani graviter læsi Amidæ sævitia, pro Machmete intercessere. Et Austriacus in hunc pronior, quod magis serviret scenæ, quam adornasse dicebatur, civium vota rata habuit, attributis Hispanis, qui Machmetis, aut verius Austriaci nomine regnum moderarentur. Ne vero ea facilitate excideret Tunetano regno, qua acceperat, munitionem inter Guletam, Tunetumque Gabrielis Serbellonii opera, propugnaculis, saxeisque operibus firmam excitavit, victorque in Italiam rediit. Alte offendit isthoc Philippum, quod jam certis indiciis teneret, Austriacum Regiam sedem in Africa sibi destinasse, suspicionemque intendit Gregorius XIII. Pontifex, qui agebat tum maxime de Joanne Austriaco, Tunetani Regis appellatione decorando.

A. C. 1573.

Sed solicitudinem, quantacunque Philippum habuit, Selymus non multo post detersit, misso Sinane Bassa, & Uluciale cum validissima classe in Africam. Eo anno pestifera lues Cyprum, Ægeique maris insulas dire populata, Byzantinos subinde tanto furore, pervicaciaque invasit, ut plerosque classiarios confecerit. Quam ob causam multum, diuque sudandum erat Præfectis, ut ex Asia, Europaque periti contraherentur, qui nautarum ministeria, remigumque obirent. Sinan ex Albania oriundus, qui Arabiam nuper rebellantem in obsequium coegerat, suarum copiarum partem in hanc expeditionem accepit: & Ulucialis non minus ore, quam manu promptus, sua dicendi facultate plurimos pellexit, ut Africanæ militiæ nomen darent, tanto concursu juventutis Ottomanicæ, ut legiones peste attritas abunde suppleverit. Prospera navigatione usi, exeunte Martio Africæ litora tenuerunt. A) Convocati e Meninge, Tripoli, aliisque Turcici juris oppidis, ingentem exercitum conflarunt. Serbellonius, vir summæ industriæ, Guletam utcunque tum novis operibus, tum milite firmaverat; sed quod Petrus Carrera minus strenue locum tutatus fuerit, hosti cessit; quamvis in tempore alia, atque alia auxilia a Serbellonio accepisset. Obtruncati sunt plerique præsidiariorum; Carrera ignaviæ tulit præmium, vincula. Sunt qui proditionis arguant Carreram; at manifestum argumentum huic criminationi semper deerat, NISI forte prodere urbem dicendus sit, quisquis urbem impari animo suscipit defendendam.

1574.

Paulo atrocius ad novam munitionem, cujus Serbellonius author, defensorque fuit, certamen exarsit. Adductæ sunt eo omnes copiæ, viæque interclusæ, ne quid auxilii obsessi sperarent. Tum tormenta majoris formæ in mœnia obversa, dies, noctesque in propugnacula detonabant; eaque, quod paucos ante menses, celeriterque, nec satis firmo opere surrexerint, perpetuis ictibus cesserunt. Fortitudo nihilominus Hispani militis sub tanto Duce invicta stetit. Postremo terna propugnacula (accepere illa sua nomina a primariis Ducibus Africanæ expeditionis, nempe Joanne Austriaco, Doria, Serbellonio) invadunt hostes, & per ruinas telorum nimbo repulsis, cæsisque defensoribus propugnaculi, cui a Serbellonio nomen erat, ad intima munitionis penetrant. Serbellonius præsentis periculi commonefactus, relicto paululum propugnaculo Doriano, Turcas victoria lætos cum veterana cohorte aggreditur, ac fundit. Eodem æstu, dum suam stationem repetit, videt jam signa Ottomanorum mænibus defixa, suos palantes hinc illinc cædi. Ipse paucis comitibus stipatus, a pluribus circumventus capitur.

Guleta,

A) Classis immissa mari Ægeo Rhodum, Peloponnesum, Corcyram, Hydruntem, Siciliam prætervecta in Africam, sive Barbariam appulsa est.

A. C. 1574. Guleta, munitioneque in auras ejecta, victor Sinan A) ad delendos Hiſpano nomini addictos prorupit. Toto regno quæſtiones habitæ, proditosque partium Hiſpanorum ſtudioſos, ſatellitum furori jugulandos permiſit. His e ſententia geſtis, tradita provincia Uluciali, Byzantium rediit cum ingentibus ſpoliis, gloriaque bellicæ fortitudinis. B) Serbellonius, Carrera, Machmetes, ſcenicus Rex, aliique nobiles, catenis onuſti triumpho pretium addidere. Sed Serbellonius in libertatem aſſertus a Gregorio tertio decimo, commutatione captivorum, qui navalis victoriæ reliqui in Adriana mole attinebantur, res præclaras egit in Belgio, Auſtriaco in paucis acceptus. Vir exactæ non magis ætatis, quam diſciplinæ militaris exemplum. c)

Cum debellatum eſſet ſex, & triginta dierum ſpatio in Africa, majora jam animo volvebat Selymus non ſane bellicoſus Imperator. In Melitam, quæ Solymanum Patrem turpiter repulit, bellum coxit cum Purpuratis, cumque intelligeret præſidium primarii nominis vinci non poſſe ſine maximis copiis; provinciarum Præfectis negotium dedit, ut militem conſcriberent, cæderent ligna, materiasque comportarent ad maritima loca in claſſis conſtructionem. Mahometes Vezirius, & Sinan, qui jam cunctos in aula gratia anteibant, bellicum hunc apparatum non minus ſtrenue, quam ſapienter curarunt, Selymoque, ut tantos ſpiritus aleret, faces admoverunt. Sed Imperator curarum impatiens, morbo fatali correptus, paucos intra dies extinguitur idibus Decembris ætatis anno octavo, & quadrageſimo, poſtquam ſummæ Imperii præfuit annis omnino octo, & tribus menſibus. Quanquam, ut erat a primis annis Bacho, Venerique deditus, molem Imperii non tam ipſe cum dignitate ſuſtinuerit, verum aliis potius gubernandam commiſerit. Torpebat itaque omnibus Imperii annis, & principatus fortunam inerti luxu tenebat, medio diei temulentus, atque ſagina gravis. Ab hoc uno facto laudem maximam a Scriptoribus conſecutus, quod eos viros Imperio, copiisque præfecerit, qui bellicis artibus ſub Solymano exculti, novis provinciis, novisque triumphis Byzantium ornarunt. TANTI eſt conſiliis prudentum obſequi, licet cæteroquin inertem vitam Princeps duxerit. NEQUE enim Princeps, niſi recta conſilia admittat, dare poteſt, aut exequi. Et Selymus quidem plerumque curarum vacuus, otium, fœdasque libidines, otii comites, in deliciis numeravit, crebroque commeſſationibus, in ſeram noctem protractis, vino, aliisque potibus ſe largius proluit. Vitellium D) alterum obtinuiſſe Imperium diceres, adeo nemo in illa aula probitate, vel induſtria certavit. Unum ad favores iter prodigis epulis, & ſumptu, ganeaque ſatiare inexplebiles Principis libidines. Miles interea e diſciplina Solymani factus, ingentes victorias retulit in campo, & non Selymo Imperatore dignus. Cadaver pro more gentis, apud ædem Sophiæ, Magni Juſtiniani Cæſaris opus, ſepulchro illatum eſt. E)

AMURA-

A) Apud Scriptores etiam Sinanes legitur, quo nomine & ego aliquando utor. B) Daniel Hartnaccus in Conſpectu Bell. Turc. ad annum MDLXXIV. Africanum hoc bellum paucis complexus eſt: „Tuneto, inquit, Goleta, & toto pene regno Africano quod Carolus V. ſibi ſubjecerat, XXXVI. fere dierum ſpatio, omnes Hiſpani tota Africa ejecti ſunt. „ c) Gabriel Serbellonius excitandis, ac defendendis arcibus æque promptus, in Belgium ſecutus eſt Joan. Auſtriacum, ubi Antverpiæ arcem, frænum civibus futuram, eduxit; mox dirutam conſilio Gulielmi Naſſavii Orangii Principis, qui author Reipub. Hollandicæ dici poteſt. Auſtriacus fatis ceſſit cal. Octob. in permunitis caſtris Bugæis haud procul Namurco Belgii urbe anno 1578. Fam. Strada Dec. I. Lib. X. D) C. Cornel. Tacitus Hiſtoria. L. II. E) Libitinarius Index Osmanidarum.

AMURATHES III.

IMPER. OTTOM. VI.



Nter Principes Ottomanici nominis, ſævitia, avaritia, cæteriſque animi vitiis adeo eminuit Amurathes, ut, ſi bellicoſos ſpiritus demas, quos tamen non niſi privatos inter parietes fovit, virtus nulla apud eum domicilium repererit. A Mahomete Vezirio ex Amaſia evocatus decedente Selymo, Imperator ſalutatur Byzantii, viceſimum ſeptimum nondum ſupergreſſus annum, utque ſecurus Imperium teneret, atque ad poſteros ſuos transmitteret, quinis A) fratribus in conſpectu trucidatis, hilaria inaugurationis inhumana ſane, & funeſta cataſtrophe peregit. Ita uno die lætiſſimis vocibus plaudentem urbem, ſubita converſione publicum in luctum, & lamenta mutavit, docuitque: RARO tyrannos principatus inſignia capere ſine propinquorum cæde. Et apud Ottomanos quidem inſana conſuetudo inoleverat, ut maximus natu jure naturæ Imperio potiatur, reliqui non tam in dominatum, quam certiſſimum interitum naſcantur; ſive iſthoc impotens regnandi libido, ſive Imperii ſalus perſuadere videatur. Vix inito Imperio, a Janicsaris tumultuatum fuit, ſtipendia certatim expoſcentibus; quos tamen perſoluta pecunia ad obſequium revocavit. Quo exemplo animati equites, & ipſi ſtipendia efflagitarunt tanto ferocius, quanto ob exantlatos in Cyprio, Africanoque bello labores, æquiora depoſcebant. Hos pariter præſenti ære placavit, adeo ſubinde exhauſto ærario, ut vix ullum in numerato aurum, argentumque haberet. Nempe: ET maxima flumina areſcunt, ſi in multos diſcindas rivos. At hominem divitiarum ſupra modum cupidum, repente fortuna beavit, ærariumque cumulate auxit; tanto quidem minori odio, quanto minus a communi populorum tributo, ſubſidium illud pecuniarium Byzantium perlatum.

A. C. 1575.

Aſſanes Algerii Præfectus, ingentes theſauros corraſerat, eosque tenaciſſimus Chremes non ſine diſpendio quietis clam domi ſervaverat. Res prodita Amurathi. Ille continuo fidos dimittit, qui ea cura, ſolicitudine Aſſanem ſolvant. Protracta ſunt in lucem bis centena millia Sultaninorum; præterea maxima vis infecti auri, argentique; quæ omnia in ærarium illata tanto ſilentio, ut ne Aſſanes quidem Algerium redux (nam id temporis Byzantii apud Imperatorem verſabatur) ære vacuus de injuria ſibi facta conqueri auderet. Cæterum Amurathes cum a bellis eo maxime conſilio abhorreret, quod ſumptus non parce ſuppeditandi in militem forent, cum Maximiliano Cæſare inducias ſub Selymo initas, B) & Veneta Republica, fœdus proxime ictum, confirmat.

Sed Perſia turbis domeſticis implicita, & imago per nocturnam quietem Amurathi objecta, & callida interpretatione a Sacerdote quopiam explicata, c) invitum ad arma impulere, quæ duo dicere nunc aggredior. Nec vitio mihi datum iri arbitror, res Perſicas hic commemorare, quando quidem eæ ita connexæ ſint Turcicis, ut Perſiam petiturus in Byzantina Regia hærere videri poſſim. Techmaſes Perſarum Rex, bella varia fortuna geſſerat cum Solymano; viſoque Ottomanos etiam victos ferociores in Perſiam ſemper redire, pacem bello præhabuit, eamque, quoad rerum potiebatur, deinceps coluit. Verum Iſmael (ſecundo loco is natus erat) deſidem, ingloriamque vitam, genio certe ſuo infeliciſſimam, averſatus, arrepta occaſione Turcas irritandi ad limites Perſiæ, ut erat acerrimus illorum hoſtis,

1576.

A) Annales Turcarum. B) Iſtvanff. L. XXV. Maximilianus II. Ratisbonæ obiit anno 1576. c) Apud Annales Turc. cauſas belli ſat perturbato ordine reperies.

A. C. cum aliquot millibus erumpit, luculentamque plagam regioni infert. a)
1576. Graviter, ut debebat, permoleſteque id tulit Techmaſes, cumque repetitis vicibus eadem levitate præceps in arma rueret, filii præferoces auſus carcere caſtigandos cenſuit, ne unius culpam, Perſia multo ſanguine elueret. Sed Ismael adeo præcelſos ſpiritus non poſuit, ut eos etiam longa captivitas multum auxerit, irritaritque. Techmaſes ingraveſcente in dies valetudine fractus, proſtratusque, qui pro dignitate ſuſtineret rerum molem, in Hajdarem Miriſem, filium tertio loco genitum; juventa prævalidum, experrectique vigoris Principem, mature tranſtulit. Proceres mortuo Techmaſe averſati Hajdarem, regnum deferunt ad Hodabendem, quem Scriptores etiam Codabendem nominant, maximum natu filium Techmaſis. Verum ille privata fortuna contentus, procellas aulæ videre eminus, quam iisdem involvi maluit.

Quapropter capto in arena conſilio, Ismaelem diuturna cuſtodia liberum, in thronum Regium collocant. Magiſtratum adeptus civium favore, Hajdarem cum paucis reluctantem ferro obtruncat. Jam regni ſecurus, exploraturus quorundam fidem, in latebras ſe conjicit, atque per veteres, fidosque ſatellites rumorem ſpargit (malo ſcilicet omine) Ismaelem repentina morte ſublatum, Perſiæ regnum neceſſitate fati alteri ceſſiſſe. Atrox rumor brevi univerſas provincias pervaſit, Procerumque animos varie affecit. Viſi ſunt nonnulli audita morte, non dubia lætitiæ ſigna prætuliſſe, qui pugnacem Ismaelis indolem nuper averſati, authores fuere Techmaſi, ut filii ferociam libertate adempta edomaret. Hos ille e latebris ſuis prorumpens, ut erat impotens iræ, e medio ſuſtulit. Per idem tempus Curdorum b) Princeps, tyrannide Turcarum offenſus, ad Ismaelem deſcivit, quem cum amice acciperet, defectionemque probaret, Husreves Wani, finitimæque regionis Præfectus, Perſarum provincias incurſavit, induciasque abrupit. Ismael bellorum maxime ſtudioſus, exercitum cogit inimicitias veteres, novasque bello perſecuturus. Verum a ſorore ob Religionis ſtudium veneno ublatus, Hodabendi fratri, & regnum, & bellum perdifficile reliquit. In hunc modum utraque pars irritata, in dies majori odio concepto, inſtructis copiis campum petiere.

Et Amurathes tanto alacriori animo in Perſiam arma inferri juſſerat, quanto malitioſius a veteratore inflammabatur. Secundum quietem videbatur ſibi Imperator in umbilico orbis terrarum conſtitiſſe ſub umbra vaſtiſſimæ arboris, cujus bini rami in immenſum ad Orientis, Occidentisque plagas diffuſi, ſolem adeo denſo foliorum implexu arcebant, ut is nunquam pedem arboris viderit. Tum ſerpentem raræ magnitudinis hianti rictu feſtinaſſe, quem ille fuſte armatus, ictibus exanimem proſtravit. Hæc deliria ludentis Morphei, Scheiches, Sacerdotum facile præcipuus, expoſuit: Amurathem Perſiam debellaturum, hoſtem acerrimum Imperii Byzantini jugulaturum. Iſthoc ſerpentem contuſum non vane portendere, modo ſequatur non lentis paſſibus fortunam vocantem. c) Amurathes, qui jam bellum a Perſis parari inaudierat, his talibus inductus Hodabenden juſto exercitu petendum decrevit, quamvis ille pacis firmandæ cauſa, Byzantium ſuos dimiſerit.

1578. Copiis præire juſſis, Muſtaphas ſupremus copiarum Præfectus, initio menſis Auguſti Georgiam d) ingreſſus eam ditionem ducentis armatorum millibus inſedit, fuſisque limitum Præfectis Tefflim e) urbem occupavit. Inde difficili itinere exercitum in provinciam Sirvam, a Perſis prius ferro, & igne in ſolitudinem redactam, deducit. Amnis, quem vado tranſire tentaverat, inſignem militum jacturam intulit. Quippe cum in celeritate

tate

a) Byzarus ait L. XI. ter ab Ismaele clandeſtinis eruptionibus pacem turbatam circa annum 1566. b) Curdi videntur fuiſſe Chaldeæ, & Meſopotamiæ populi. c) Narrant Annales Turc. & aliud ſomnium. d) Georgia, olim Colchis, nunc Gurgiſtan, mari nigro, & Caſpio alluitur: provincia ubertate frugum nulli ſecunda. Religio Chriſtiana multis erroribus deturpata. Robur Perſici equitatus e Georgianis conflatur; quorum fides, & fortitudo Turcis ſat nota eſt. e) Teflis, ſeu Tifflis Georgiæ caput, ſæpe Turcico, Perſicoque ſanguine perfuſa.

tate victoriam poneret, moræ omnis impatiens, equites, peditesque nandi rudes, & armis graves, sine discrimine fluvium superare jubet, qui rapido impetu decurrens, septem, & decem millia cum jumentis, castrensique supellectili absorpsit. Metropolis, nulla vi adhibita, quod incolæ cum militia Persica in interiora regni semet reciperent, in Mustaphæ potestatem venit. Isthic denominato provinciæ Præfecto Osmane Bassa, attributisque aliquot signis Janicsarorum, in Armeniam majorem reliquum exercitum reduxit. A. C. 1578.

Hodabendes, ut Turcarum progressus sisteret, collecto numeroso milite urbem Sirvam cæsis præsidiariis recuperat, ardoreque militis usus omnem provinciam paucis post diebus eripit. Osmanes periculo feliciter evitato, pauca suorum manu stipatus Derbento urbi a) se, suasque fortunas credidit. Dominabatur in eam urbem Schemhalis gente Tartarus, Regulus vicinæ regionis, quem Osmanes blanditiis, simulataque amicitia, adeo sibi devinxerat, ut filiam illico in uxorem dederit. Perdita mulier, ac scelerata, mariti amore cæca, parenti optimo venenum miscet, vitamque eripit, a quo suam accepit. Osmanes beneficio festinatæ mortis, opimam hæreditatem adeptus, extemplo Amurathem certiorem facit, oratque, ut cum plurimum intersit Ottomanicæ Reipublicæ, ad Caspium mare Imperium fundare; mitteret subsidiarias cohortes, quarum viribus novum dominatum stabiliret. Aderant anno sequenti sexaginta Tartarorum millia, Ductoribus binis fratribus, Tartariæ Reguli, qui jussu Amurathis jugulatus est cum suis filiis, ut infra narrabimus.

Tartarorum copiis auctus Osmanes, mitescente hieme in Persarum provincias late grassabatur, percursandoque oppida, & vicos, ingentes ex agris prædas colligebat. Ulti sunt Persæ detrimenta provinciis illata, facta tanto majori strage hostium, quanto minus statariæ pugnæ patientes Tartari. Dux alter captus, alter in fuga cæsus, Osmanes ægre victorum iram evadens, Derbentum rediit cum paucis. Hic ille suum Imperium, unius urbis ambitu circumscriptum, tueri aggressus, locum a natura sat firmum, amplius munire cœpit; certus tum demum dominatu se dejectum iri, quando hanc urbem amissurus. Non tamen idcirco prædis abstinuit. Nam Tartari, quos cupido rapinarum, in aperta etiam discrimina egit, pro more gentis agrum Derbento proximum populabantur, nec religioni sibi ducebant, ipsos Turcas, amicitiæ vinculo conjunctos, opimis spoliis nonnunquam intervertere. Tum si major vis ingruebat, evitato prælio in suam se Trojam celerrime recepere. Neque incolis tantus animus aderat, ut Osmanem ea sede depellerent, quod is præter cohortes aliquot Janicsarorum, æneis machinis mænia firmaverit, quarum fragorem adeo non tulerunt Siruani, ut eminus percepto e propugnaculis tonitru, putarint excussum e nubibus fulmen, in capita sua non sine certissima strage destinari. Ita Osmanes occupata tyrannide, belli rudem, agrestemque populum territabat, Persis Mustaphæ obsistentibus. 1579.

Is urbe Carseo, quantum per hiemem licuit, obvallata, rursum in Persiam irrupit. Sed Mustaphæ fortuna fastidio, ac satietate capta videri poterat, adeo omnia adversa veterano Duci, ac terrestri, maritimaque victoria clarissimo acciderunt. Modo a Persis, modo a Georgianis prælio lacessitus, semper victus discessit, & cum Hodabendes omnes calles suo exercitu insedisset, nec Turcæ altius se inferre possent in Persidem bello intactam, per regionem incendiis, rapinis deformatam cogebantur iter facere. Ex quo arctiorem in dies experti annonam, deinde pestiferam luem, e suo exercitu longe plures amisere hoc malo, quam ferro hostili in tot minutis præliis perierunt. Hoc intellecto, Amurathes jubet copias in Amasiam hibernorum causa redire, ut in patrio solo recreati, primo vere majoribus animis, & viribus expeditionem Persicam aggredi possint. Mustaphas summum dedecus interpretatus, si exercitum in provinciam Amasiæ reduceret,

a) Derbentum urbs ad mare Caspium sita.

A. C. 1579. per Armeniæ oppida milites distribuit, A) ubi grassante per autumnum, hiememque morbo correpti, & rerum inopia, & ægritudine animi, quod contra, quam ominabantur, Persicum bellum cederet, non pauci veteranorum occubuerunt, qui in Hungaria, Cypro, Africa insignes victorias confecere. B)

Abeunte Mustapha in Armeniam, Persæ in hosticum effusi, palam se victores ostenderunt. Id vehementer doluit Imperatori, qui non nisi triumphos inter gregem spadonum Byzantii somniabat. Urget Mustapham, ut Persarum procursiones cohibeat, copias suas opponat. Sed is non ausus animis fractum exercitum objicere victorum furori, in Armenia quieti indulsit, hostique liberam grassandi facultatem dedit. Imo, si maxime voluisset vim Hodabendis cohibere, per seditionem Janicsarorum frustra egisset. Quippe cum viderent extremam Ducis socordiam in curanda annona, ac propterea suos commilitones morbis, fameque enecari quotidie, imperium Mustaphæ sprevere. Instaurata subinde ferocius seditione, militari obsequio erga Ducem exuto, de eo interficiendo consilia iniverunt. Etenim præter communem exercitus calamitatem, & fortunam nimium adversam, Mustaphæ odium conciliavit avaritia singularis, qua ille opimas præfecturas quasi sub hasta vendebat, quique plurimum æris numerabant, iis, neglecta bellica virtute, promptus offerebat. Hæc talia per Janicsaros Amurathi nunciata, Mustapham dignitate moverunt, & quod pronum apud barbaram gentem, pene vita privarunt. Et Amurathes quidem tot querelis præter modum irritatus, actutum miserat in Armeniam Kihajam, Janitorum Præfectum, ternis literis, sive decretis, Turcis Buyurdi, instructum, quarum alteris jubebantur tradi Quæstor exercitus, & Magister epistolarum, Mustaphæ a secretis: alteris monebantur milites, ut ne Kihajæ graves forent, tertiis denique caput Mustaphæ petebatur. Ille non ignarus imminentis tempestatis, exercitum tribus in locis tendere jubet, ut ipsi milites nescirent, quibus castris præesset Vezirius. Kihajas cum ultro, citroque castra obiret, neque ad Mustapham aditum haberet, ratus hanc ludificationem Amurathi, sibique probro cessuram, ni pro imperio rescinderet, minaciter postulavit in alloquium admitti. Agnovit homo callidus juxta, ac audax e Kihajæ minis, de suo jugulo rem esse. Et quamvis certis indiciis teneret, se apud exercitum omnium odio ardere, tamen memor laborum, quos sub ternis Imperatoribus exantlavit pro salute patriæ, de impetranda Principis sui gratia spem nondum abjecit. Quapropter plenum periculi consilium init.

Circulum, quem censoria virga designaverat, armatis, sibique fidissimis cohortibus circumdat: ipse ingressus circulum Kihajam in colloquium accersit. Iste veritus, ne in se militum accenderet iram, suppressis Soltani literis, quibus feralis sententia adferebatur, alteras e sinu protrahit de tradendis Quæstore universi exercitus, & Nischanzio Mustaphæ a secretis, hominibus arcanorum consciis, ac multorum criminum reis. Hic tergiversari Mustaphas, quærere effugia inutili disceptatione, tueri utriusque incorruptos mores, ac fidem in Imperatorem; nihil non agere, quo sartam, tectamque eorum libertatem servaret. Sed cum Kihajas obtenderet Amurathis voluntatem, data, acceptaque fide neutrum morte afficiendum; e castris Constantinopolim abducti sunt, quæstionibus judicum subjiciendi.

1580. Mustaphas c) tradita provincia Sinani, qui Africam recuperaverat, Byzantii adfuit nono Aprilis nihil magnopere formidans, sive quod facile speraret redempturum se Amurathis gratiam, sive quod causæ suæ multum tribue-

A) Mustaphas sibi delegit urbem Erzerum, aliis Arzerum, caput Armeniæ, nunc Turcomaniæ.
B) Bizarus L. XI. meminit aliquot præliorum, quibus Persæ superiores erant. c) Annales Ferdinandei concinnati studio Francisci Christophori Khevenhilleri. De his Annalibus pag. 956. Bibliothecæ Historiæ selectæ hoc encomium lego: „ Nobilem Historiæ Universalis Europæ ejus ævi partem intulit. Incipit ab anno 1578. & ad annum 1639. res gestas deducit. Primis typis non nisi 40. exemplaria edita, alii & hunc numerum minuunt. Nunc copiosius habentur. „

tribueret. Et quanquam aula abſtinere Imperatoris juſſu debuerit, tamen A. C. 1580. partim amicorum precibus, partim auri fulgore, irati Principis animum adeo emollivit, ut nuper in carcerem abrepti, extemplo libertati, priſtinæque dignitati præter omnium ſpem reſtituti fuerint: etſi dicerent, qui Amurathis mentem altius inſpexerant, iſthoc ſimulatæ potius, quam ſinceræ benevolentiæ ſignum fuiſſe, cum & deinceps in conſpectum ejusdem admiſſus fuerit nunquam. Virum præcipuis aulæ, bellique officiis a pueritia aſſuetum, tanta ſeveritas Imperatoris alte pupugit, poſtremoque domeſticarum rerum tædio captum, ac Perſici Oratoris adventu perculſum, penitus proſtravit. Nam ſub initium menſis Auguſti in morbum incidit, & biduo ægrotans, compoſitis humanis curis fato conceſſit. Sunt, qui veneno ſublatum ferant: perinde quaſi nemo Principi offenſus, inviſusque diem ſupremum obeat, niſi accerſita morte. Apud Byzantinos vulgatum erat: Muſtapham in ſemetipſum crudelem extitiſſe, ut feſtinata morte feralem zonam collo indendam præverteret, æmulorumque lætitiam, dubio Amurathis animo, hac via minueret. Illius opibus (vicies centena millia Sultaninorum erant) in fiſcum redactis, Nepotes, quo vitam ſuſtentarent, in aulam translati ſunt. Hunc exitum ſortitus eſt Muſtaphas Africæ terror, Cypri debellator, Divina juſtitia vindictam ſumente de hominis perfidia, ut, qui ſanctitate pactorum ſuperbe violata Bragadinum, cæterosque Famaguſtæ propugnatores, cum civibus exquiſitis ſuppliciis mactavit, a fortuna deſertus, militum, Imperatorisque odio contabeſcens, in ſemetipſum veneno ſæviret. A)

Rem haud ingratam me facturum arbitror, ſi Mahometis (plerisque Scriptoribus Mehemetes) ſupremi Vezirii fatum, Muſtaphæ addidero. Is ſuperiori anno author fuit Amurathi, ut quasdam legiones, pace compoſita cum Chriſtianis Principibus, dimitteret. Factum hoc plerique militum pacato animo tulerunt; graviter uſſit unum aliquem fraudati ſtipendii jactura, doloreque ægrum in rabiem extremam efferavit; certum non prius furorem ponere, quam Mahometem ferro vindice e vita proturbet. Nec ſtatuit ferocius, ac fecit. E militia profana in religioſam adlectus, inſtituto Derviſiorum B) nomen dat, multoque fortius animum ad grande flagitium obfirmat. Pro more religionis ſuæ, dum urbem oberrat Byzantinam, ſtipem collecturus, ædes Mahometis data opera petit, meditatum facinus executurus.

Eo temporis primores Purpuratorum apud ſe detinuerat Mahometes negotiorum cauſa, cumque Derviſius acceſſum urgeret intento clamore, Mahomete volente, in conclave admiſſus fuit. Porrectum ſupplicem libellum, ubi percurrit fraudis inſcius, ſceleratus nebulo opportunitatem nactus diſtringendi ferrum, quod ſub laciniis occuluerat, tam alte demerſerat ſicam in viſcera legentis, ut ſtringere volentem gladium in ſui defenſionem, vires deſtituerint, ſtatimque accurrentes ad fatalem plagam, exanimem repererint. Author cædis e veſtigio captus, memorabile ſupplicium tulit. Hoc modo trium Imperatorum præcipuus Vezirius, ac Szigethana expugnatione multum nobilitatus vitam belli, domique inter ſummos honores transactam Amurathis, civiumque mœrore clauſit: docuitque, TUTIOREM eſſe exercitus Ducem inter hoſtium tela in caſtris, quam domi procul ab armorum fragore poſitum. Nempe INIMICORUM tela vitare conamur, in amicorum ſponte ruimus. Vezirii dignitatem, Mahometis morte liberam, accepit Achomates: c) huic paucis poſt diebus extincto ſucceſſit Sinanes, ſeu Sinan, qui Muſtaphæ æmulus, Perſicum bellum, eo exauthorato, proſecutus eſt, ut jam dicemus.

Abeunti ad exercitum Sinani viceſimo quinto menſis Aprilis, ſigillum Imperiale, vexillumque (quæ inſignia ſunt ſupremi Vezirii, ſeu ut Tur-

A) Bizarus, & Annales Turcarum. B) Repete ea, quæ commemoravi pag. 61. c) Annales Ferdinandei. Multi hujus nominis minores, majoresque Præfecti leguntur. Inde rerum perturbatio.

A. C. cæ vocant, Veziris azemis) per Kihajam misit. Qua ille dignitate multum
1580. recreatus aulam adiit, ac Imperatoris manum osculatus, rursum acinace donatur cum generoso sonipede. Per minorem Asiam itinere facto, non exiguam militum manum legit, Tartarorum etiam Rege auxilia ferente. Sed suppleri his copiis non poterant legiones, adeo exercitus partim ferro, partim fame, morbisque accisus erat. Et Sinanes, qui Mustaphæ adversam fortunam amaris salibus in aula nuper traduxit, quive ingentes spes Imperatori fecit Persidis occupandæ, cum videret rerum angustias, admodum timide in hostes egit. In Georgiam profectus, revocare militem non potuit, quin nova clade priores exasperaret, amisso etiam bellica penu. Alteram accepit longe funestiorem ad Tefflim urbem, quæ longam obsidionem perpessa fuit. Huic ille præter delectos milites annonæ tantum, quantum pe tierant, misit. In conspectu urbis a Georgianis, Persisque concisi tanta rabie, ut ne nuncius quidem cladis in castra redierit. Non propterea tamen obsessi ferociam exuerunt. Ad devorandos mures, canes, obscæna quæque adacti, mænibus suis firmiores perstitere, donec his omnibus consumptis, macie, palloreque armati urbem subdidere Persis.

Cæterum Hodabendes, quamvis secundo cursu res bellicæ fluerent, variantis nihilominus belli aleæ memor, Maxuden Legati nomine ad Amurathem ablegat. Grata primum Purpuratis legatio, deinde cum Turcæ pertinaciter exposcerent terras, quas Mustaphæ sonipes calce signasset, neque Persæ victores eas cedere vellent, odio majori bellum recruduit. Maxudes hoc munere defunctus, cum domi res privatas curaret, perduellionis crimine arcessitur, æmulorum utique invidia, qui legationem spe devoraverant. Ille sive re vera conscius objecti flagitii, sive tantæ invidiæ impar, a Principe suo aperte descivit, atque Byzantium festinato itinere evadens, Ferhatem Bassam in Persicum bellum proficiscentem secutus, arma sumpsit, ulturus crimen falso sibi impactum, A) aut novis indiciis justam delationem firmaturus.

1581. Cum Persæ Ottomanos in fœdus flectere haud possent, belli curam intenderunt longe maxime, atque ad limites suos minabundi constitere, dum Sinanes sui exercitus nervos superioribus annis incisos animadvertens, inducias perficeret opera Chausii ad Hodabendem missi. Persæ etsi apertum rebus maximis gerendis campum cernerent, facile tamen pacis consilia admiserunt, polliciti Oratorem missuros se Byzantium, fœdusque acceptaturos. Nihil isthoc gratius evenire potuit Sinani. Etenim homo sterile bellum, adversantibus fatis cœptum, pertæsus, Byzantium cogitabat, ubi honoris certus, apud Amurathem primus dominaretur, Legatorumque non minus postulata, quam præmia exciperet. Itaque non tam e re, usuque Imperii, quam sui causa, armorum cessatione precario impetrata, Osmane præesse jusso copiis, Constantinopolim abit, Purpuratorum, nobilitatisque Byzantinæ corona in Aulam deductus.

1582. Nec minori spectaculo cives detinuit Ibrahimus Cham Orator Hadabendis, Regia prope magnificentia Byzantium invectus. Ter centenos equites armorum, vestiumque splendore ad spectaculum instruxit, ut vel inde opum amplitudinem, militum florem Regni Persici æstimarent Turcæ. Cum hoc comitatu ad pompam, dignitatemque adornato urbem intravit, partim ut fœdere icto pax inter utramque gentem coalesceret, partim ut solemnitati circumcisi Mahometis, Amurathis filii interesset. Octavo, & vicesimo die mensis Maji, solennia hæc cœpta variis in lætitiæ argumentum honoribus, ludis, muneribus prosecuta est urbs, cum alias, tum per eos dies ad tantæ celebritatis splendorem affluentibus vicinis nationibus Amurathi obnoxiis, multo frequentissima. Aderant præter Purpuratos, undantemque populum, Rudolphi II. Cæsaris, Regisque Hungariæ, Stephani Bathorii Regis Poloniæ, Hodabendis Persiæ, Reipublicæ Venetæ, Regulorum Africæ, & Tartariæ, Principum Transylvaniæ, & Valachiæ Legati, Hippodro-

A) Annales Turcarum.

podromumque, ubi hilaria agebantur, petierunt. Galliarum Regis Legatus, A) sive quod principem locum in eo concursu nobilium virorum obtinere non posset, sive quod Bathorio Regios titulos negaret, sive quod Stephano Nyario Hontensis provinciæ Comiti, qui nomine Rudolphi Hungariæ Regis solennitati interfuit, cedere nollet, publico abstinuit. A. C. 1582.

Cæterum excitata in Hippodromo controversia de honorificentiore loco inter Legatos Galli, Hungarique Regum, quod ille hunc neque parem, minus superiorem pati vellet; iste superiorem illum nollet, ad Sinanem Purpuratorum Principem delata est, definitionem urgente Gallo. Sinanes in odiosa altercatione tergiversari primum, dein monere utrumque, ab ea contentione ut desisterent, ne totius Imperii hilaritatem ejusmodi lite confunderent. Verum incitatum semel animum Galli tanquam a cursu retinere, difficile erat. Ubi videt Sinanes procrastinatione utrumque offendi, ita controversiam decidit: Henricum unius Galliæ regni, clari quidem & opulenti, Regem esse: at Rudolphum amplissimi regni, quod plures etiam provincias sibi obnoxias numerat, Regem esse, nec fore inferiori loco contentum tot titulis illustrem. Ex quo incensus ira Legatus Henrici, post publicam injuriæ testationem Regis sui nomine, non deseruit quidem Byzantium, sed sedulo cavit, ne Nyarium deinceps in publico conveniret. Hæc Legatorum contentio nihil decerpsit lætitiæ communi.

Nam festiva celebritas; dies, & noctes omnino quadraginta tenuit, commessationum, spectaculorum varietate multum ornata. Locus ipse in cultissimi theatri normam fabrefactus, pyramides pulchra serie surgentes non paucas numeravit, quibus trophæa Majorum incisa curiosum spectatorem rapuerunt. At non sincera omnium lætitia ea inspecta, quod Christianorum Principum Legati pudore, doloreque suffunderentur, ab Ottomanis trophæa sane superba de Religione, deque Principibus Christianis in sui præsentia statui, qui quidem æmulos suos victos cupiebant, non victores Ottomanos volebant. Tandem septimo Julii sole inclinante, Mahometes adolescens circumciditur a Mahomete Bassa, qui olim Solymani tonsor, bellica arte Vezirii dignitati processu temporis admotus erat. Postremo pro facultatibus suis Mahometi munera obtulere, atque cum ingenti ærarii lucro, sumptus hujus celebritatis refudere; ut vulgo dicerent: *Amurathem hoc pretioso hamo maximos thesauros cepisse.* Pene in exitu solennia erant, cum tristes nuncii Byzantium advolant, Osmanis exercitum a Persis fugatum, cæsumque ad satietatem. Etenim ille induciarum sanctitate fracta, Siruanum Persiæ provinciam ex improviso invadens, felici astu imparatos oppresserat, prædamque omnis generis mira celeritate collegerat. Altius se in hosticum immiserat, quam ut sine clade revocare posset militem, avaritia ad ampliora spolia invitante. Persæ & inducias perfide abruptas, & sua damna ulturi, Osmanem sero redeuntem undique aggrediuntur, spoliisque excussis, copias jam pugnam, jam fugam meditantes, strage non modica fundunt. Hoc infortunio perturbatus Amurathes, Legati Persici sedem, spectandi causa sublimiori loco positam in Hippodromo, demolitur, atque ipsum nihil tale promeritum, cum numerosa, quam adduxerat Byzantium, familia, angusto sane hospitio concludi mandat, tanta adhibita severitate, ac pertinacia, ut quantumvis centeni, & amplius sæviente lue extinguerentur, de sententia tamen mentis iratus Princeps dimoveri non posset. ADEO alte feriuntur animi imperantium cæde suorum, quando ea apud alios Principes contemptum parit. B)

Rursum ad Tefflim eodem anno infeliciter pugnatum fuit. Author cladis ferebatur cujusdam inter Georgianos Principis fœminæ filius, qui initio belli Persici a Mustapha Byzantium transmissus cum fratre, exuta religione

A) Germinius Germollæus is erat, Henrici III. Legatus, ut memorat Istvanff. Lib. XXV. ad annum 1582. B) Petrus Bizarus Sentinas Historiam Persicarum rerum ad hunc annum perduxisse videtur, Chronologiæ parum studiosus. Bellum istud Persicum, diversa ab Annalibus narratione prosecutus est.

A. C. gione Christiana, Mahometem amplexus est, Germano suo tenacissimo 1582. sacrorum, quae cum lacte imbiberat. Atque haec ipsa constantia Principi exitio fuit. Quippe odio Religionis veneno necatus, fratri integerrimae fidei desertori principatum relinquit. Et iste videri potuit turpe transfugium odisse, illudque novo transfugio eluere. Nam posteaquam Turcas ad Tefflim prodidisset, & propterea a Ferhate, Sinanis successore, ad caedem postularetur, deserto Amurathe, Georgianorum, Persarumque castra secutus, non suam modo ditionem jugo Turcarum eripuit, sed perpetuus, dum vixit, hostis Ottomanici Imperii Armeniam, proximasque Turcici juris provincias vexavit. Accesserunt praeterea Georgianorum foederi Simon, & Tocmaces Revani Domini, Principes diuturno odio in Byzantinos armati, qui praedarum cupiditate longius provectos saepe numero interceperunt.

1583. Cum ferale bellum maximis Ottomanorum cladibus traheretur, Amurathes Sinanem, qui adeo splendida de se promissa fecerat, in Persidem ire, ac pro suo munere pacis, aut belli negotium tractare mandat. Ille, an hoc oneris subiret, non modo non dubitavit, sed palam Imperatori reposuit: *Regem Persarum praelio, minus bello victum iri, nisi Amurathes suo ductu vires, animosque militi addiderit.* Scilicet homo arrogantissimus, famae periculum praehabuit gloriae, quam olim collegerat in Africa, veritusque ob afflictas, accisasque res Turcarum, ne gliscente hostium numero superaretur, in otio Byzantii parta tueri, quam cum discrimine novo, militiae decora ancipiti bello exponere, maluit. Neque isthoc Amurathem latuit, offensusque libertate loquendi Vezirii, matrem Soltanam adit, quidve sibi faciendum sit, anxie disquirit. Illa probe experta desidem, aversumque filii animum a tumultu armorum, actutum suadet: *castris abstineret, Osmani, Ferhatique bellum gerendum plena cum potestate committeret, Sinanem dignitate moveret, ac Siausem natione Hungarum, supremum armorum Praefectum appellaret.* Sinanes e fastigio praeceps, exulare jussus est in Macedonia, ingenti sane dolore. Turpius etenim existimavit e gradu deturbari, quam in eum nunquam evehi. At paucitati fortunatorum Ducum debuit, quod postliminio revocatus, dignitatem amissam cum Imperatoris gratia cumulate recuperarit, ut infra videbimus.

Interim Osmanes, subsidiis in castra acceptis, aliquot urbes, castellaque in Siruana provincia ceperat, magna utique voluptate Imperatoris, qui ad ea tempora praeter suorum stragem nihil intellexerat. Ut porro victoriae insistere posset, e sententia Siausis Vezirii, ingens pecuniae vis Tartarorum Regi Muchemeti A) est missa ad legendum militem, quem jubebatur ad Osmanem primo tempore deducere. Is seu metueret eandem fortunam, quam bini ipsius fratres cum copiis subierant, seu morem gerere detrectaret Amurathi, toties militem poscenti, in speciem e Tartaria copias ante lustratas educit, factisque aliquot castris in stativa redit. Amurathes non tam jactura authoritatis suae, quam pecuniae aestimata, Osmanem Capham petere jubet ad castigandum Muchemetem.

1584. Transacta in Chersoneso hieme, postquam Ulucialis maris Praefectus, cum triremibus Capham appulisset, de Muchemete, & duobus filiis, tertio fuga elapso, supplicium est sumptum, tanto quidem justius, quanto iniquius iste parentem suum annis, meritisque gravem regno se abdicare coegit, possessionemque non sibi, sed Islani fratri Procerum suffragiis debitam involavit. Islanes veritus hunc popularium favorem perniciem sibi allaturum, ni mature fugam arriperet; ad Bathorium Poloniae Regem se contulit cum minori natu fratre. Transmissis in ea aula aliquot annis, Amurathe agente Byzantium allati, privatos intra parietes vitam sat tristem vixere. Minor pertaesus latebras, apud Persas libertatem reperit. Islanes Rhodum transportatus, deinde Iconium miro fortunae ludibrio Muchemetis caesi

Regiam

A) Hic Tartarorum Rex videtur in Chersoneso regnasse, vulgo Crimaeus dictus. Metropolis Caffa, seu Capha, Theodosia. Vide annum 1496. pag. 41.

Regiam occupavit. His actis Osmanes, & Ulucialis triumphabundi Constantinopolim abeunt. Osmanes, qui longe minora rumore sparso egerat adversus Persam, septem, & octo claves ex argento fabrefactas, quasi totidem urbium captarum signa, Amurathi obtulit, tantumque potuit vanissimi hominis assentandi studium, ut supremi Vezirii insignia a levissimi ingenii Imperatore acciperet, exuto gratia, & dignitate Siause. A. C. 1584.

Virum hunc consuetudini Imperatoris, ac gratiæ innutritum, aulæque magis, quam bello assuetum, ab Osmane præcipitatum Annales ajunt. Cum enim iste dignitatem æmuli, multamque in aula gratiam æquis oculis ferre haud posset, ut invidia admodum dicax est, multis criminibus Amurathis, Soltanæque aures implevit. Accessit recens suggestum Imperatori consilium, suppeditandi æs Tartariæ Regi, cujus ab infelici eventu damnatus videri potuit. Simillimum vero est, a Soltana Siausem impulsum, quod is Mahometem filium apud Patrem accusarit, ob Kihajam male mulctatum, simultatesque inter utrumque non leves sparserit. Et Soltana, ut de futuris callidissime conjiciebat, facile assequebatur, quo Siauses tenderet, nempe ut acrius irritatus Amurathes in filium, Imperium in Siausis liberos (nam Imperatoris sororem matrimonio junctam habuerat) transferret. Hæc suspicio ut penitissime ferit parentes, ita fidem, pronissimosque aditus reperiebant delatores, quoad aula exactus privatos suos lares incoleret. Atque istud postremum viri fortunam afflixisse videtur. Cæterum IN LUBRICO aulæ stantem minima nonnunquam vis dejicit; certe diu stare non potest, quem plures impellunt.

Ut tandem funestum bellum pace concluderetur, Osmanis cura fuerat. Et præprimis, cum Orator Hodabendis Byzantii contra jus gentium detineretur, Persæque injuriam Oratori irrogatam, communibus armis vindicandam statuissent, in id gratiam, authoritatemque vertit ab inita mox præfectura armorum, ut libertati, aulæque redditus, plenam nancisceretur facultatem seu manendi, seu ad Dominum suum revertendi. Annuit Amurathes. Sed cum nova mandata petiturus, per majorem Armeniam in Persidem contenderet, Imperatoris jussu subsistere coactus in castris Ottomanorum, spem pacis rebus Turcicis perquam necessariæ rursum evertit. Ea res non mediocrem solicitudinem ingessit Osmani, quod eodem tempore Islanes terra, marique oppugnaretur a filio Muchemetis, Nogajorum Principis armis succincto, bellumque alterum præ foribus esset, nondum extincto Persico. Quam ob rem ne latius serperent in Chersoneso turbæ Tartarorum, grandem exercitum per minorem Asiam Sinopen promovit, Ulucialis classe præire jussa, ad copias trajiciendas Capham. Quanquam opus non fuerit propius arma admovisse, redeuntibus ad pacem Principibus, quorum causa Tartaria turbata. Et commodum evenit, bellum isthoc sine sanguine restinctum.

Nam Ferhates, qui Osmanis vices obierat apud exercitum, per avaritiam militi annonam subtraxit, proptereaque castra, juxta Persas posita, in ultimas angustias conjecit. Accessit & alterum malum, quo pene se, militemque perdidit. Evocaverat e proximis oppidis, vicisque fabrorum, operarumque multitudinem; sexaginta millia confluxisse perhibentur, ad quædam castella in limitibus Siruanæ provinciæ construenda, frænum procursionibus Persarum injecturus. Sed mutato repente consilio, eo prolapsus est avaritia impellente, ut ab hac incondita turba hominum, in vicem diuturni fatigii, æs certum acceperit; omneque tædium laboris impendendi, equitibus, peditibusque suis hauriendum reliquerit. Istud enim vero graviter, ut par erat, accepere inprimis Janicsari, quos per eos dies penuria commeatus non leviter divexavit, recensque causa ferociores fecit. Omnes veluti tabe infecti, eo atrocius conspirationem ineunt, quo magis labore, & opere fessi, justas irarum causas in promptu habuere. Denique multum incensi, quod infructuosam, & asperam militiam toleraverint ingenio loci, cœlique, & severitate Ducis. Itaque in societatem accitis equitibus, manipulos 1585.

A. C. 1585. pulos miſcere, in ſuos Præfectos inſurgere, indignitatem rei in os objectare, Ferhati accurrenti ad tumultum, increpantique, minaciter obſtrepere: *ſe longa macie confectos ab armis, quibus ægre Perſarum impetus ſuſtinerent, ad ligones damnari, ut improbo labore penitus ſubacti, pecudum more trucidentur. Hancne eſſe Ducis curam, non modo commoda militum non procurantis, ſed etiam per ſummam avaritiam annona erepta, novum, ac ante hæc tempora vix auditum onus iisdem imponere? militarem diſciplinam domi, militiæque, a Tribunis, a Ducibus commendari ſæpe numero; exigique pro illorum imperio, ut miles in præſens diſcrimen ruat, adverſus ignea tormentorum ora intrepidus eat, vulnera, mortes, cicatricibus toto corpore deformatus hilari fronte excipiat. Et tamen quo vitam ſuſtentet, illi plerumque deeſſe; certe Ducem crudeliter omnem commeatum eripere, quodve turpius, in pecuniam rurſus vertere: ut nempe ſanguinem, quem nondum hoſtilis mucro miſerat, inſolens avaritia hauriret.* Hæc quoniam concuſſis ferociter armis dicebantur, impar furenti multitudini Ferhates, cum fidis aliquot cohortibus, trepidus inde pedem in tentorium avertit. Sed cum verſis in Ducem gladiis, ipſi tentorio feroces imminerent, impetu facto in ſeditioſos per multam cædem cum ſuis erupit, direptioni relicta caſtrenſi penu. A)

Turbatis hunc in modum caſtris, ad exercitum venit non ſane in tempore Osmanes, cum quinquaginta armatorum millibus; quorum adventu, authoritateque Osmanis, ſeditioſi ad imperium redierunt. Ille ut omnem occaſionem tumultuandi militibus adimeret, annona, cæterisque procuratis, confeſtim in hoſtem duxit, ratus collectam in Ferhatem iram, ferocius in Perſam exprompturos, militarique facinore flagitium in Ducem admiſſum correcturos. Præerat copiis Perſarum Amſa Hodabendis filius, juvenis acerrimi ingenii. Qui cum provideret animo, tanto exercitui ſtipendia non diu proceſſura, commeatusque defuturos, univerſum certamen callide ſubterfugiebat, incedensque perpetuo ad latus Turcarum, unice intendebat; ne aliqua urbe potiti, annonam, prædasque pro ſtipendiis interciperent. Velitationes tamen fere quotidie habitæ, pabulationis potiſſimum cauſa, carptimque ex hoſtium numero cæſa dena circiter millia. B) Non ideo tamen deſtitit Osmanes, viam ſibi aperire in regionem Perſiæ obnoxiam, favitque tandem fortuna, ut per difficiles montium, valliumque calles exercitus in patentes campos ad urbem Taurim C) eluctatus fuerit, eamque metu oppreſſam, nihil repugnantibus oppidanis, ceperit. Hic caſtra metatus, militem ſuum longa profectione fatigatum reficit, arcemque Taurinæ urbi imponit, ſpatio triginta dierum, Giaffere Baſſa, loci Præfecto nominato. Amſa tam nobilis urbis amiſſione, hortatuque parentis ferocior, cum Georgianis, Perſisque ſuis, Ottomanos in interiorem Mediam progreſſos aſſecutus, non dubitavit caſtra exercitui hoſtili admovere, ſignisque occinentibus certamen indicere. Sed ferox iſte Hannibal Fabium cunctatorem reperit in Osmane, qui bellum longiſſime ducere optavit, aut certe ſine pugna novos progreſſus facere.

Itaque Amſa moræ impatiens, de improviſo hoſtem antelucanis horis aggredi ſtatuit. Res continuo prodita, Osmani ſpatium conceſſit pugnæ aciem inſtruendi, Perſa, viſo Turcarum exercitu, ſuos in ordines diſtributo, nihil territus, ſiniſtrum Aſiaticorum equitum cornu invadit, primum equites, dein pedites turbat, profligatque. Osmanes, qui fugientes in pugnam reducere contendit, gladio in humero percuſſus, mox e minori tubo glande proſtratus, exanimis concidit, exercitumque ſuum in apertam fugam traxit. D) Campus, ubi pugnatum, cadaveribus hominum, equorumque oppletus, immenſam oculis cædem ſubjecit. Octoginta millia trucidata perhi-

A) Annales Turc. non meminere tantopere exarſiſſe ſeditionem, P. Foreſtus tamen ſcribit, pugnatum inter ſeditioſos, & Ferhatem acriter, ægreque eluctatum Ducem. B) Annales Turcarum. C) Tauris urbs Mediæ, Geographis quibusdam, uti & Annalibus Tebriſium, & Tabriſium, multitudine civium, ædibusque floret. D) Annales Ferdinandei.

perhibentur. Nec parum prædæ in castris repertum. Machinæ castrenses, A. C. supellex omnis in manus Persarum devenere. Victores lectis spoliis Taurim 1585. oppugnaturi, dissidio oborto inter Regios Principes, fructum victoriæ corruperunt. Nam Amsa non multo post in castris obtruncatus, fratri suo imbelli exercitum, & subinde regnum cessit, quod Hodabendes Pater ingravescente ætate membris captus, ac magna sui parte præsepultus, sponte sua curas Regias in filium transferret.

Fama infelicis pugnæ multum exterruit Amurathem, præcipue ob interitum Osmanis, quem inter Duces sui temporis præstantissimum existimavit. Et reipsa veteres armorum Præfecti, quique e disciplina Solymani erant, aut fatis cesserant, aut certe invidia, aliove aulæ vitio, omni Imperio exuti, procul ab aula, castrisque, labantem patriæ fortunam privati cives aspexerunt. Cigaloglis A) quidem Bassa, post fatalem pugnam cum aliquot Janicsarorum millibus incolumis evaserat Vanum, reliquiasque fusi exercitus collegerat; at tantus non erat, ut exercitus cum victoriæ spe illius curæ committi posset. Quapropter Ferhatem ob avaritiam nuper Byzantium revocatum, rursum in castra ablegat. Imo & Sinanem exilii calamitate irritatum, in aulam accivit, Veziriique dignitate ornavit, & non sine plurium admiratione, post aliquot annos expeditioni Hungaricæ, qua nullam suscepit unquam ardentius, præficiendum putavit, ut suo loco narrabimus.

Interea Persæ Taurinam urbem ad extremas angustias redegerant, 1586. factaque non una impressione, ubi sentiunt oppidum alioquin casurum, mutata aggressione in obsidium, satis habuerant subvectionem annonæ intervertere. Cigaloglis e munitissimis suis castris egressus, simulat irrupturum se in interiorem Persidis regionem, eo consilio, ut hostem ab obsidione avocaret, urbemque casui vicinam novis copiis, reque frumentaria firmaret. Res ad votum cessit. Persæ etenim suæ regioni male metuentes, dum omnibus viribus antevertere student Cigaloglis exercitum, motis festinanter castris, Taurim deserunt, simulque facultatem tribuunt Turcis, militem, currusque annonarios in urbem inferendi. Neque Persis deinceps tantum animi erat, oppidanos, rebus omnibus instructos, rursum obsidere, ea etiam de causa, quod Ferhates alteram munitionem Tauri oppositam jam erexerit, exercitumque numero longe superiorem adduxerit.

Inde & ipsi vires majores contracturi, fœdus iciunt cum magno Chaitano B) (vulgo Ulu-chan) Tartarorum Regulo, quem vetus odium in Ottomanos stimulavit, metusque non vanus, ne oppresso Persa ipse parem fortunam aliquando subiret; ita ferente fatorum lege, ut una gente subjugata, proxima, suo quasi propugnaculo everso habeat, quod semper formidet. Nova hæc animorum conjunctio, armorumque societas, non nihil moræ injecit progressibus Ferhatis, Byzantiumque curas aggessit funere Ulucialis, eodem tempore consternatum. Erat iste maritimæ rei adeo peritus, ut pares admodum paucos, superiorem habuerit neminem. In ejus locum suffectus est Ibrahimus, meritis impar, gravissimæ provinciæ; sed quod sororem Amurathis in consortem acceperit, c) omnium suffragiis dignus habebatur tanto munere. Verum cum inimicitias sereret cum Venetis, belloque maritimo initium daret, a quo vehementer abhorruisse semper visus est Imperator, sive ob immanes sumptus in classem faciendos, sive ob Persicum bellum, quod integrum adhuc, & pugnacissimæ gentis accessione firmatum putavit, paucis post diebus dignitatem amisit.

Ferhates D) etsi sat validas copias sub signis numeraret, tamen non 1587. tam pugnandi animo, quam utili, Turcicoque nomini perhonesta pace diuturnum bellum componendi, in Asiam transmisisse videbatur. Et reipsa Byzan-

A) Cigaloglis, id est: Cigalæ filius; e Genuensi Patre natus, ut tradunt laudati Annales ad annum 1582. Passim apud Historicos Cicala legitur. B) Hic Tartarorum Rex alter est ab eo, cujus paulo ante meminimus. c) Istvanff. Lib. XXX. D) Joannes Leunclavius Nobilis Angrivarius, hic finit Annales suos.

A. C. 1587. Byzantina aula superioribus annis, multis omnino cladibus conflictata, nihil potius, quam molestissimi belli exitum in votis habuit, diciturque Ferhates ab Imperatore clam instructus fuisse, ut mutuam inter utramque gentem amicitiam pristino loco reponat, sive jam tum in Hungariam arma vertere decreverit e Sinanis consilio, Hungaris admodum infesti; sive aerario nimium exhausto, totiesque internecione deletis legionibus infaustam expeditionem Persicam damnaret, pacatoque Imperio speraret uberiorem messem, sibi, & civibus obventuram. Neque Hodabendes ab hujusmodi sententia discrepabat. Istud non nihil morae injecit, quo minus primis statim congressibus ab armis discessum fuerit, quod Ottomani dilatandi Imperii semper avidissimi, & hoc anno Taurinae urbis possessione inflati, eas omnes provincias repetierint, quas olim Mustaphas, caeterique Duces aliquando armati occuparunt, aut ungulis suorum equorum (sic Turcae dicere A) amant) calcarunt. Hodabendes insolentia tam iniqui postulati multum offensus, negabat pariter se arma positurum, ni omnia ut erant ante hoc bellum, veteribus Dominis redderentur, & miles Turcicus e finibus Persiae abduceretur.

Intercesserunt quidem apud utrumque Purpurati, hortati gravissimis rationibus, modum ut tandem ponerent tot calamitatibus: sat cruoris jam fusum per tot annorum decursus; victos, victoresque vires suas nimium attrivisse, utriusque partis milites bello diuturno fractos, consumptosque, agros, fortunasque civium foede vastatas, unice pacis commodo reparandas. Sed frustra apud obstinatos, gloriaeque appetentes haec talia dicebantur, paratiores iterum in campum prodire, quam vel latum unguem a sententia discedere. Infregit constantiam Hodabendis, Usbekus B) Tartariae Regulus. Hic improvisam populationem Corasaniae regioni inferens, brevi tempore fertilissimum agrum subegit. Et prodigii instar erat, provinciam fluminibus vallatam, oppida aggeribus, paludibus inaccessa, populo bellicoso, ac strenuo referta, tantillo tempore, & velut impetu in spolia cessisse, priusque famam ven isse Corasaniam ab hoste occupatam, quam ad eam occupandam arma parari. Non ita comparatae erant res Hodabendis ea tempestate, ut in hostem viribus recentem, ac celeritate praevalentem erumperet illico, nondum debellato Turca. Praeter Chaitanum, nemo erat in foedere: ejus fides, etsi sponderet omnia, exercitumque viginti millium adducturum se promitteret, tanta non erat apud Persas, ut multum authoritatis tribuerent. Diuturna quippe experientia didicerant, hujusmodi Regulos quavis aura instabiliores esse, velaque vertere eo, quo felicior armorum cursus vocat. Quare vehemens metus erat, ut ne Chaitanus in Persiam admissus, consociaret arma cum Usbeko, viribusque hostium auctis, simul & a fronte, & a tergo urgerentur.

1588. His difficultatibus colluctatus Hodabendes, qui nondum regnum cesserat, circumspectius, quam acrius, hoc anno bellum gessit adversus Turcas. Tandem cum Usbekus populandi, urendique pulcherrimam regionem finem nullum faceret, Rex non jam pacis consilia admisit, sed inconsulta festinatione, qua victorias, famamque suae gentis multum imminuit, pacem inivit cum Amurathe, Persico Imperio pudendam; sive istud egerit vindictae ardore in Usbekum, c) sive metueret, ne hostium viribus impar cogeretur majori jactura nominis, & provinciarum turpiorem pacem amplecti. Itaque Amsae filius sexennis, quatuor Legatis, multisque nobilibus comitatus, Constantinopolim Regia magnificentia ingressus, recta ad Imperatoris aulam defertur; expositaque legatione, obsidis loco Byzantii mansit. Ferhates, qui Constantinopolim se contulerat, sua dicendi facultate eo pellexit Legatos, ut quas conditiones anno praeterlapso dederat, iisdem tamquam maximo bello devictos adstringeret. Quae res ingens odium concivit in Hodaben-

A) Testis locuples hujus locutionis Leunclavius. B) Hic Tartariae Regulus ab ea regione nomen sortitus est, cui imperitabat. Nam ut latissime major Tartaria diffunditur, ita & plures Dominos habet; sibi, vicinisque infestos. c) Pace composita cum Ottomanis, Persae Usbekum ingenti praelio fuderunt. Annales Turcarum admodum perturbato ordine his annis Amurathis res gestas produnt. Aedipus adhibendus persaepe, ut quid assequaris.

dabendem, quem populus ignominiosæ pacis authorem non ignoravit. Is ut culpam, dedecusque a se amoliretur, Principem legationis in Persiam redeuntem trucidari jussit. Nempe AMANT Principes errata sua ministrorum pœna, si e re fuerit, tegere: bis interim errantes dum peccant ipsi, & alios plectunt. A. C. 1588.

Pax ista maximo commodo Imperii Turcici confecta, tantum authoritatis, gratiæque conciliavit Ferhati apud Imperatorem, & Byzantinos cives, ut supremam apud Turcas Vezirii dignitatem jam spe devoraverit. Obstitit votis Sinanes, quem ab exilio revocatum, Amurathes huic officio admoverat. Sed Ferhates favore Imperatoris prætumidus, superiorem se ferre non poterat. Eo igitur intendit curas, ut æmulum honoribus præeuntem loco dejiceret; crevitque odium, atque invidia tanto major apud minorem, quanto nuper Sinanes exilii pœna damnatus abjectior erat. Dum avide criminandi acta Vezirii, opportunitatem arripit, casus Ibrahimi classis Præfecti aditum patefecit, quo tela in æmulum validius emitteret, ictuque uno fortunam hominis affligeret. Ibrahimus rei maritimæ rudis, classis præfecturam precibus suæ sororis in aula dominantis, obtinuit; & quamvis maritimo bello non distineretur Turcia ea tempestate, tamen quod Sinanes bellicosos spiritus haberet, terra, vel mari bellum gerere meditabatur. Quapropter ut omnia expedita forent, classis adornandæ curam Ibrahimo adimit, authoritateque sua hominem, nulla re, quam sororis fortuna nobilem, in ordinem redigit. Pupugit istud fæminam, apud Amurathem otio, venereque fractum, dominantem; sociatisque cum Ferhate armis, Sinanis fidem suspectam reddunt Imperatori, quasi in Mahometem a) filium pronior, clancularia consilia miscuerit, juvenique spem Imperii occupandi fecerit, suo, Janicsarorumque favore. 1589.

Non abhorruit a machinatione tam atrocis facti ingenium Sinanis, bella perpetuo cupientis, Imperatorque accusatoribus plurimum deferens, & alioquin aversus ob pugnacem indolem, eum primum aula submovet, deinde Ferhate incitante dignitate exuit. Præsensit hoc fulmen aulicarum artium non incallidus Sinanes, cupidusque retinendi magistratus, præter immensam auri vim, suburbanum palatium ad omnem elegantiam instructum Amurathi offert. Non idcirco tamen suspicionem amolitus est, nec Imperatorem placavit, æmulorum technis subactum. Hoc infortunio oppressus, constantem vultum præ se tulit, bisque jam superbe miser, atque indomabilis, in fuga non dubitavit minari, spe nempe nixus, tempestate pulsa se iterum amissos corrivalium invidia honores postliminio adepturum. Non fefellit hominem spes sua. Etenim Ferhates æmuli submoti dignitate elatior, non multo post plurium odium incurrit, iisdemque artibus petitus est, quibus Sinanem evertit. Quanquam longe atrociora perpetrarit ille, indignumque se præstiterit, ut aliquando amplissimo eo munere fungeretur. Lis intentata fuit ab adversariis, quos Sinanis casus multum exasperavit, quod bello Persico durante, ærario Imperii viscatas manus intulerit, annonam militi destinatam turpissima, & ante hæc tempora armorum Præfectis ignota quæstura divendiderit, ingentia munera compilarit, multam quoque e vastatis provinciis prædam asportaverit, Janicsaros præterea vilissimo labore distinuerit, solutis hoc onere incolis Siruanæ provinciæ, quod grandi ære semet his vexationibus subduxerint.

Imperator ut a prædivite Vezirio aurum extunderet, minaci vultu accusationis capita non semel in os exprobrat, & ni tantis criminibus se purgarit, ultimum supplicium minatur. Sed postquam ter decies centena aureorum millia numerasset, accusatorum potentiam vehementer enervavit. Aliud subinde e fastigio præcipitem dedit. Janicsari e Persico bello reduces, cum præter spem frigide exciperentur a Byzantinis, quod parum feliciter bellum absolvissent, & stipendia tarde admodum procederent, aut certe corrupta moneta persolverentur, collatis inter se capitibus, ferro militaria æra

 repe

a) Amurathis filius is erat, Amasiæ Præfectus.

A. C. repetenda statuerunt. Nec deerant, qui turbidos, ac civium cædem spirantes incenderent: *eamne sudoribus suis, ac fuso toties cruori mercedem esse? sic vultus cicatricibus deformes, trunca membris corpora, fractos ac fatiscentes artus compensari? ut in patria stipendiorum jacturam faciant, sine honore tamquam vilissima mancipia apud suos habeantur? pro libidine Præfectorum bene meritos suo stipendio fraudari? istud enim vero ordini Janicsarorum ingens dedecus allaturum, nisi vi intenta, sua recuperare quamprimum studeant, authores tantæ ingratitudinis ad cædem deposcant.* Hæc non minus dolenter, quam minaciter jactabantur: & gliscente, ut assolet, ira e querelarum narratione, præsertim Byzantii, ubi & numero, & audacia præstabant, repente in forum provolant armati, civium juxta, ac peregrinorum apothecas diripiunt; tumultum denique per omnes amplissimæ urbis vicos momento conciunt. Amurathes cum Janicsarorum cohortes nova in dies accessione firmari animadverteret, nec amorem obsequii facile rediturum speraret, postulatis eorum subscripsit. Atque inprimis Imperii Cancellarium, cujus consilio stipendia differri clamitabant, morti addixit: mox viritim ære in tumultuantes distributo, ac Tribunorum huc illucque volitantium cura, seditionis furor paulatim deferbuit, tandem penitus extinctus, dum dignitatem Vezirii Ferhati abrogatam, in Sinanem translatam videre.

1589.

Tertio jam Vezirius Sinan, tanto vehementius in bellum quodvis ferebatur, quanto iniquiorem in aula sortem est expertus. Et jam proniorem Amurathem in arma reperit, quod Janicsaros armis tractandis innutritos, desperaret otium pacato animo diu laturos: satius itaque facturum se existimavit, si hostem inter Christianos Principes quæreret, in quem suam ferociam effunderent. Haud longo tempore deliberatum, terra, an mari dimicandum? quando probe noverant Consiliarii (Sinan, & Cigaloglis ii erant) maritimæ expeditioni longe plus æris impendendum, quam terrestri: & Amurathem ægre propulsare bellum, nedum voluntate suscepturum, ubi majores sumptus impendi necessum foret. Itaque in Hungariam, quam arcium Præfecti creberrimis excursionibus, quotidianis cædibus fatigarunt ea tempestate, signa vertenda persuadere nituntur. Sed superiores aliquot anni mihi percurrendi sunt prius, quam hoc bellum ductu Sinanis gestum dicere incipiam, ut Lector intelligat, ita Ottomanorum vires ad Persidem occupatas fuisse, ut induciarum sanctitate posthabita, non parvis aliquando viribus Hungariam aggressi, suum Imperium in hoc regno propagare contenderint. Quo vero rerum successu istud conati fuerint, paucis differam.

Ab excessu Selymi, Maximilianus pacis servandæ cupidus, Fridericum Preinerum Byzantium A) legaverat; ut inducias nuper pactas, Amurathes quoque ratas haberet, easque in longius tempus pro utriusque gentis commodo prorogaret. Is, sive quod otium præferret bellico labori, sive quod in Persas jam tum quidpiam moliretur, omni metu, solicitudineque absolvit Cæsarem. Et nisi Præfectorum inexpiabile odium in Hungaros, ac effrenata cupiditas provincias urendi obstitisset, futurum erat, ut Hungaria, Hungariæque quovis jure obnoxiæ regiones, toto eo tempore, quo cum Persis pugnatum, magna pace fruerentur. Primus eam perturbasse visus est Lippæ Præfectus, quem Stephanus Bathorius Transylvaniæ Princeps, in sui defensionem acciverat. Fuerat iste suffragiis Procerum, ac studio potissimum Christophori fratris, in Daciæ Vaivodam electus, B) electionemque uterque Imperator Maximilianus, & Selymus suis suffragiis firmarant.

Casparus Bekessius non minus militari scientia, quam obitis legationibus clarus, prætorianis in suas partes traductis, spes ingentes conceperat Principatus obtinendi. Repulsæ impatiens, ingratæ patriæ injuriam (ut interpretabatur ob strenuam, fidelemque operam in legationibus, armisque collocatam) vindicare statuit. Biennio tamen iram, doloremque in potestate habuit, sive impar Bathorii viribus, sive fidus Principi etiam in ira. Neque ultra privatas querimonias progressus, nisi quod in æmulum & ipse hause-

A) Anno 1575. B) Videlicet anno 1571. quo Joannes Sigism. Zapolyii Regis filius decessit.

hauserit pertinacius odium, & apud suos, Maximilianumque infensius amplificaret. Odium biennio integro suis quodamodo limitibus coercitum, eo validius erupit in bellum intestinum, quo certiori spe nitebatur Turcas, facile suppetias laturos, quibus religione sua proprior erat, atque Christianis. Itaque cum Principis mandata aspernaretur, neque privatam fortunam homo vastioris animi, ferre posse videretur, a Bathorio obsessus in Fogarasiensi arce, elusis excubiis ad Maximilianum se recepit. Hic importunis precibus tamdiu agebat, dum auxilia impetraret adversus Bathorium, qui, ut reprimeret æmuli conatus, evocatis legionibus veteranis, atque acceptis in castra quadringentis Turcis a Mehemete Lippæ Præfecto submissis, in hostem progressus, conserta pugna Bekessium fundit præcipue Turcarum virtute. A)

A. C. 1589.

Eodem anno, nempe septuagesimo quinto supra millesimum quingentesimum, non jam velitum agmine, sed justis exercitibus inducias rupere, irritati per Joannem Balassium Kékôensis arcis Dominum. Ut erat non minus strenuus, ac felix miles, complures hostium variis procursionibus interceptos, in ergastulum compegit, atque in eundem loculum curatorem suum (Benedicto Pinterio viro nomen erat) conficto de industria, nescio quo crimine, conjecit. Hic falso crudelitatem Heri sui apud captivos accusans, fidem fecerat miseris, deserto Domino ad hostes defecisse, arrepturumque omnem opportunitatem, crudelia facta in authorem vertendi. Itaque facile vindictæ cupidis persuadet: dimitterent unum aliquem e suis, specie redimendi capitis, vadimonio promisso, ac cum Mustapha Purpurato Budensi clam agerent; ad statum diem cum milite armato adesset, qui funis adminiculo in castellum perductus, capto, aut interfecto Balassio locum, nullo impendio occupet. Purpuratus famuli perfidia gloriæ suæ incrementa comparaturus, Fûleko, Neogrado, & Buda militem eo properare jubet. Ad condictum tempus, locumque adest ille, extensoque fune quini sensim in castellum pertrahuntur. Hos Pinterus suis cum sociis doli consciis extemplo vincit. Qui ad rupem substiterant castelli, cum a commilitonibus tesseram nullam acciperent, fraudem subodorati, funemque fatalem veriti, conclamant primum, tum conviciis in Balassium, & Pinterum doli architectum jactis, intempesta nocte semet recipiunt.

Mustaphas, cui alioqui Balassius odio fuerat, nova injuria exacerbatus, deductis e præsidiis cohortibus Janicsarorum, ac Alibegi Albensis Præfecti curæ commissis, fraudem hanc aperto Marte ultum ibat. Alibegus acceptis quatuor colubrinis, Kékôensem, quam jussu Balassii Emericus Pribegus, veteranus equitum Ductor defendit, aliquot diebus verberat; patefacto hiatu impressionem facit; sed dimicante pro muris Emerico, cæso Berhamo Chaulio cum non paucis Janicsaris, strenue repulsus est. Alteram impressionem veriti præsidiarii, deserta Kékôensi in Divinienfem arcem se conjiciunt. Hæc pariter corona cincta, cum tormentorum ictus, hiantes muri perferre haud possent, in Turcarum potestatem venit non sine clade defensorum. Utraque arx fere in conspectu Christiani exercitus capta, dolorem Balassii, & Cæsaris curas intendit. Qui eas repeteret nomine Maximiliani, missus est Nicolaus Istvanffius ad Mustapham Budensem. Negavit is sibi tantum potestatis esse, arces Imperatoris sui armis devictas, ut Cæsari redderet, propterea, quod fama expugnatarum arcium Byzantium perlata, minoribus Præfectis facultatem adimat eas hosti restituendi. Oportere Amurathem, aut supremum Vezirium hac super re consulere. B)

Nec fortunatius in Illyrico pugnatum ab Herberto Aurspergo, illius provinciæ, copiarumque summo Duce. Ferhates Bosniæ Præfectus, regioni intra Colapim, Dobramque amnes sitæ, vastitatem minatus, cum exercitu in Croatiæ viscera ferebatur. Dux pro muneris sui ratione hosti occursurus, ad Radoniam fluvium, Germanici, Croaticique nominis militem convenire jubet. Adfuit ille numero longe inferior Turcis. Sed cum sine certissima clade retrahi non posset, Aurspergus pugnam edicit. Joannes

Voiko-

A) Anno 1575. B) Istvanff. L. XXV.

A. C. Voikovicsius cum equitum turma præmissus, certamen init; subsequitur 1589. Dux, peditatusque universus, & simul in pugnam ruunt. Voikovicsius confosso equo, terræ allisus, ac graviter saucius capitur. Aurspergus hasta per ferream laminam adacta in latus, pariter prostratus, capite truncatur. Engelhartus, Ducis filius, cum præcipui nominis Centurionibus in fuga interceptus, Byzantium mittitur; reliqui milites Ducibus suis orbati, per notos calles in tutiora fugerunt. Turcæ potiti non incruenta victoria, Businum, Czasnium, Zrinium, arces; nullo resistente in suam redegerunt potestatem. Incolæ sive tædio tot procursionum, sive metu impendentium malorum victi, desertis veteribus sedibus, in Hungariam, Austriamque commigrarunt, e longinquo fumantem patriam tutius spectaturi. Cum de his adversus inducias actis, Preinerus Cæsaris Orator, Byzantii acerbe quereretur apud Purpuratos, illud responsi tulit: *Christianos bello pacem rupisse primos, Turcas sustinuisse impetum, fortunam vero meliori causæ, virtutique favisse.*

Uno, & altero anno pacem coluerunt Turcæ, nempe quoad vixit Maximilianus. A) Eo extincto, Ferhates Bosniæ Præfectus, nuperis victoriis elatus, Gnosdanscum, Zrinyianæ ditionis arcem, suæ præfecturæ subjecit, magno sane Reipublicæ detrimento. Quippe montes argenti feraces ab operis deserti, suum deinceps vectigal multos annos avare subministrarunt, quod scissuræ metalli cum venis ditissimis terra, saxorumque strue obrutæ, sepultæque longo tempore jacuerint. Cæsar, Hungariæque Rex Rudolphus II. tot procursionibus modum positurus, Carolostadium, ab Archi-Duce Carolo, operis authore, nomen sortitum, firmum præsidium e fundamentis excitat, Præfectoque loci appellato Joanne Ferenbergo, Illyrico, vicinisque provinciis sapientissime consuluit. Non post multo, exercitu comparato, Carolus in Illyricum properat, arduo suscepto itinere per avios saltus, montiumque cacumina, avitæ libertati asserturus arces, quas retro actis temporibus hostis eripuit. Res prospere cessit. Etenim Turcæ fama copiarum adventantium perterriti, Busino, Zrinyio, Czasnio excesserunt. Ferhates non ausus in aciem prodire, eminus ostentavit militem suum, & mox relegentibus nostris iter, eadem facilitate, cuncta munimenta recuperavit.

Exeunte anno juxta Kanisam amnem, alterum e cespite, saxeoque opere surrexit castellum, cui nomen Baicha inditum, eodem Carolo Archi-Duce strenue operam admovente. Conabatur quidem Alibegus, Szigethi Præfectus, munitionem impedire, crebrisque procursionibus in opus incumbentes territare; verum Georgio Zrinyio, Balthasare Battyanio, & Francisco Nadasdio excubantibus, nullum operæ pretium fecit. Memorabilis est ea impressio, quam cum ternis equitum millibus suscepit. Jam fere ultima manus imponebatur castello, cum tanta vi, celeritateque paludem superat, ut copias Nobilitatis actutum in sylvas rejecerit. Battyanius, qui in acie perstiterat, dolum commentus, binos Turcas vestibus supra communem sortem ornatos, Nobilitati intra profundos saltus latitanti custodiendos mittit, ut inde augurium reportatæ victoriæ caperet. Visa tam divite præda animati Nobiles, canentibus signis ad locum certaminis festinant. Alibegus ratus adventare suppetias, omisso temere certamine, copias retrahere per paludem nititur. Instant Duces trepidis, ac fugam obsequio militari celantibus. Pars ferro, pars palude hausti; pauci male accepti cum Alibego Szigethum reversi.

Vix hieme transacta B) rursum more suo Hungariam incursant barbari. Parkanenses ad Uivarini C) mœnia provolare ausi, gregem pecorum celeriter abigunt. Paulus Thrax, loco præfectus, cum paucitati suorum diffideret, ultionem distulit, quam non multo post sensere iidem Parkanenses, quorum pecora vicissim in spolia Hungarorum cessere, etsi machinas in

A) Anno 1576. supremum vixit Maximilianus, cui successit Rudolphus II. B) Anno 1580. C) Munimentum olim celebre; nunc propugnaculis, mœnibusque nudatum.

in prædabundum agmen exonerarent Parkano, Strigonioque, tanta vehementia, ut Mustaphas Purpuratus repetitis ictibus excitatus, raptis Buda aliquot signis equitum, Strigoniensibus in auxilium festinarit. Paulo acrius in superiori Hungaria, Illyricoque res gesta. Sasvares Szolnokini Gubernator ad Agriam infesta signa circumtulerat, ratus præsidiarios in insidias, frequentibus incendiis, agrorumque vastatione elici posse. Secus, ac putarat, accidit. Nam ab octingentis equitibus partim Hungaris, partim Germanis in certamen protractus, e bis mille suis, septingentos amisit cum tredecim signis militaribus. Anno sequenti haud meliorem fortunam expertus, ad Tibiscum cruento prælio fusus est, mille quingentis ferro trucidatis.

A. C. 1589.

At in Illyrico tanto illustrior victoria parta est ab Hungaris, quanto validior hostis devictus. Balthasar Battyanius, Georgius Zrinyius, & Franciscus Nadasdius, a quibus nuper necessitate extorta, ac verius propulsata, quam gesta hostilitas; alteram hoc anno sponte suscepere. Collatis inter se consiliis Posseganum agrum inter Dravum, & Savum populari decreverunt. Cum delecta equitum, peditumque manu (bis mille, & quingenti censebantur) militare iter ingressi, ad Garbonocum castra fecerunt corpora curaturi. Forte Scanderbegus, Possegæ Præfectus, Ulamanis Persæ odio in Christianos notissimi filius, eodem tempore terna circiter millia armatorum adduxerat, hostilibus flammis deformaturus plagam, Dravo flumini vicinam, & si Superis placet, Varasdinum usque incendia sparsurus; tetenderatque haud procul a castris Hungarorum. Ex utriusque partis militibus, cum neutra hostile quid metueret, commeatus petendi gratia nonnulli processerant omni metu soluti; faveratque fortuna Turcis, ut manipulatim progressi, in Hungarum offenderent ad fontis marginem. Hunc continuo circumsistunt, captumque in castra abripiunt. Ex eo intelligunt, Christianos in propinquo castra posuisse, adesse Zrinyium, Battyanium, Nadasdium veteranos Duces. Res inopinata trepidationem injecit castris, præcipue Scanderbego, quod binos filios adolescentes, fatiscentis domus surculos in eam expeditionem acceperit. Hos propere Hussaino familiarium præcipuo commendatos, ad uxorem remisit cum supremis mandatis, præsagus infelicis pugnæ, suique obitus. Hac cura solutus, armatos castris educit; Calendere Legato, ac Dervisio A) ejus fratre, cornibus præesse jussis, ipse mediam aciem tenuit. Hungari Duces fremitu Turcarum exciti, propere equites, peditesque ad pugnam instruunt, nominatisque Præfectis, & militibus, ut fortiter impressionem excipiant, signum certaminis edunt. Varia fortuna, ancipitique victoria, pugna protrahitur; ad extremum Scanderbegus obesi corporis mole conspicuus, ac propterea recipiendo ferro, ictibusque patens, hasta transfixus, equo dejicitur. Cæso Duce, Calendereque in æstu prælii capto, milites fugam ineunt. Captis militaribus signis viginti, Duces cum opimis spoliis ad suas stationes incolumes redierunt, in triumphum abductis triginta supra quadringentos Turcas.

Uno duntaxat anno quies ab armis fuit. Altero B) mox hostes hieme sæviente, ac Balatonem lacum durissimo gelu constringente, agrum Kemenesiensem fœde evastarunt, quos tamen Ladislaus Maithenius cum Christophoro Pethô repressit. Hassanes Szigethi Præfectus, non post multo in provinciam Castri ferrei irrumpens, præda celeriter collecta, incolisque abductis, Christianorum iram evaserat, quod silenti agmine, nullisque incendiis sparsis procursionem absolverit. Redditum est hoc qualecunque detrimentum Kopaniensibus Turcis. Alibegus Eunuchus haud ita pridem Byzantio in Hungariam reversus, præfecturam Kopani obtinuit, utque initium præfecturæ insigni facinore nobilitaret, sexcentos, & quinquaginta præsidiarios Vesprimium versus ducit, quo nostros insidiis exciperet. Stephanus

 Istvan-

A) Ita nominat Præfectos militum Istvanffius L. XXV. Cæterum Calenderes, Dervisius nomina sunt Religiosorum apud Turcas, quorum meminit Leuncl. Pand. Histor. Musul. C. 171. ubi vivis coloribus institutum, mores nequissimorum bipedum expingit, & nos quidpiam de istis ad annum 1493. pag. 61. B) Anno 1582.

A. C. 1589. Istvanffius Vesprimii Præfectus eodem tempore, animoque egressus, trahebat aliquot peditum, equitumque centurias, ac prorsus ignarus consilii Eunuchi, recta in hostem tendit. Utraque pars stimulante gloria in certamen ruit, parique pertinacia in campo persistunt, donec Ormandius, Martini Thurii Legatus, cum sexaginta hastatis equitibus, centumque peditibus e proximo colle sese demittens, Turcis terrorem simul, & fugam injecisset. Alibegus, dum trepidos animat, perlevi plaga in fronte accepta, capitur, atque cum præcipui nominis alarum Præfectis, Viennam mittitur.

Cæsar, ac Rex Hungariæ Rudolphus, etsi suorum fortitudine magnopere delectatus, tamen ne suspectam suam fidem faceret Turcis, quasi induciarum specie, tot præliis secundo Marte commissis, bellum moliretur, armaque Turcica in se concitaret; Henricum Liechtensteinium Byzantium properare jussit Legati nomine. Is quinque navigiis secundo Danubio Budam petens, a Sinane arcis Præfecto, patria Florentino, magnifice habetur; atque inde altero, quam venerat, die Belgradum Bego uno, tribusque Chausiis comitantibus delatus, itinere per Serviam, Bulgariam, Macedoniæ partem, ac Thraciam facto, Constantinopolim tenuit. Nactus subinde opportunitatem Amurathem conveniendi, munera more superiorum annorum, in corona Purpuratorum obtulit, questusque perpaucis, de injuriis Hungariæ illatis induciarum tempore, etiam, atque etiam admonuit Imperatorem, ut suos deinceps ab omni hostilitate cohiberet. Rudolphum pariter pro sua authoritate adnisurum, ne in oppida Ottomanici juris, ferro, flammaque sæviant Hungari. Addidit: factas quidem fuisse procursiones ab utraque parte, verum Turcas prædandi studio arma provocasse. Amurathes jam antea edoctus suos hostilitatis initia dedisse; facilem se præbuit Legato; & cum ea tempestate maxime bello Persico urgeretur, novem annorum inducias dedit. Sed nempe ea sanctitate a limitum, arciumque Præfectis servatæ sunt, qua retro actis temporibus. Dederat ille quidem ad suos Præfectos literas, quibus, ut militem in officio continerent, præcepit: verum insatiabilis avaritia reverentiam excussit. NULLA res animos avaritia incensos moratur.

Nondum digresso Constantinopoli Legato Regio, summum vitæ discrimen subiit Amurathes, dum animi causa equestrem ludum suis cum mutis instituit. Est hoc genus hominum admodum familiare Ottomanicis Imperatoribus, tum quod jussi in omne nefas prompti ruant, tum quod Heris suis integram fidem semper præstent, ludicrisque corporum jactationibus, plurimum oblectamento sint. Horum consuetudine captus Imperator, frequenter cursu equestri diem extraxit. Prægrandibus equis, propterque molem corporis tardioribus mutos imponi jussit; ipse Arabico vectus equo, effuso cursu mutos premebat, & modo in hunc, modo in illum flagello, aut nervo bubali non molliter detonabat. In hoc non sane Imperatorio spectaculo, dum spectantibus risum movet, sudore diffluens comitiali morbo, sibi familiari, corripitur, atque tam gravi prolapsione præcipitatus est in terram, ut continuo atrox rumor universam pervaserit urbem, Amurathem aut fato functum, aut proxime functurum. Janicsari, qui primi rumorem læti exceperant, quasi religione soluti, Hebræorum, Christianorumque officinas invadunt, & e mercibus inde eportatis, stipendia sibi debita persolvunt. Vires sumpsisset pestis prædandi, ni Janicsarorum Tribunus ad primos tumultus strenuus accurrisset, militemque in ipso flagitio deprehensum laqueo necasset. Mox mancipiis, Janicsarorum vestibus indutis, ad Galatensem scalam magno numero suspensis, terrorem geminat, malumque in tempore extinguit. Amurathes adeo hanc famam non neglexit, ut cætera cunctabundus, quam primum dolor resedit, in publicum prodierit, rumoremque a malevolis temere creditum, ac sparsum refellerit. Quod ea potissimum de causa egit, ne error latius propagatus, hostibus Persis animos adderet, aut Mahometem filium, qui tum Magnesiæ res curabat, in Imperii spem abriperet. Ad videndum Imperatorem ingens vis hominum

con-

confluxit in forum, suis etenim oculis potius, quam alienis rem exploratam maluerunt. Et ille, quo penitus profligaret rumusculos serpentes, sonipedi insidens, quamvis vultu vestigia morbi referret, citato cursu Sophiæ ædes petiit, sospitatori Mahometi grates acturus. Hæc quidem Byzantii. At in Hungaria, & Illyrico rursum ad arma deventum eo adhuc anno, quo induciæ prorogatæ. Adeo Præfectorum arrogantia, insignisque avaritia omne jus, fasque proculcavit. Præter arma lues oborta, provincias, quo belli furor non pertigit, vexavit, ut paucis dicemus.

A. C. 1589.

Octona circiter millia Ferhatis Bosniæ Præfecti auspiciis in Carnos A) gravem, acerbamque incursionem fecere. Redeuntes cum captivorum grege, opimisque spoliis non dubitarunt aggredi Josephus Turrianus, & Thomas Erdődius Pro Rex Illyrici, atque primo impetu in fugam conjectos, captivis, castrensique supellectili spoliarunt, tanto majori Christianorum gloria, quanto Turcæ numero superiores erant. Hæc quidem in campo gesta. Paulo major in urbibus fit rerum perturbatio. Grave tempus, B) & forte pestilens annus erat Turciæ, atque Pannoniæ, nec hominibus magis, quam pecori. Byzantii, ubi hominum multitudo etiam peregrinorum reperitur, maxime morbus vulgabatur. Per ignota capita primum evagata vis morbi, pauperum casas late populabatur, tum militaris fere ætas omnis affecta, solicitudinem Amurathis intendit, ob Persicum bellum, quod eo temporis maximis viribus gerebatur. In Hungariam subinde malum, Turcarum commigratione translatum, complures provincias afflixit. Cumulavit stragem Hassanes, Assanes Italis scriptoribus, Szigethi Præfectus, qui insulam inter Dravum, Muramque jacentem, flammis hostilibus exussit, tanta celeritate adhibita, ut ante Szigethum versus spolia referret, quam Georgius Zrinyius cum expedito equite advolare posset. Sed eodem adhuc anno reddita est clades a Nicolao Palffio, atque Francisco Nadasdio. Palffius Comaromiensem præfecturam adeptus, haud procul Comaromio vallum erexerat militari opere, ad incursiones hostium frænandas. Illud Isacus Albæ Præfectus oppugnare, ac funditus exscindere meditabatur, jamque silenti agmine eo progressus ad vallum constiterat quietem capturus, dum lucesceret. Palffius quasi ex condicto, multa nocte Comaromio cum militum manu ad eundem locum processit adversus Albanenses. Velites, qui agmen præcesserant, fremitu Turcarum exciti, ac tenebris tecti tela expediunt, pugnamque capessunt. In eo ancipiti prælio multi nostrorum militum ob altas tenebras acti erroribus, mutuo seipsos conficiebant. Eademque apud hostem rerum facies, donec albescente aurora, Palffioque incumbente cum validioribus copiis, Isacus trepida fuga campos emensus, proximas sylvas petiisset, victoria, impedimentisque victori militi relictis.

Nadasdius hujus victoriæ particeps, longe ampliorem suo deinde Marte confecit. Ad Kopanium, C) nobile Turcarum præsidium intercipiendum pridem animum adjecerat. Sed Balaton lacus Herois vota morabatur, donec rigidiori hiemis tempore gelu duratus, semet veluti solidum pontem cohortibus, reique bene gerendæ opportunitatem præbuisset. Quanquam Nadasdius hac expeditione oppida potius Thracum, qui Christianis annuum tributum pendere recusarunt, vastanda susceperit, sive quod ad Turcas deficere vellent, sive quod a Balatone satis, superque se tutos arbitrarentur. Jam medium lacum superarat servatis militaribus ordinibus, accolis ad rem insolitam stupentibus, cum Paulus Sylvaius Vesprimiensium peditum Centurio advolat, quærit ex Petro Orsio alæ equestris Ductore, quo tendant?

A) Istvanffius hanc, & superiorem incursionem ad annum 1584. refert, additque Amurathem & Purpuratos Cæsareis Legatis Paulo Aicingero, Leunclavio Eizingano, & Henrico Liechtensteinio, Christianorum perfidiam objectasse, quasi vero illi induciarum sanctitatem primi violassent. At condocefacti, arma adversus prædabunda agmina cepisse Hungaros & Croatas, vimque vi repulisse, Legatos incolumes dimisere. Liechtensteinius Veneta triremi per Græciam reversurus, Calliopoli ad Hellespontum e vivis migravit 1585. sexto decimo die Aprilis, cui addidit epitaphium Joan. Leunclavius comes itineris. B) Anno 1586. C) Istvanff. L. XXVI. Anno 1587. & Annales Turcarum.

A. C. quemve hostem vellent impetere? intellecto Thracum oppida populanda; 1589. ille etiam, atque etiam suadere, Kopanum tenderent potius, periculi securum: præiturum se sua cum centuria, & reliquo militi iter aperturum; sibi omnia perspecta, exploratque esse. Placuit Nadasdio hominis consilium, attributaque ei Battyaniorum militum centuria, Kopanum versus iter maturant.

Neque fortius egit, ac dixit Sylvaius. Ante auroram appropinquans oppido, dum densiori nebula omnia tegerentur, non secus, quam nocturno itinere, minorem portam occupat, eaque securibus, atque dolabris e cardinibus evulsa, Nadasdium, qui strenue vestigia presserat, cum suis cohortibus accipit. Mox sublato ingenti clamore, qualis victorum esse solet, armati vicos oppidi invadunt. Ingens pavor barbaros primum perculit; deinde recepto animo suis quisque rebus consulere occepit. Pars conjuges, & liberos; pars fortunas tueri; nonnulli conscensis inter tumultum equis per aversam portam semet ejicere; pauci, quos vetus odium, recensque ira in Hungaros stimulavit, arma rapere, & pro viribus depugnare. Sed jam victor miles stationes primarias tenuit, ferroque viam indagans, fortes juxta, atque ignavos sternit. Regessus Kopani Præfectus, subita impressione consternatus, consilii incertus, domi suæ sese continuit, clementiamque victorum imploravit. At Mustabegus, Sinanis filius, mortem fortiter oppetere, quam vitam ignominosam ducere maluit. Is cum grege mancipiorum in subterraneam apothecam se abdiderat, diuque locum sagitis, sclopetis, varioque telorum genere defenderat; cum victores capta mancipia ante illius conspectum adferunt, hortantur; *cederet necessitati: se una cum sociis victoribus tradat. Videret, ne quam ille fortitudinem existimaret, in temeritatem degeneret. Oppidum jam direptum, ac repugnare ausos partim cæsos, partim captos.* Moveri videbatur homo plusquam Punicæ fidei. Nadasdium acciri rogat, cujus unius clementiæ dediturum se pollicebatur. Is sive barbari fastum aversaretur, sive alibi utiliorem operam poneret, vices suas Joanni Thraci, cognomento Odobassæ commisit. Ut intra teli jactum constitit Odobassa, adeo scite a Mustabego graviori sagita gutture trajicitur, ut ex equo deturbatus, continuo animam ediderit. Qui aderant Hungari, recenti ira feroces, commilitonis mortem ulturi, postes effringunt, valvas subruunt, congestoque fœno, & stramine in apothecam, ac igne injecto, cum multa mortalium strage Mustabegum suffocant. Tum vero interemptis, aut fugatis præcipuis Ducum, Kopano potiuntur Hungari, versique ad prædam, tantam vim omnis generis spoliorum congerunt, præter sexcentos captivos, ut cum plaustra deessent, magnam partem eorum, aut cæno immerserint, aut inter ignem diviserint. His prospere, festinanterque actis, ne Balaton calidioribus ventis per eos dies solutus, iter interciperet, conjectis in tecta ignibus, ovantes in hiberna rediere.

Inter hæc Sasvares e provincia sua Bosnensi egressus, Szigethum ad prima veris initia venit cum virorum robore, sive nobiliorem arenam quæsiturus, sive, cui potius fidem tribuo, valetudinem curaturus. Æstate media transacta, & firmatis utcunque viribus, ut erat militiæ laboribus a puero assuetus, otium abrupit, atque eam regionem, quæ Styriæ finibus vicina, ad flumen Muram pulcherrimo tractu protenditur, & tum a belli cladibus intacta, vastare, urereque constituit. Qui sub Solymano Szigethum ceperant, & per hos annos stipendia cum aperto capitis periculo fecerant Turcæ, Sasvarem monuerunt: *ut ne excubantes Hungaros irritaret: nosse se illius regionis incolas, & milites, quorum plerique disciplina Nicolai Zrinyii exculti, nunc sub filio paternæ virtutis, & irarum hærede militiam sectantur. Raro sine clade se redivisse, quoties in proximos agros procellam effuderunt.* Ille, ut erat sui tenax, atque adeo alieni consilii impatiens, maxime ubi de re militari quæstio oborta, convocatis e proximis præsidiis Præfectis, militumque manipulis, cum octo millibus armatorum in expeditionem se dedit.

Hic

Hic rurſum monere, obteſtari veterani milites, ut, quando placuit in hoſticum ducere, ita adornaret iter, ne in conſpectum Kaniſæ, cum tantilla manu veniret, Zrinyiumque ad defenſionem promptum ultro provocaret. Sed homo ferox, & gloriæ avidiſſimus, tantum abeſt, ut ſuorum monitis cederet, ut juxta Kaniſam A) traducto milite inconſulto magis, quam ferociter diceret: *tantam formidinem incuſſurum ſe Zrinyio, ac præſidiariis, ut ne vultum quidem ſuum modico obtutu delibare auderent.* Secus accidit, ac ſibi perſuaſerat. Nam Zrinyius temeritatem Saſvaris pro merito caſtigaturus, geminatis per occultos calles nunciis, Balthaſarem Battyanium, Franciſcum Nadasdium, Fridericum Trautmanſtarffium de itinere Turcarum admonet: daturum ſe majoribus tormentis Kaniſa ſignum, ubi opportunitas rei gerendæ fuerit, advolarent ipſi cum ſuis legionibus, victoriam haud dubie certam fore. Ibat interim Saſvares ſuo cum agmine, ſuperataque palude, quam Caniſius rivus alveum ſupergreſſus perennem facit, Muram verſus contendit. Et cum neque a præſidiariis, neque tormentorum ictibus impeteretur, Dux incautus, id fieri per metum interpretatus, majoribus longe animis in exitium ruebat. Ut ventum erat in deſtinatum agrum, omnis ira ad populationem vertitur, nulla incolumi relicta re, cui ferro, aut igne noceri poſſet. Et paucos intra dies ex inermi regione, ac nuda præſidiis, hominum, pecudumque præda ingens hoſtibus obvenit. Dum ſine formidine hunc in modum deſæviunt; fumo ex incendiis villarum, ac ictibus tormentorum ſignum accipiunt Chriſtiani Kaniſam proficiſcendi. Caſtra fiunt ad inſulam Sarkaniam; cumque pares numero eſſent hoſti, ita ſtationes inter ſe diviſere Duces, ut omne militare iter firmo præſidio occuparint.

A. C. 1589.

Jam Sasvares ſpoliis grave agmen ad vicum, cui Sancto Blaſio nomen inditum, nocturno itinere egit, cum ſero animadvertit, paludum anguſtias ab Hungaris inſideri; captoque in arena conſilio, relecto paulisper itinere exitum quærit. Zrinyius, ubi, id quod petierat, clauſum paludibus, & circumfuſum ſuis copiis habuit Turcam, ſignum omnibus dat invadendi. Primi, equites cum aquis, & locorum anguſtiis luctantes adorti, adverſis haſtis confodiunt. Sed major eo die a pedite patrata eſt ſtrages, quod loca paluſtria equitatum certis limitibus coercerent, celeritatemque conſequendi hoſtem ei adimerent. Nicolans Malikoczius, Zrinyii Legatus, adductis fiſtulatoribus, Turcarum ſigna primus turbavit, turmamque Spahiorum ſumma cum trepidatione in fugam adegit. Saſvares, perculſis omnibus, ipſe ſatis, ut in deplorata re, impavidus turbatos ordines rurſum in aciem reducere contendit, Ducesque nominatim appellatos hortatur, ut vi, ac virtute per medias acies ferro viam aperiant, aut ſi cadendum, ne inulti pecudum inſtar trucidari ſe ſinant. Cæterum præ morientium ululatu, nec conſilium, nec imperium accipi potuit, tantumque aberat, ut ſigna, atque ordines ſequerentur animis jam metu victis, ut vix ad arma capienda, aptandaque pugnæ mens competeret.

Quinque-Eccleſienſes, Mohacſiani, & Poſſegani cum aliquamdiu in acie ſtetiſſent, tandem & ipſi fugam capeſſunt. Pars magna (ubi locus fugæ deerat) per prima vada paludis progreſſi in aquam, quoad capitibus, humerisque extare potuere, ſeſe immergunt: fuere, quos inconſultus pavor altius in voragines paludum impulit, quas cum ſuperare non poſſent, deficientibus animis hauriebantur; aut ægerrime regreſſi, a victoribus fœde mactabantur. Reliqui locorum ignari partim cæſi, partim capti fuerunt. Mahometes Quinque-Eccleſienſis, & Haſſanes Kopani Præfecti, e fuga retrahuntur. Sinanes Mohacſienſis in cænoſam paludem provectus, glande plumbea ictus ſternitur. B) Sasvares fuſis agminibus, ipſe quoque per paludem fugam

A) Kaniſa, ſive Caniſa, provinciæ Szaladienſis præſidium, nunc munimentis exutum. B) Ita Iſtvanff. loco laudato. Annales, quo exitu terminarit vitam Sasvares non meminere. In reliquis Iſtvanffiana narratio eadem eſt cum Annalium. Daniel Hartnaccus in Conſpectu Bellor. Turc. ad annum MDLXXXVII. hæc ſcribit: „Georgius Zrinyius, & Nicolaus (Franciſcus) Nadasdius præclaram de Turcis, qui pace violata XVII. caſtella devaſtarant, & Chriſtianos multos abduxerant, ad Caniſam interceptis victoriam reportant.„

A. C. fugam iniit, ac quinto die poſt, quam pugnatum eſt, viribus fractis ad
1589. ſuos evaſit. Non poſt multo temeritatis pœnas a ſemetipſo exegit. Nam juſtam Principis ſui iram veritus, cum Byzantium feſtinaret cum muneribus, fruſtraque Amurathem delinire conaretur, iram acuentibus iis, quorum familiares prælio ceciderunt, venenum, in ſimiles uſus paratum, hauſit, nemine viri fatum lugente, quod plerumque impetu magis, quam conſilio arma ceperit, nec miles eo Duce victoriam ſperarit, minus reportarit.

Altero anno A) longe minoribus copiis de Turca triumphatum erat ad Szikſzoviæ oppidum. Ferhates, cui non ita pridem attributa fuit princeps in Hungaria præfectura, in avaritiam, & crudelitatem præceps, populum ſuæ ditioni obnoxium maximis oneribus, novoque tributi genere divexare cœperat; id quod homini avaro, Turcicoque nomini odium cumulavit. Quotidianis prope belli injuriis exhauſta erat tota regio, ille nihilominus tributum antea modicum, augere, auctum inclementius exigere, & ni ſtatis diebus vectigal ærario inferrent, pro ſuo imperio alios libertate adempta in vincula raptare, alios crudeliſſimis Heris divendere. Cum nullum ſæviendi in miſeros finem facturus videretur, plurimi incolarum metuentium ergaſtula, ergaſtulisque duriorem ſervitutem, deſertis ſedibus, natale ſolum verterunt. Ii tamen, quos vicinæ arces, atque præſidia ab injuria tutos reddebant, ſæva imperia averſati, ad arma reſpexerunt. Nec aliud remedium in ea licentia temporum, quam ex bello ſumi potuit. Szikſzovienſes inprimis, a quibus mille nummi aurei numerandi erant, projecto metu, nullaque futurorum diſcriminum cura, non Ferhatis modo poſtulata rejecere, verum etiam Caſſovienſis, Tokainæque urbium opem adverſus vim Præfecti, palam imploravere. Ille ſuam, ſuique Imperatoris dignitatem contemni ex tergiverſatione Szikſzovienſium, minaciter queſtus, ne vicina oppida contagio eadem traheret, ferrum, & ignem pertinacibus minabatur. Nec mora: convenire juſſis minoribus Præfectis in agrum Peſzthanum Septembri exeunte, ſex equitum, totidemque millia peditum Szikſzoviam verſus ducit; tanto ultionis ardore, ut non dubitarit dicere: ſuam, exercitusque ſalutem malle in apertum diſcrimen conjicere, quam defectionis authores inultos præterire.

Ad quintum idus Octobr. ſub primis tenebris in conſpectum Szikſzoviæ deventum fuit. Oppidanorum plerique rebus ſuis diffiſi fugam capeſſivere, pauci arreptis armis templum præalta turri, ac mænibus cinctum inſederunt, crebrisque ſclopetorum ictibus incurſantes pro virili arcuerunt. Cum pulſos indignatio accenderet, paulo plures in certamen prodivere; nec ſuſtineri potuiſſet illorum vis, niſi Sigismundus Rakoczius, is qui ante aliquot annos eodem in loco mille Turcas cæcidit, capto Haſſane equitum Præfecto, bipartitis agminibus ad terrorem augendum, in auxilium properaſſet. Turcæ ſubito noſtrorum adventu perculſi, omiſſa oppugnatione vallorum, juſſu Caralis Begi, Ferhatis in ea expeditione Legati, ſubjectis facibus templi, oppidique tectis, aciem ſtruunt. Neque Hungari cum Germano milite pugnam detrectant flamma undique collucente, ac tenebras ſubmovente. Caralim inter nocturnos tumultus, dum in prima acie criſtis, armiſque conſpicuus verſatur, excuſſo e capite linteo tegumento, graviſſimum vulnus in fronte acceptum, ex prælio ſubmovit. Quo viſo utraque pars in atrox, ſi unquam alias, certamen exarſit.

Muſtaphas Szecſenienſium Præfectus, nutantem ſuorum aciem reſtituere conatus, a noſtris haſta trajectus, ante oculos Janicſarorum occumbit. Duobus poſt hos viris fortuna hoſtium innitebatur, Peſzthanæ claſſis Gubernatori, & Janicſarorum Tribuno. Hi prope jam profligatos Janicſaros cohortati, in certamen novum perpulerunt, maxime ubi tormentis noſtrorum latera impetiere. Et quanquam parum detrimenti le-
giones

A) Nempe 1588. Iſtvanff. Lib. XXVI.

giones acceperint, tamen fragor tormentorum adeo nonnullos perterruit, ut solutis ordinibus, nocte pudorem tegente, terga dare inciperent, signis aliquot hostibus concessis. In altero cornu longe pertinacius pugnatum fuit Ducibus Balasdeako, & Barczio, quorum fortitudine, atque invicta constantia victoria est parta. Corcutes Fülekiensis Praefectus numero suorum fretus, aequo Marte praelium extraxit, unusque omnium maxime cum hastatorum, tum loricatorum equitum impressionem excepit. In tam ancipiti, obstinatoque certamine multi utrinque cadunt, plures tamen e barbaris, quod temere procurrentes infestis hastarum cuspidibus figerentur. Jam amplius quatuor horas acerrime pugnatum erat, cum tubicen Rakoczianus, sive jussu Ducum, sive sponte sua conscenso vicino colle, signum edit, speciemque praebet festinantis ad praelium militis. Errorem adjuvit nox intempesta, quae omnia circum loca occuparat.

A. C. 1589.

Tum enim vero Turcae suppetias imminere rati, trepide ordines deserere, & quasi imperium fugiendi accepissent, armis abjectis, signisque militaribus relictis, cursu effuso sus deque ferri. Spahii, equestris militia apud Ottomanos, primi initium fugae fecerunt, deserto Janicsarorum robore ad caedem, aut servitutem. Multi tamen per altas tenebras ad fluvium Sajonem pervenerunt, ubi reliqua fuga desperata, magno numero interfecto, reliqui se in aquas praecipitarunt, atque ibi timore, lassitudine, & vi fluminis oppressi perierunt. Caesa ea nocte hostium duo millia, capti ter centum octoginta sex, cum omni supellectili castrensi. Neque nostris incruenta victoria fuit, quando quidem ex Hungaris quadringenti decem, e Germanis ducenti viginti cecidere. Haec victoria tanto celebrior habebatur, quanto minori manu est parta; quippe in universum copiae Christianorum censebantur duo millia quingenti, quinquaginta novem. A) Nempe NON numerus, sed virtus pugnat, & vincit.

Haec porro Szikszoviensis clades non magis continuit Ferhatis, ac devictorum animos, quam stimulavit Hungaros, ut non arma modo hostilia propulsarent, sed & ultro inferrent. Vincentius Gregoroczius, & Petrus Huszarius, ille Jaurinensium, hic Papensium copiarum Legati, cum binis millibus praesidiariorum vastas solitudines sylvarum (Vertes) insederunt, Albanis, aut Budensibus Turcis insidias locaturi. Verum cum nupera clade exterriti, solitis procursionibus abstinerent, Hungari biduo exacto in sylvis, sine operae pretio ad arcem Gestesiam intercipiendam, haud procul inde distantem, animum, viresque adjiciunt, impellente praecipue Radicsio Veszprimiensium Ductore, qui quondam ea in arce stipendia fecerat, aditusque omnes sibi notos habuerat. Hominis consilium fortuna minime fefellit. Praeeunte eo, copiae sine tumultu portis admoventur intempesta nocte. Dato deinde signo paulo ante lucem, quod sopitae maxime quietis tempus est, proruto vallo dolabris, eversaque uno impetu porta, stratos passim vigiles invadunt ante, quam semisomnes arma caperent. Paucis armandi se spatium est datum, atque ii non signum certum, non Ducem sequentes, in superiorem arcem sese recipiunt. Victores eodem ardore portas adoriuntur, dumque summis viribus minarum pleni instant, Turcae excidium veriti, deditionem faciunt, arce cum omni apparatu bellico Gregoroczio tradita. Ferhates amissae Gestesiae dolore exacerbatus, apud Ernestum Principem Rudolphi II. Hungariae Regis fratrem literis egit, ut arx induciarum tempore occupata, sine mora reddatur; secus educturum se ex hibernis militem, ac praesidia Christianorum, aperta vi oppugnaturum minabatur. Quanquam Princeps haberet, quo factum Hungarorum tueretur, tamen ne videretur barbaris ultro obtulisse occasionem invadendae Pannoniae, arx iterum Achomati, Legato Ferhatis, sine fraude restituta est. B)

Altero

A) An Ferhates cruentae pugnae interfuerit? non constat. Crediderim alieno ductu expeditionem peractam, cum Istvanffiana lectio Lib. XXVI. nusquam illius meminerit. B) Istvanffius L. XXVI.

A. C. 1589. Altero post anno a) paucorum procursiones fere abruptis induciis in apertum bellum exarserunt. Georgius Turzo, b) equitum Ductor, delectis quadringentis equitibus Uivarino egressus, propter Strigonium insidias tetendit Ottomanis, in quas ut pelliceret eos, Mathiam Huszarium, noti roboris apud Hungaros virum, cum pauca manu in conspectum urbis præmittit. Memis id temporis Strigonii Præfectus, valido agmine erumpens, commissa pugna Huszarium tanta cum trepidatione fugat, ut ne unus quidem fugientium ad Turzonem, inter arbusta cum suo manipulo latitantem, rediret, hostiumque adventum referret. Itaque Memis versus in Turzonem, quanquam acriter repugnantem cum sociis, in fugam avertit, cæsisque nonnullis victor Strigonium rediit. Non aliam suorum jacturam ægrius tulit Turzo. Quare cladem ut hosti rependeret, in omnem occasionom imminebat. Equites pariter, qui se ægre Turcarum furori subduxerant, ultionem parabant tanto ferocius, quanto nuper magis inglorii e campo redierunt. Neque longe occasio aberat.

Inter Michaelem Borium Bakabanyensis præsidii Legatum, & Ibrahimum alæ equestris Ductorem, leves primum inimicitiæ intercesserant ob captivos, quos Borius numerato ære servituti eripere cupiebat, Ibrahimo obnitente; dein in convitia mutua, ut fit, prolapsi, ad singulare certamen sese provocavere. Ibrahimus a Ferhate, Borius a Nicolao Palffio, obtenta potestate ferro decidendi simultates, ad condictum diem, & locum data, acceptaque fide aderant, singuli centum equitibus (quanquam spectandi gratia plures Turcarum confluxerint) stipati. Verum cum Borius certo rumore accepisset, Ibrahimum ad hoc certamen ejusmodi equum delegisse, cujus innata ferocia, an arte? haud dubie opprimeretur; negavit se in arenam descensurum, nisi Ibrahimus mitioris naturæ equo vellet uti. Quod cum constanter abnueret, re infecta discessum fuit; ita novam litem decidente Pogranio, qui pugnam moderaturus Carpona advolarat. Sed vix paululum processerant Turcæ, præsidiarii novæ arcis, quos fama certaminis eo acciverat, posthabito Ducum imperio, sui securos infestis telis impetunt, ac subita invasione perculsos, partim obtruncant, partim e fuga retrahunt. Sic cladem nuper acceptam insigni flagitio, ac dedecore Christiani nominis rependunt. Ibrahimus locorum peritus, nostrorum quidem manus effugit, at præferocem equum, cujus supra meminimus, victores interceperunt; quem Joannes Draskovicsius paucis post diebus, jubente Palffio, cum inscendisset periculum facturus ferociæ, tanto impetu in adversarium equitem insiliit, ut frustra reluctante sessore, quanquam ætate, viribusque prævalido, prioribus pedibus erectis æmulum ad terram afflictum, dentibusque fœde arreptum, momento temporis confecerit.

Temerarium facinus Uivariensium adeo graviter tulit Ferhates, ut nisi eo anno fatis cessisset, multo utique Christianorum sanguine eluendum fuisset. Ad Principem Ernestum literas dedit irarum plenas, quibus captivos cum omni præda adempta reddi, & de cæsis, interfectisque satisfactionem minaciter postulavit. Capti continuo ad suos dimissi sunt. At non levis difficultas oborta est inter Hungaros, & Germanos, quod illi judicium militare subire detrectarent, peterentque pervicaciter, secundum patrias leges ut lis decideretur. David Ungnadius ea tempestate Senatus bellici princeps, etsi authoritatem suam infringi intelligeret hac tergiversatione, tamen ne exasperatos magis irritaret, Palffio, ac Turzoni negotium commisit; qui Franciscum Nagyium, Georgium Nyerium, & Petrum Ormankozium, temerariæ invasionis authores, in carcerem conjecerunt. Missus præterea ad Ferhatem erat Joannes Jurkovicsius, gente Dalmata, cum muneribus, quem acrioribus verbis exceptum primo in congressu, deinceps mitius habuit, muneribusque donatum, amice dimisit cum nuncio, ut Ernestus paucorum supplicio parentaret Turcarum cædi, nuper per fraudem inter-

a) Videlicet anno 1589. b) Georgius Turzo domi, militiæque rebus gestis clarissimus, Pro-Regiam in Hungaria dignitatem obtinuit 1609. a morte Stephani Illyeshazii.

interemptorum. Ita jus gentium vindicatum iri, nec inducias rumpendas.

A. C. 1589.

Verum ante suorum mucronibus cecidit Ferhates, quam supplicium de reis sumeretur. Quippe cum ad normam Principis sui admodum avare, administraret Budæ provinciam, in omnium odio versabatur; maxime militum, quorum stipendia sine fine differebat. Accessit & alterum malum per eos dies, quo homo avarissimus extremam perniciem capiti suo imminentem acceleravit. Pannum Thessalonicensem, orysam, cæterasque merces de industria pretio justo majori æstimatas, Janicsaris emendas obtrusit; cumque illi iniquissimæ nundinationi cum precibus, tum minis intercederent, nihilque præter verba impetrarent, inita conjuratione, in atrio prætorii nihil tale metuentem non uno vulnere contrucidant. Amurathes non ausus ulcisci mortem Ferhatis, sive quod jure cæsum ostenderent Budenses, sive quod apertam Janicsarorum defectionem metueret, venia concessa percussoribus, Hassanem, Mehemetis Magni Purpuratorum olim Principis filium, Byzantio Budam abire jussit, qui res Pannonicas curaret; ageretque pro viribus apud Cæsarem, ut munus biennio neglectum, de more veteri mitteretur. A)

1590.

Cæso Ferhate, implacabili Hungarorum hoste, nihilo pacatior res patria habuit, Sinane supremo Vezirio bellum in Pannonios moliente. Pace B) etenim facta, ac obside, Regii sanguinis puero, firmata, cum omnia pacata ad Persidem videret, armorum gloriæ avidissimus, campum bellandi alibi quæsivit. Amurathes avaritiæ non minus, quam otio inter gregem fæminarum a pueritia deditus, a belli consiliis cum saniori Purpuratorum parte multum abhorruit, quod probe intelligeret, sive terra, sive mari bellum gereretur, ærarium Persicis turbis vehementer imminutum, in novos apparatus penitus exhauriendum; sibi vero etiam in Gynecæo curas obventuras. Suberant præterea non leves difficultates, quæ consilia pacis præ ancipiti bello suadebant. Inprimis sinistro Marte per tot annos sæpius pugnatum cum Persa, ut prope Janicsarorum nomen deletum videatur. Neque Duces veteris disciplinæ adesse, quibus copiæ multis partibus accisæ, cum certa victoriæ spe committi possent. Hæc Purpurati in sanctiori consilio. Sinan, seu Sinanes, contra pro viribus adlaboravit, ut Turciam novo bellorum tumultu involveret, translatis ex Asia in Europam armis. *Non equidem negavit pacem Polonis, Hungaris, Venetis datam; at eam jam dudum a Cosacis* C) *violatam ajebat. Szikszoviam vero nobili Turcarum clade notatam, satis superque testari, qua integritate, fideque inducias Hungari colant. Neque Cæsarem pactis conditionibus stare, cum crebrius nunciis commonefactus, biennio jam evoluto nondum munus Imperatorium Byzantium miserit. Venetam Rempublicam more aliarum gentium insultare nomini Turcico, nec annuum vectigal Corcyræos pendere Imperio. Hæc sane ut ingens dedecus Amurathis nomini inferunt, ita minime ferenda. Vilescere in dies Magni Imperatoris authoritatem, nisi armis fulciatur.*

Huic Sinanis sententiæ, præter plerosque Purpuratorum, obnitebatur Mufftius, supremus apud Turcas sacrorum minister, qui ut bellum Persicum Religionis causa gestum consiliis suis promovit, ita eo profligato pacem cum finitimis Christianorum Principibus colendam, maximo studio Imperatori suggessit; atque ut postea patuit, felicius, quam Sinan, id quod intenderat, obtinuit. Adversarium tantæ authoritatis ut e medio tolleret Sinan, haud opus erat multo sudore. Presso, quem hauserat e Mufftii sententia, dolore, non multo post nihil suspicantem mensæ suæ adhibet, ac inter epularum hilaria veneno supremæ potioni indito necat. Tanta vero vis malo inerat, ut nondum convivio soluto cruciatus acutissimos sentiret. Soni-

A) Vide Istvanffium ad calcem L. XXVI. B) Annales Ferdinandei. C) Cosaci, gens rapto vivere assueta, urbem Benderiam, seu Bender, subita invasione occuparunt. Olim Poloniæ limitum custodes adversus Tartarorum irruptiones. Nunc in plures colonias divisi, partim Polono, partim Moscho, & Ottomano subsunt.

A. C. 1590. Sonipedi æger impoſitus, quo vehi conſueverat, ex eoque ad fores Sinanis prolapſus, e veſtigio extinguitur inter famulorum miniſteria. In defuncti corpore etſi manifeſta veneni veſtigia legerentur, tamen Amurathes in cædis authorem nihil gravius ſtatuit, ſive unius crudele facinus multorum conſpiratione peractum putaret, ſive denique ejusmodi crimina inter aulicos ſuos domeſtica, ac civitate donata, ſilentio transmittere didiciſſet. A)

1591. Sublato tam potenti æmulo, nondum Sinan in bellum omnia expedita habuit, Imperatore pertinaciter omnem armorum materiam averſante. Quapropter ut invitum pertraheret ad arma, Haſſanem Bosniæ Præfectum per literas monuit anno MDXCI. ne otio tempus tereret, ſed ea in regione vim Cæſareanis afferret. Quod ſi hoſtilitatem propulſatum irent, daret extemplo Byzantium literas rupti fœderis internuncias. Si populationem quieti exciperent, geminaret cladem, quoad arma caperent: hoc modo Amurathem non in Illyricum modo, verum & in Hungariam infeſtum exercitum miſſurum ſperavit. Gratiam fortaſſis inivero a Lectore, ſi paucis ediſſeram originem, fortunamque hujus Haſſanis, quandoquidem ſecundum Sinanem violati fœderis, ac diuturni belli, quo Hungaria cum adſitis provinciis multum attrita eſt, authorem Annales domeſtici ferant. Is in Thracia nec obſcuro, nec tenui loco natus, Haſſanem, Fülekienſi quondam arci præpoſitum, propinquitate ſanguinis attingebat, cui in acceptis referre debet, quod in numerum adoleſcentum Selymi adlectus, aucupii, aviumque rapacium principem in aula præfecturam obtinuerit. Hoc officio dum ad votum Heri ſui ſedulo fungitur, tantum ſibi gratiæ apud præcipuos Miniſtrorum conciliarat, ut Purpurati Osmanis, Perſico bello multum inclareſcentis, viduam in conjugem accipere minime dubitarit; quacum præter ingentes divitias, liberalitate Principis Bacſienſem præfecturam fortunæ ſuæ innexuit.

Sed hæc tam divites venas non habuit, ut ſitim Haſſanis ſedare, aut luxui conjugis ſuæ ſufficere poſſet. Idcirco ad ampliora uterque aſpiravit. Egerat illa cauſam ſuam apud pellicem, cujus conſuetudine plurimum tenebatur Selymus: Haſſanes vero apud Sinanem; quorum commendatione Bosniæ provinciam regendam accepit eo temporis, quo Ferhates Budenſi admotus erat. Memor itaque beneficii accepti, patroni poſtulatis ſatisfacere contendit. Collectis armatorum quinque millibus, eam regionem quæ inter Criſium, B) & Ivanicium protenditur, ſubita populatione invadit, ac circumlato armorum terrore, oppidisque incendio deletis, Boſiacum Tahii caſtellum uno impetu capit, quo etiam ſuccenſo, ingenti celeritate juxta Zagrabiam late, longeque evaſtatis oppidis, prædas agit; effuſurus haud dubie in vicinos agros ferociam, niſi amnes autumno jam præcipitante imbribus aucti, iter præcluſiſſent. Redeuntem cum opimis ſpoliis, ac colluctantem cum amnibus, exceperunt Illyrici Duces, Stephanus Grasbanius, Gregorius Labeharius, & Michael Siculus. Haſſanes nondum viſo hoſte, primis immixtus agminibus iter accelerat, relicta peditum, equitumque manu, quæ fugientis tergum tueretur. Miles Illyricus aſſecutus recedentes, ingenti clamore pugnam capeſſit. Alibegus, & Osmanes ultimi agminis Ductores, irruentium impetum ſuſtinuere, miſſisque equitibus ad Haſſanem, ut laborantibus opem ferret, ſpe auxilii venturi audacius, quam conſtantius in acie perſtiterunt. Ubi intellectum, Haſſanem non de prælio, at fuga conſilium iniviſſe; tandem & ipſos pavor, fugaque occupat. Eo prælio cecidit Osmanes, & alii clari nominis Ottomani. Duo ſupra viginti militaria ſigna Victoribus obvenerunt, cum ſeptuaginta duobus captivis, quos inter Muſtapha erat equeſtris turmæ Ductor. Illud Victorum animos mire adfecit, quod quadringentos Chriſtianos ſæviſſimo hoſti ereptos, libertati priſtinæ reddiderint. c)

Hoc

A) Iſtvanff. L. XXVII. Cæterum Annales Ferdinandei nihil de morte Muffrii. B) Criſium civitas libera, & Regia ad montium radices: hanc Ratkajus Banorum Croatiæ Scriptor, ab amplitudine, & Comitiorum frequentia celebrat. Ivanicium caſtellum, quondam Sclavoniæ Bani ſedes. c) Iſtvanffius loco laudato.

Hoc accepto detrimento nihil dejectior Hassanes, Illyricorum animos magis irritare in bellum constituit. Habito consilio cum Rustane suo Legato, Velethame, & Erdogle, regionis illius peritissimis, arcem frænando Illyrico erigendam perquam necessarium existimavit. Cum diversas sententias promerent de loco arci deligendo, ipse oculis perlustraturus regionem, cum copiis suis in Illyricum contendit. Qui Goræ, & Rastoviciæ præerant, Turcarum adventu exterriti, excesserunt. Hanc regionem contemplatus Hassanes, agrum ubi Petrinius amnis e montibus devolutus Colapi miscetur, arci extruendæ percommodum censuit. Nec quisquam suorum huic consilio intercessit, quod facile appareret, a loci ingenio plurimum munimento accessurum. Inde castris promotis Sisciam A) versus abiit, ratus præsidium illud sui fama, & copiis solummodo ostensis deditum iri. Secus, ac putaverat, evenit. Nam Nicolaus Mikaczius unus e numero Canonicorum Zagrabiensium, non minus toga, quam sago clarus obstitit, machinisque castrensibus strenue solutis, ab arcis aditu barbaros cohibuit. Hassanes perspecta Nicolai virtute non ausus propius accedere, triduo in ulteriori Colapis ripa exacto, iter relegit. Pro-Rex Illyrici, Thomas Erdődius, hostium irruptionibus provocatus, accitis Nobilium copiis, & præsidiario milite vicinarum arcium, Monoslo, oppidum sui juris, at tunc temporis a Turca possessum, invadit; triduoque post, quam oppugnari cœptum est, deditione capit, propugnatoribus libere abire permissis. Arx, cum plus periculi, quam auxilii Illyrico adferre videretur, jussu Pro-Regis diruta est. His intellectis Hassanes, Rustanem, Legatum suum, Constantinopolim festinare jussit, mendaciis apprime instructum, quibus Amurathem in bellum Pannonium flammaret.

A. C. 1591.

Is ad Imperatorem admissus, orationem querelis plenam orsus est. Ajebat: *Pro-Regem Illyrici justo exercitu fines Ottomanorum incurrisse nuper, arcem non minus milite, quam apparatu bellico instructam, vi intentata cepisse, brevique Bosnensi provincia depulsurum Turcas, nisi arma victorioso hosti opponantur. Hassanem non tam metu, quam induciarum sanctitate ab omni hostilitate militem suum cohibere. Intra arcium, urbiumque munimenta Turcas torpere; popularium cædes, fumum ex incendiis villarum, agrorumque quotidie oculis spectare, nihil tamen attentatum in hostes a copiarum Duce, ne primus infregisse pacem & diceretur, & haberetur. Videret Imperator, ne res Turcica ea in provincia majori detrimento in dies afficeretur; debellari posse Illyros una æstate, si bellum decerneret, copiasque sat tenues novo supplemento militum augeret. Cunctando hostium animos nimium jam auctos, nec tolerandam eorum superbiam.* His ferociter dictis, quo authoritatem adstrueret, ferream pilam, sexaginta facile librarum, nescio unde allatam, in vestibulo curiæ ostendit, asserens ejusmodi globis arcem verberatam, & ad deditionem coactam.

Non deerat tam opportunæ occasioni belli excitandi Sinan, cujus atroci ingenio hæc faba cudebatur in Hungariam. Calamitatem Bosniæ, Victorum armis pene subactæ, longe uberioribus verbis Amurathi exposuit, Hassanique ante omnia opem ferendam dictitavit. *In eo, Bosniaque conservanda versari salutem Imperii. Amissa nobilissima provincia, viros defuturos Turciæ, quibus Majorum armis parta inposterum tueretur. Inde robur militiæ collectum: inde Duces exercitibus datos. Cæsarem induciarum oblitum, regionem pacatam pro libidine vexare; nec aliud jam spectare, quam ut urendo, populandoque Turcicos agros, ad justam defensionem propelleret torpentes. Hæc si deessent, satis, superque dedisse indicia mutatæ voluntatis adversus Amurathem, quod retento munere, amicitiæ tessera, induciarum tempus sua sponte definivisset.* Utriusque oratio Amurathem movit. Quapropter celeriter redire jusso Rustane in Bosniam, peramplam potestatem dedit

A) Siscia olim, seu Segesta, nunc Sisskum, munimen Augusti Cæsaris oppido insigne, Colonia Romana. Temporis lapsu cum a barbaris ad paucula ædes redigeretur arx, Canonicorum Zagrabiensium Collegio obtigit. Consule Ratkajum in Memoria Regum Dalm. L. IV.

A. C. 1591. dedit Haſſani pro arbitrio non bella modo adminiſtrandi, ſed arces etiam extruendi, militemque legendi. Denique ne quid Respublica detrimenti caperet, omni contentione virium adniteretur. Monitus præterea Krekovicſius, Cæſaris Byzantii Legatus, ut tandem e pactis conventis munus biennio non viſum Byzantii, ſine tergiverſatione mitteretur: ſecus intelligeret omnem amicitiam interruptum iri. A)

1592. Hæc dum Conſtantinopoli aguntur, Rudolphus Cæſar ne adverſus fœdera, & pacta egiſſe videretur, munus Amurathi deferendum, ſecundo Danubio Comaromium expedivit, nominato Legato, qui illud Byzantium promoveret, Adamo Poppelio. Palffio tamen nunciatum, certiorem ut redderet Budenſem Præfectum de iſthoc munere, hortareturque eum nomine Cæſaris, ſi ex fœdere poſtularet honoraria dona Amurathes, daret operam, ne Haſſanes Bosniæ Præfectus, ditiones Cæſaris infeſtis ſignis percurſet; oppida, præſidia admotis etiam caſtrenſibus machinis oppugnet. Ita pacem ſinceram conſtituram; neque Cæſarem quidpiam admiſſurum adverſus fœdera. Sed jam Haſſanes a Vezirio acrioribus ſtimulis incitatus, Bihigium B) urbem adulta æſtate obſidione preſſit, ac octo dierum ſpatio verberatam, occupavit. Verſus ſubinde ad extruendum munimentum, cui anno ſuperiore locum delegerat ad Petrinium, Colapimque amnes, ingenti multitudine agreſtium adducta in opus incumbit. Thomas Erdôdius circumfuſæ regioni excidium metuens a caſtello ſurgente, copias Pro-Regia authoritate undique cogebat. Præter Illyricos confluxerunt e Carinthia, atque Styria equites, quos vicinum periculum in arma excivit. Grasbanius, qui finitima præſidia curabat, crebrius internunciis appellatus, ut cum ſuorum manu in caſtra feſtinaret; cum moras necteret ob ſtipendia militi nondum numerata, maxima Reipublicæ Chriſtianæ jactura, expeditionem corrupit.

Nam Voinus Thrax, c) homo leviſſimi ingenii, ſive Turcico auro emptus, ſive veteri conſuetudine Turcarum allectus, apud quos ſtipendia olim fecerat, ad hoſtem clam deſcivit, conſiliaque Erdôdii enunciavit. Author præterea fit Haſſani, ne tempus cunctando protraheret; ſed copias Chriſtianorum, fama longe minores ſtrenue aggrederetur: id niſi fecerit quamprimum, affuturas brevi poſt tempore Germanorum equitum, peditumque cohortes, æneis fiſtulis armatas, quarum celeritate, peritiaque jaculandi, haud dubie res Turcica in ſummum diſcrimen devolvetur. Haſſanes cum prælium evitare non poſſe e caſtrorum propinquitate (nam utraque Colapis fluvius ſolum diremit) conjiceret, undevigeſimo die Julii, traducto, per pontem Colapi injectum, exercitu, Erdôdiana caſtra oppugnatum venit. Illyri extra valla progreſſi certamen equeſtre contraxere, quoad Germani in aciem prodirent. Verum dum tardius, ac Turcarum celeritas poſtulavit, ad pugnam ſeſe præparant, Illyri impetum hoſtium haud ferentes, Germanos pariter nullo certamine tentato in fugam abripiunt. Pedeſtris acies equitum auxilio deſtituta, nondum loco ceſſerat. At redeuntibus ferociter iis, qui equitatum perſequebantur, multitudine hoſtium obruti funduntur. D) Sexcenti eo prælio a noſtris amiſſi, Haſſanis nomen, ſupra quam par erat, celebre fecere apud Amurathem, cui cæſorum capita cum militaribus ſignis per Ruſtanem Byzantium miſit; quorum numerum ut in ſpeciem augeret, atri coloris vexilla, quæ priſca pietas Heroum Manibus, gratitudinis ergo appoſuit, impudenti audacia detraxit, ac in partem ſpoliorum addidit. Qua quidem impoſtura tantam conſecutus eſt militaris ſcientiæ famam apud ſummos, infimosque, quantum ſummi Imperatores vix ſibi optare potuiſſent. Sed non diuturna ſibi conſtitit hæc bellicæ virtutis exiſtimatio, ut eventus docuit. Nempe UT fatui ignes plus ſplendoris,

A) Hæc Iſtvanffius, quorum Hungaro-Turcica Chronologia non meminit. B) Ratkajo Bihicium, urbs amæno loco ſita. c) Ita nominatur ab Iſtvanffio, ab aliis Scriptoribus Belojevichius e Servia oriundus. D) Annales Ferdinandei hic variant, produntque duodena Turcarum millia periiſſe, & admodum cruenta victoria potitos.

doris, quam virtutis habentes diem non ferunt, ita Belliducum gloria favore militum, aut aliunde corrogata potius, quam a sincera virtute accepta, uno adversæ fortunæ ictu in præceps ruit, ac momento evanescit. Et istud suo exitio expertus est Hassanes, cui secundum prælium ad Sisciam obsidendam animos dedit, ac anno insequenti cæso florenti exercitu, vitam ademit. A. C. 1592.

Interea Amurathes muneris percupidus, quod Comaromium delatum e Budensis Purpurati literis cognoverat, Bosnensi Præfecto omni bello interdixit, misso Chausio, qui Imperatoris mandata perferret. Sed Hassanes spe potiundæ arcis inescatus, Chausio in suas partes splendidis promissis pertracto, Rustanem e technis, & fraudibus compactum, Byzantium ablegat. Is non dubitavit Amurathi palmari mendacio imponere, Rudolphique integerrimam fidem elevare. Ajebat: *Cæsarem pollicitatione nihil aliud velle, quam ut Ottomanos a belli consiliis avocet, spiritusque bellicosæ nationis sopiat, dum ipse interim undique copias cogit. Jam quadraginta Germanorum millia ad Zagrabiam tendere, cædibus, rapinis exhaustura Bosniam, si Hassanes victoriarum cursum interrumpat, ac severo imperio circumscriptus, ferrum recondat.* Incertus animi Amurathes utri fides habenda, rem integram ad arbitrium Vezirii rejecisse visus est, qui veteri suo more, belli fomitem non modo non restinxit, sed perniciosis consiliis, & approbatione rerum ab Hassane gestarum magis incendit. Quanquam hoc anno scintillæ belli apparuerint potius, quam in incendium eruperint, cum præter obsidionem Sisciæ, quam solvere coactus est ob singularem propugnatorum fortitudinem, nihil ab eo tentatum; nisi quod Savi, Colapisque accolas omni belli clade attriverit. A Cæsareis pariter arma ostensa magis, atque illata, autumno imbribus fœdo hiberna petentibus.

Annus tandem MDXCIII. incendium latius, ac par erat, sparsit. Etenim Hassanes repetitis vicibus Sisciæ obsidione depulsus, non mediocre dedecus nomini suo inustum iri existimavit, ni armis domitam suæ potestati subderet. Famam quoque, qua major in aula Byzantina haberi cœperat favore, quam armis, ratus leviorem fore, si Sisciam, quasi testem se vinci posse, reliquisset. Igitur per otium, hiemis tempore e Pannoniæ præsidiis evocato milite, exercitum quinque, & viginti millium armatorum primo veris initio in campum eduxit, factoque itinere juxta Savi ripam ad Sisciæ muros decimo quinto die mensis Julii consedit. Arcem tuiti sunt iidem, qui anno superiore, nempe e sacro Collegio Zagrabiensis Ecclesiæ Canonici Blasius Jurakus, & Mathias Finticzius, A) viri in curia non minus, quam in campo diuturno armorum usu exerciti; cumque in dies arctius premerentur obsessi, interempto etiam Finticzio minori pila, suppetias postularunt a Pro-Rege, & Ruperto Eggenbergio Zagrabiæ Præfecto. Hi in sociorum salutem jam dudum intenti, collatis consiliis cum Andrea Aurspergio B) legionum Germanicarum Præfecto, copias ad liberandam Sisciam undique cogunt. 1593.

Erdődius pro muneris prærogativa, Illyricorum manum instructa acie in hostem ducit, vestigiis inhærente gravioris armaturæ exercitu. Ut primum fremitum equorum excepit Memibegus, qui ad pontes Colapi amni injectos excubabat, Hassani lautiori mensæ accumbenti hostium adventum significavit. Is quanquam trepidis nunciis perculsus, tamen ne suorum animos magis perturbaret, qui e Ducum vultu plerumque exitus belli metiuntur, voce imperterrita signa totis castris canere, delectosque mille equites Colapim trajicere jussit, qui cum Memibego Illyros amnis transitu arceant, dum ipse robur Janicsarorum in pugnam promoveat. Imperio Ducis obsecuti, celeriter conscensis equis se castris ejiciunt, venientique Erdődio trans pontem obviam procedunt. Illyri certaminis avidi in prælium ruunt, priusque pugna cœpit, quam Turcæ laxatis habenis ad Memibegum properantes, aciem struere possent. Cum nihilominus

A) Præfectura arcis fungebantur Canonici, quibus ætas tractandis armis par erat. B) Alii Rupertum Eckembergium huic substituunt.

A. C. 1593. minus ad locum pugnæ majori numero coirent hoſtes, Illyrorum impetum conſtanti gradu ſuſtinuerunt, quoad Aurſpergius ſexcentos fiſtulatores adduxit, qui continenti glandium jaculatione, equitum ferociam repreſſere.

Haſſanes interim armatas, paratasque peditum cohortes, ſigna extra vallum proferre jubet. Jam potior pars pontem ſuperaverat; pars ob anguſtias ad ripam Colapis ſubſiſtere juſſa tranſitum operiebatur. Ubi equitum turmas fluctuare, fugamque circumſpicere ſenſit, in tempore Janicsari cum Illyris, Germanisque infenſis animis concurrunt. Pari prope numero pugnatum fuit, præliumque anceps multos utrinque, & fortiſſimum quemque abſumpſit. Nec prius inclinata res eſt, quam Erdôdio cum ſuis equitibus acerrimam impreſſionem faciente, ac Aurſpergianis equitibus perpetuo fiſtulas ſolventibus, prima acies multiplici ſtrage turbata fuit. Tum quaſi ſigno accepto, qua quisque poteſt, fugam per diverſa petunt. Ingens fugientium multitudo in unum metu conglobata, ac ſemetipſam turba impediens ad pontem ferebatur; ibi cum anguſtiæ eam capere non poſſent, Haſſanes fugientium agmini immixtus, ſive ſponte, ſive a militibus impulſus, in Colapim deſilit. Haud propitio flumine acceptus erat, ut olim Romanus, ſed cum aliis quam plurimis, idem fatum ſubeuntibus, vi fluminis opprimitur. Pedites qui arci oppugnandæ relicti erant, a noſtris pariter impulſi, in fugam aguntur, plurimique Odera A) flumine hauriuntur. Eadem fortuna uſus eſt Mehemetes Amurathis ſorore genitus, qui e ponte præcipitatus, dum opem Erdôdii implorat, multis deſuper incidentibus telis, a peditatu interimitur. Cæteri trans Colapim relicti, viſa ſuorum cæde fugam capeſſivere. Nullo unquam prælio plus ſanguinis fuſum eſſet, niſi Tahius ignarus victoriæ pontem rupiſſet, noſtrisque inſequendi palantes facultatem ademiſſet. Præter Haſſanem copiarum Ducem, Mehemetem, multosque clariſſimi nominis Præfectos partim ferro victorum, partim amnium vorticibus perierunt duodena amplius millia Turcarum; ut unum hoc prælium, ſuperiorum temporum fortunæ culpam, cumulate redemiſſe videatur. B)

Hæc eſt nobilis ad Siſciam pugna, atque inter paucas memorata gentis Ottomanicæ clades, quam ex acie fugientes, ingenti terrore, ac tumultu Byzantii odioſe auxerunt. Sinan Vezirius ad primos tantæ cladis nuncios exhorruit, temeritatemque ſuam ſero damnavit, quod pernicioſis artibus, levibus ſimultatum initiis, cruentiſſimum bellum excitarit, quo Illyrici, Pannonicique exercitus robur interiit. Verum cum videret longe graviora detrimenta Boſniæ, totique Imperio illatum iri, niſi novis viribus exhauſtæ provinciæ ſuccurratur, author fit Amurathi, ut prætorianas legiones, Aſiaticos exercitus ad bellum propulſandum proficiſci juberet, pollicitus, non operam modo ſuam in ductando milite, ſed victorias quoque ampliſſimas ſuo ductu reportandas. Amurathis præterea ſoror, filii mortem muliebriter ferens, continentibus lacrymis Imperatorem urgebat, ut ne inultam pateretur florentiſſimi juvenis necem. His incitatus Imperator Rudolpho cum Byzantii vigeſimo nono Auguſti, tum Budæ bellum indixit, Oratoremque Fridericum Krekovicſium jure gentium violato, catenis collo inditis, carceri mancipavit, familiam vero, quam numeroſam cenſuit, partim ferro trucidari, partim ad triremes rapi ſuperbe mandavit. c)

Spe pacis hunc in modum everſa, Rudolphus Poppelio Legato ſuo cum muneribus Viennam revocato, qui Comaromii juſſu Cæſaris ſubſtiterat, Palffium, Zrinyiumque admonet, ut ſolerti ſtudio rem bellicam curent, legiones novis ſupplementis augeant, hoſtem denique ſua clade perturbatum, crebris irruptionibus divexent. Erdôdio ut Petriniæ D) obſidionem

nuper

A) Odera amnis (diverſus utique ab Odera, ſive Viadro Sileſiam, Marchiam Brandeburgicam, & Pomeraniam interfluente) ex rivis, & fontibus ortus in Colapim evolvitur tam profundo alveo, ut raro vado ſuperari poſſit. B) Chronicon Hungaro-Turcicum octo millia interiiſſe teſtatur. De hac pugna copioſe Annales Ferdinandei. c) Annales Ferdinandei ad annum 1593. D) Petrinia anno ſuperiori eſt ab Haſſane ſtructa, aut communita.

nuper Eckempergii cessatione interruptam, continuet, demandat. Igitur Duces Rudolphi imperio, in veterem arenam progressi, copias victrices Petriniæ admoverunt nullo omnino successu. Sinan enim Vezirius, maxima celeritate Byzantio cum exercitu movit Belgradum, auditoque Petriniæ discrimine, filium suum Hassanem, Græciæ, Thraciæque præfectura insignem (Beglerbegum appellant Turcæ) cum armatorum manu in Bosniam festinare jussit. Et jam Szigethanus Præfectus (huic quoque Hassani nomen erat) reliquias Siscianæ cladis collegerat, & ad Rastovicziam munitis castris in edito monte continuerat; cui Beglerbegus suas copias conjunxit, speciemque maximi exercitus præbuit. Georgius Zrinyius, qui armorum causa in castris Illyricis versabatur, animadversa paucitate Christianorum, salubri consilio retrahendum potius exercitum duxit, quam iniquissimis locis eundem objectare multitudini Turcarum. Recedentibus nostris in suas stationes, Ottomanorum agmina ad Housciam occupandam animos convertunt. Arx majoribus machinis verberata, adeo perculit propugnatores, ut desperata defensione deditionem præproperam offerrent. Dum data, acceptaque fide de conditionibus agitur, Janicsari ne prædam amitterent, ferro accincti per otium arcem accedunt, nemineque auso viam præcludere, per ruinas evadunt. Pauci propugnatorum viso periculo Savum trajecerunt: cæteri aut cæsi, aut capti sunt. Casparus Grangia, & Andreas Fabritius ea tempestate arcis Præfecti, parem fortunam sunt experti: ille trucidatus; hic Byzantium abductus, atque in Pontum Euxinum mersus. A)

A. C. 1593.

Siscia sub jugum missa, victor Beglerbegus in paterna castra contendit, quæ per eos dies Buda Albam, indeque Vesprimium translata erant. Centum armatorum millia Sinanem sub signis habuisse a barbaris de industria jactabatur, cum tamen magna pars justis armis destituta, calonum, lixarumque gregem potius auxerit. Ferdinandus Speciacasa Neapoli oriundus, loci præfecturam gessit. Is, quanquam anteactis temporibus præclara fortitudinis specimina ediderit, post brevem admodum defensionem fugam cum præsidiariis attentavit, multum obnitente, ac grande flagitium oggerente Lupo Tarnoczio ejus Legato. Nocte concubia Ferdinandus, cæterique fugæ comites suspenso, gradu per minorem arcis portulam in patentem campum evadunt. Turcæ, qui pone excubias agebant, seu strepitu festinantium exciti, seu fugæ consilium edocti, clamore sublato trepidos, flagitiique turpitudine oppressos aggrediuntur. Pauci beneficio noctis in sylvas Bakonias delati, salutem reperere, plurimi multitudine hostium circumventi, cæsi, aut capti fuerunt. Ferdinandus fuga lassatus, Belgradi uno, & altero anno in ærumnis transacto ad suos rediit. B) Vesprimio quatridui oppugnatione c) capto, ad Palotam castra metatus est Sinan. Non alius exitus, quam Vesprimii, Palotæ fuit. Biduo non amplius verberati muri Petrum Ormondium in deditionem coegerunt. Transactis cum Sinane conditionibus, præsidiarii cum conjugibus, liberis arce excedunt. Janicsari, haud dubie jussu Vezirii, in agmen fæminarum, puerorumque involant, sarcinas sine pugna diripiunt, gregarios juxta, ac Præfectos militum trucidant. Ormondius inter tumultum equo dejectus, salutem debuit familiaribus Turcis, quorum præsidio Papam deductus est. His secunda fortuna celeriter actis, sive rumore Persici belli permotus, sive mandato Amurathis, copias Budam versus proficisci jussit. D)

Rudolphus haud diutius laturus hostem victoriis recentibus ferocem, inque viscera Pannoniæ in dies grassantem, Hungarorum animos ad patriam defendendam incitavit, dato ad Palffium, Zrinyiumque imperio, quam maximum possent, cogerent exercitum. E totius regni provinciis, belli signo proposito, tanta multitudo arma ferentium ad Comaromium, quo evocabantur, paucorum dierum intervallo confluxit, ut triginta, & amplius

A) In Chronico Hungaro-Turcico reperio Zagrabiensi agro populationem illatam, & quina Christianorum millia in servitutem rapta. B) Istvanff. & Chronicon Hungaro-Turcicum. c) Septem, & viginti annis in potestate Hungarorum erat. D) Variant Scriptores, quibus de causis victoriarum cursum interruperit.

A. C. 1593. amplius millia peditum præter equestres copias, in castris Palffianis recensa fuerint. His Zrinyius, & Ferdinandus Hardegus Jaurini Præfectus suas legiones admiscuere. Lustrato more militari universo exercitu, quadraginta millia armatorum reperiebantur; plerique veterani, & acceptis pro aris, pro focis vulneribus insignes. Militi pares Duces aderant. Præter Palffium, Nadasdium, Zrinyium, Turzonem, ductandis copiis exercitatos, nobilissimi Hungarorum; qui mira voluntatum consensione in hoc bellum conspirarunt. A) Summa expectatio mortalium erat, quodnam præsidium tam florentis exercitus vim experiri auderet; fuitque multorum opinio, pleraque hostium loca deditionem factura, modo ad mœnia tantus exercitus consistat. Verum Alba Regalis (huc quippe e Ducum sententia omnis belli terror conversus fuit) fortium virorum præsidio magis, quam operum firmitate secura, non assilientem modo militem fortiter e mœnibus rejecit, sed prope totius exercitus vires consumpsit. Petrus Huszarius acceptis quatuor millibus peditum, intempesta nocte Albanos aggressus, vallum quidem cum oppido exteriori una invasione cepit; at in urbem penetrare haud potuit, strenue repugnante Isaco urbis Præfecto. Neque deinceps feliciorem operam posuit in perfringenda porta, quamvis tormenti destinatis ictibus eandem quateret, ac iteratis insultibus tentaret.

Hæc dum geruntur, Hassanes Purpuratus Budensis, Albanorum discrimine permotus, missis summa festinatione nunciis in omnes partes, copias tanta solertia, celeritateque contraxit, ut intra quintam diem cum iisdem Albam tenderet. Ad Sarvisium amnem aquationis causa exercitus noster concessit, revocato Huszario ab incepta oppugnatione; cum tertio Novembris Hassanes instructam suorum aciem admovit. Quatuor supra quadraginta campestres machinas ante agmina disposuit: prætorianorum terna millia dextro cornu; lævo totidem peditum locavit: in medium accepit equitum duodena millia. Nec Christiani pugnam detrectaverunt, atque castris in propinquum collatis, extemplo in aciem descensum est. Nadasdius, & Zrinyius mediam, cornua Hardegus, & Palffius tenuerunt. Duarum horarum spatio uterque exercitus mutua admiratione defixus hæsit, & prius sol meridie inclinavit, quam telum hinc, aut illinc emissum est. Inde ne infecta re abiretur, Palffius primus in prætorianos invectus, cæteros Duces pariter ad prælium permovit. Janicsari collato pede locum, quem obtinuerunt, sua virtute defenderunt; at equites primo solum certaminis impetu feroces, gladios, & vultum hostis, ardore animi micantem ferre non potuerunt. Impulsa media acies trepidationem cornibus intulit. Rupti inde multis locis ordines, motaque omnis, & fluctuanti similis hostium acies erat. Deinde postquam cadentibus primis jam ad se quisque cædem perventuram cernebat, in fugam vertuntur. Eo die ad internecionem pedites cæsi; quippe sex millia desiderata: equitum minor strages edita, quod sub initium pugnæ terga vertentes partim Albam, partim in proximos saltus sese conjecerint. B) Quatuor tamen millia occubuerunt. Tanta victoria paucorum sanguine est parta: quadraginta solum in acie ceciderunt, haud multo plures vulnerati, ut merito Divino potius beneficio, quam humanis viribus, aut consiliis obtenta videri possit. Nimirum SUPPETIAS ferunt Superi, ubi fœderum ruptores pro merito castigandi.

Profligata hostium acie uberrimos victoriæ fructus metere potuissent Duces, nisi animis discordes suas ipsimet vires distraxissent. Ad Albam, popularium infortunio oppugnatam, redeundum alii, alii finem expeditioni imponendum censuerunt. Itaque, opinione etiam hostium celerius, validus ille exercitus campo excessit, quam ingentem sui famam æquaret. Sinanes cum Purpuratum Budensem pugna victum accepisset, Tolna Eszekum iter convertit, filiumque suum cum quatuor millium agmine Budam dimisit, cui,

A) Vide Istvanffium longo ordine recensentem Nobilium nomina, qui expeditioni huic, aliisque interfuit, & quæ ferro, aut consilio egit in campo, otium subinde nactus posteritati transmisit. B) Chronicon Hungaro-Turcicum, & Istvanff. Lib. XXVII.

cui, ut principi armorum ſedi pro viribus ſuccurreret, impoſuit. Sed frustra hic metus erat. Serior ætas hanc Trojam petet. Dimiſſis, ut diximus copiis, nondum Palffius arma poſuit. Christophorus Tieffenbachius Caſſoviæ præfectus cum Nobilitate ſuperioris Hungariæ, Palffio incitante, Szabolcsam Turcis eripuit; reſtabat Fûlekum loci ingenio, defenſorumque pervicacia nobile præſidium. In communionem gloriæ invitatus Palffius, longo itinere exhauſtas legiones eo adduxit. Oppidum poſt diuturnam verberationem aſſultu eſt captum. Arx gemina ſaxeæ rupi impoſita, impugnantium vim diu eluſit. Tandem morborum vis populata defenſores, deditionem extorſit. A) Ad Ipolim ſubinde amnem per Stephanum Bathorium, & Stephanum Drugetum auxiliares Turcarum copiæ in fugam abactæ, ſpolia quoque obtenta fuere. Palffius denique Szécsenium, aliaque oppida non obſcuri nominis recepit ante, quam in hiberna abiret.

A. C. 1593.

Præſens, quem ſcribimus, annus MDXCIV. urbium oppugnatione nobilis, eo fortunæ ludibrio decurrit, ut plerumque Chriſtianos ſuccubuiſſe viderit, ſive pro mœnibus ſtarent, ſive illa impeterent, hoſte triumphante. Initia quidem nobis ſat proſpera fuerunt, exitus non item: ERUDIENTE DEO Imperatores belli, ut maximæ fortunæ minime fidant. Mathias Archi-Dux Auſtriæ, Rudolphi Cæſaris frater, ſupremam exercitus præfecturam nuper adeptus, unus maxime nitebatur, ut primo quoque tempore caſtra fierent. Februario nondum exeunte, Palffii ſolerti cura copiæ in unum contractæ, paucis poſt diebus arci Neogrado. B) admotæ ſunt, Mathia omnes cœli injurias Heroo animo perferente. Octingenti Turcæ cum Mehemete Nigro Præfecto ſuo, locum pro viribus defenſuri, oppidum arci ſubjectum flammis delent, portas lapidibus, ceſpiteque muniunt, tormentis propugnacula firmant, tanto ſilentio operi intenti, ut a plerisque crederentur arcem deſeruiſſe. Comparatis iis, quæ oppugnationi ferendæ perneceſſaria erant, explicatis longa ſerie rubei coloris vexillis per mœnia, obſidentium ſolertiam acuerunt. Palffius, poſtquam duodecim tormentis arcis propugnacula dies, noctesque verberari juſſit, vallum e præacutis ſudibus erectum, ac multo ceſpite veſtitum, aggreſſus opera foſſorum, militumque cepit poſt atrox certamen. Hoc monumento exuti defenſores, ac aſſiduis tormentorum ictibus vexati arcem Mathiæ permiſere ea conditione, ut liberis abire liceret. Ita Neogradum ſecundo, & quadrageſimo anno ad Rudolphum rediit, poſtquam bello Temeſienſi cum pluribus aliis Ottomano ceſſit. c)

1594.

Succeſſus adeo felix Mathiæ ſtimulos dedit Strigonium recuperandi; ſed ſub mœnibus illis mutata continuo belli facies, & fortuna. Cum quinquaginta millibus armatorum urbem, arcemque circumvallarat; Danubium, ne quid ſubſidii amne ſubveheretur obſeſſis, tredecim majoris formæ navigiis, & viginti quinque Saikis (genus eſt celerrimi navigii apud Hungaros) frænaverat. Copiarum Duces generoſo ſuccenſi calore, nullum periculum ſubterfugiebant, quo loco potirentur. Ad famam oppugnationis Iſacus, qui ex Albana præfectura ad Strigonienſem translatus erat, Caralibegum, clari nominis ordinum Ductorem, cum aliquot Janicsarorum cohortibus, ac volonum manipulo in arcem admiſit, cujus eximia fortitudine, militari peritiæ conjuncta Strigonium ſtetit. Illo authore mons S. Thomæ e regione arcis, novam munitionem accepit, unde noſtri aſſilientes in arcem, certis tormentorum ictibus feriebantur.

Leo Gallus, is qui Neogradum ignivomis globis nuper domuit, rei tormentariæ Præfectus, ſuam operam minime deſiderari eſt paſſus. Cohortante Palffio geminam oppugnationem arcis inſtituit, tantaque vi mœnia pulſavit, paucos ut intra dies eorum pars procubuerit, incendioque a miſſili-

A) Annales Ferdinandei de morbis tacent. Ajunt tamen ob Fûlekum amiſſum adeo ira exarſiſſe Amurathem, ut Budæ Christianos captivos interfici juſſerit, impuberibus Conſtantinopolim deportatis. B) Ab hac arce Negradienſis provincia nomen ſortita. c) Annales Ferdinandei volunt ſexaginta amplius annis ſub Ottomano gemuiſſe, non item Iſtvanffius.

A. C. 1594. bus ignibus oborto, turris ſacrarum ædium cum annonæ, pulverisque copia conflagerarit, non ſine multorum ſtrage, qui ſævientes flammas ſopire conabantur. Eo ſub tumultu haud dubie arx capi potuiſſet, Turcis incendio diſtentis, ni quorundam conſilio aſſultus in poſterum diem rejectus fuiſſet. Unde ſpatium nacti ruinas ſarciendi, dum noſtri in montem eluctantur, vallumque nocturno tempore reſtauratum, tranſcendere adlaborant, muralibus machinis, ſclopetisque invadentes arcent, ac poſt breve certamen in caſtra repellunt interfectis triginta aliquot, pluribusque ſauciatis. Hanc jacturam non multo poſt compenſavit Palffius intercepto oppido ſatis munito. Incolebant illud nonnulli Thraces, Raſciæ populus, quos ingentibus promiſſis oneratos, facile in ſuas pertraxit partes, ut cæſis cuſtodibus portarum, oppidum traderent. Noctem certam, tempusque etiam noctis conſtituit, quo & illi fidem datam exolverent, & ipſe cum ſuis cohortibus præſto eſſet. Res fortunate ceſſit. Concubia nocte ex compoſito, ficta aggreſſione præſidiarii a ſuis ſtationibus avocantur. Thraces interim ſtrictis enſibus excubitores invadunt, oppreſſisque, qui repugnabant, effractis celeriter foribus Palffium in oppidum intromittunt. Præſidiarii, ubi armatos irrupiſſe audiunt, relicto, quem conferti tuebantur, loco, in fuga cæduntur. Eodem calore Mons S. Thomæ eſt captus, tanta propugnatorum ſtrage, ut ne unus quidem ſuperfuerit.

Hiſce progreſſibus, ſpem quotidie firmiorem conceperant Chriſtiani arcis ſubigendæ, præcipue poſt utriusque Præfecti necem. Caralibegus enim, dum ſuos voce, exemploque hortatur, minori glande frontem trajectus, e veſtigio expiravit. Iſacus tormenti globo in brachio percuſſus, ſuorum manibus ex arena ablatus, eadem adhuc nocte vitam amiſit. Cadavera perocculte navigiis impoſita, ſecundoque amne Budam delata, publico civium luctu tumulata fuerunt. Sed ignavia claſſis Chriſtianorum effectum eſt, ut novus Præfectus Annivanus cum quingentis Janicsarorum in arcem penetrarit. Iſtorum adventus tantum ſpei obſidentibus ademit, quantum animi obſeſſis adjecit. Et Annivanus memor quantis, qualibusque viris in tam ardua, diſcriminisque plena provincia ſucceſſerit, conſilio, & manu adeo feliciter adminiſtravit munus, ut ſcirent quidem binos Præfectos ſibi abreptos, non item ſentirent. Chriſtiani etſi quinquies inter ſtragem ſociorum e mænibus repulſi fuerint, tamen expugnandæ urbi machinam omnem admovere: præſidiarii contra robuſtiore in dies audacia nihil omittebant, quo & aggredientium vires armis perfringerent, & nova ſubſidia arci inferrent; Danubio maxime, cui per ſocordiam claſſiariorum dominabantur. A)

Itaque dum pari Chriſtianorum, vitæque contemptu Turcæ arcem tuentur, Sinan Vezirius annuum fere ſpatium nactus ad comparandum exercitum, quod vacuum ſibi a bello, atque ab hoſte otioſum erat, ingentem armatorum numerum (centum millia fuiſſe perhibentur) ex Aſiæ, Europæque provinciis collegit, & in ſpoliorum partem evocato Tartarorum Principe cum equeſtribus copiis, in Hungariam movit, tanta adhibita celeritate, ut nuncios, famamque adventus ſui præverteret. Haud procul Buda aberat, cum hæc atrox fama, caſtra Mathiæ Principis invaſit. Igitur ne tantis copiis opprimerentur, ſolvendam obſidionem cenſuerunt Duces, caſtraque transferenda in alteram Danubii ripam, e propinquo ſpeculaturi, quid Vezirius tentaturus. Per eosdem dies, quibus Strigonium obſidebatur, Tieffenbachius Hathvanium oppugnare aggreſſus eſt. Purpuratus Budenſis impar Mathiæ viribus, Tieffenbachium ſuo conatu dejicere voluit. Venienti cum auxiliaribus copiis, ad Sajonem fluvium ſe objecit Simon Forgacſius cum aliquot ſignis equitum, conſertoque acerrimo certamine, terna hoſtium millia interficit, captis omnibus impedimentis. B) Sed non propterea obſeſſi

A) Annales Ferdinandei, & Iſtvanffius non multum variant. B) Ita Iſtvanffius. Annales Ferdinandei ſemel, atque iterum congreſſum Tieffenbachium volunt ſemper victorem cum clade quinque millium, Rudolphoque Imper. ſpolia Viennam miſiſſe.

obsessi pervicaciam posuere, condocefacti Vezirium laboranti præsidio adfuturum: id quod etiam Tieffenbachium obsidione depulit. A. C. 1594.

In Illyrico non secus, ac in Hungaria bellum fervebat successu paulo secundiore. C. Zrinyius Bersentiam, Segusium ostenso solum, quem modicum ductabat, exercitu cepit, Turcis Babocsam evadentibus. Subinde Maximilianus Archi-Dux, Styrorum, Illyricorumque precibus permotus; quorum ager perpetuis hostium excursionibus patebat, cum sedecim millibus Petriniam cinxit. Rustanes, & Erdoglis Bosnensium copiarum Duces, nihil industriæ omisere, quo arcem spoliorum divitem salvam præstarent. Turrim eduxerant eximiæ magnitudinis non procul Petrinia, ex eaque, & Petriniam tuebantur, & castra Maximiliani infestabant. Hæc a sexcentis Segniensibus capta, præsidiarios in non modicum timorem conjecit. Itaque Rustanes, & Erdoglis in excidium arcis conjurantes, quidquid pulveris supererat, per mænia, & propugnacula spargunt, tormenta insertis non avara manu pilis temperata relinquunt, subditoque tectis igne, Zrinyium, Kostaniczamque profugiunt. Siscienses viso flammarum globo rati id, quod erat, Petrinienses metu adactos arcem incendisse, & ipsi propere castello faces subdere, navigia, quæ ad omnes fortunæ casus ad ripam Savi habuerunt, conscendere tanta trepidatione, ut non pauci commilitonum deserti, a Petri Erdődii equitibus, qui eo accurrerant, intercepti fuerint. Maximilianus, Petrinia funditus eversa, Sisciam Heris suis restituit (quorum ære iterum caput e fœdissimo incendio extulit) pacatoque Illyrico Neapolim Austriæ discessit.

Vezirius cognito nostrorum discessu, rem memorabilem ea expeditione acturus, maximis itineribus Jaurinum contendit. Ne quid hostile a tergo relinqueret, Tatam, castellumque Divo Martino A) sacrum levi impendio capit. B) Castris ad Jaurinum positis, Gazis Tartarorum Princeps, difficillimo itinere per fines Moldaviæ, Podoliæ, Daciæque facto, ac multis suorum amissis, partim asperitate locorum, partim Transylvanorum armis, qui Kornilio Duce alpium juga insederant, paucis post diebus cum viginti quinque equitum millibus advenit. Is prædarum magis, quam navandæ operæ percupidus, cum nemo suorum Danubio se credere auderet, primus in fluvium sonipedem adegit, ac in alteram ripam incolumis evasit. Milites Ducem secuti, post lecta spolia, incendia spargunt. Collucentibus flammis produntur. Palffius cum omni equitatu in incautos, ac dulcedine, ut fit, prædæ longius progressos, irruit, sparsosque per agros facile fundit. Tria millia cum ferro, tum aqua interiisse feruntur. Interim Jaurinum qua ignibus, qua cuniculis urgebat Sinan. Perlinianos C) aggeres ante sacram portam erectos, pulsis defensoribus occupaverat, ibique locatis tormentis vicinum propugnaculum a Valentino Toto Centurione appellatum, nulla interposita quiete verberari jusserat.

Cum lentius muri, ac vellet, labefactarentur, cœpit agere ligone, dolabroque mænibus admoto, nempe vetere, ac fido expugnandis arcibus tormento, quo nec hodie certiorem mœnibus perniciem parare solent bellorum Duces, minus plerumque formidandi a fulminantium tonitru machinarum, quam a surdo hoc fossoris telo. Noctis silentio navibus in urbis fossam demissis, impositisque fabris, ac fossoribus, jubet eos murorum ima subruere. Id adeo caute a Turcis præstitum, ut ante scrobs cuniculo apta perfecta fuerit, quam periculum obsessi sentirent. Itaque propugnaculum pulverum vi succussum, momento corruit, neminemque magis, ac Hardegum loci Præfectum hæc strages perculit, qui jam tum de salute urbis desperare videbatur. Sed recreabant obsessos Mathiæ castra, e quibus frequentes suppetiæ mittebantur. In Palffio præterea spes ingens omnium erat. Is Nobilitate Hungara contra Ottomanos armata, assiduis procursionibus

A) Castellum hoc in sacro monte Pannoniæ, ubi sedes Filiorum Magni Benedicti, militari præsidio id temporis custoditum erat. B) Decima tertia Junii Annales Ferdinandei. C) Ita vocitati a machinatore Nicolao Perlino Urbinate.

A. C. 1594. nibus ſtationes hoſtium turbavit. Unius hic meminiſſe placet. Cum quinis millibus equitum, peditumque in caſtra hoſtium irrumpit, eodemque tempore Hardegus ex urbe aggeres invadit. Clamore, tumultuque exciti Purpuratus Budenſis, ac Beglerbegus Sinanis filius, raptis agminibus ad opem ferendam accurrunt. Uno in loco maxime, ubi Palffius prælium ciebat, ferro, & igne res geſta eſt. Jam Budenſis, Beglerbego ſaucio, certamen reliquit, Janicsaris trepidantibus. Vezirius cum equitatu pugnam reſtituit. Ibi Palffium vulnus prope talos inflictum prælio extraxit. Quod ſi ex compoſito res acta fuiſſet perinde a ſociis navalibus, haud dubium erat, caſtra cum maxima cæde hoſtium expugnari potuiſſe, ut e literis biduo poſt interceptis Purpurati Budenſis cognitum fuit. Tenuit certamen ab ortu ſolis ad altum meridiem, cæſis hoſtium ternis millibus.

Nihil deterritus hoc infortunio Sinan, Danubium, quo aut arctius urbem premeret, aut cum Mathia de rerum ſumma ferro decerneret, ponte firmiſſimi operis ſternit. Res Chriſtianorum in ſummo diſcrimine verſabatur. Quippe auxiliares copiæ miſſione impetrata, domum abierant res ſuas curaturæ: caſtra inde Mathiæ in dies minui, milites ignavia, metuque torpere, præprimis dum extructo ponte ſuis cervicibus hoſtem imminere viderunt. Habito inter ſe conſilio Duces, caſtra Ovarinum movenda cenſent, urbe commiſſa Hardego, cui præter legiones præſidiarias ſex millia peditum adjiciuntur. Vigeſima nona Auguſti, dubia adhuc luce conclamatis vaſis exercitus Ovarinum verſus iter ſuſcipit, atque ut raro ſine aliqua clade, aut diſcrimine miles retrahitur, quamvis id ſcite, militariterque peragatur, ita eo temporis inſigni jactura nominis Chriſtiani clades illata eſt, dum ſpreto Ducum imperio, quisque ſine ſignis, ſine Centurionibus feſtinavit. Primi equites trepide omnibus portis effunduntur, fugamque incenſis tuguriis produnt. Turcæ ut ex nocturno fremitu, vigiliisque, ac trepidantium tumultu de profectione ſenſerunt, in caſtra metu jam capta irrumpunt; pedites fugæ magis, quam prælio accinctos partim trucidant, partim in Danubium præcipites agunt: impedimenta pleraque occupant. A) Secuti deinde equitum agmina, pavore, fugaque laſſata, pari cæde propellunt. Diſſipato exercitu, ad oppugnandam urbem omnes vires convertit Sinan. Propugnaculum alterum, quod monti Pannoniæ obverſum eſt, eadem, qua nuper Valentinianum, arte ſubruit, Perlino hujusmodi operum perito, nihil obſervante, moventeque. Hardegus, everſis propugnaculis actum de fortuna urbis clamitans, pertractis in ſuam ſententiam Perlino, Tribunisque militum, tabulas deditionis conficit, miſſoque propere ad Sinanem Perlino, enixe precatur, oppugnatione tantisper deſiſtat, ſpatiumque ab armis quietum extremæ conſultationi donet. Sinani jucundiſſimus nuncius fuit, quod non ignoraret urbem, niſi ipſa ſe dederet, ſero, multoque ſuorum ſanguine ſubigendam. Igitur ne præſidiarii ſuarum virium conſcii, damnata Præfecti ignavia, defenſionem pararent, retento Perlino, ac induciis triduo conceſſis, Legatos ſuos in urbem dimittit. Facile inter utrosque conventum: nempe ut ſalvis civium, ac militum vita, fortunisque urbs tradatur; ægrotis, ſauciatisque navigia dentur, quibus Comaromium devehantur. Ita Jaurinum, nobile Hungariæ præſidium, clavisque Imperii, unius hominis immaturo metu ad Turcam devenit. B)

Et vero ingreſſus urbem, contemplatusque munitiones, ac militum robur, æſtimata victoriæ magnitudine egit ipſe, agique ab exercitu ſolenni pompa DEO Imperatori grates voluit. Captivos ſuæ gentis numero viginti, quos Chriſtiani varia fortuna raptos in vinculis tenuerunt, pallore, macieque peremptos, ergaſtulis educi jubet; collaudataque fortitudine, ac fide in Mahometem, pedes eorum ſquallore oblitos in conſpectu militis abluit,

A) Annales Ferdinandei hæc fuſius perſequuntur. B) In Annalibus Ferdinandeis lego, ſex fere diebus hoſtem in mænia inſiliiſſe, Hardegumque neceſſitate adactum ad urbem dedendam. Iſtvanffius ſcribit unicum ſolum aſſultum tentaſſe hoſtem, ac propterea Hardegum cum Perlino juſſu Mathiæ in vincula conjectum, & ſententia ſenatus Bellici capite damnatum.

luit, singulosque denis aureis numis donatos, liberos ad sua dimisit. Urbem deinde explicandis copiis per Hungariam, Austriamque opportunam, bis mille praesidiariis tuendam committit, renunciato Praefecto Aly Purpurato. His rite peractis filium suum ad occupandum oppidum Papae, subito pavore desertum, proficisci jubet. Ipse Comaromium ducit tanta cum confidentia, ut minime dubitarit jactabundus asserere, *se in flore aetatis accepto imperio in Africam navigasse, cum Hispanis signa contulisse, ac Guletam ceu praemium virtutis accepisse. In Perside militem ab interitu vindicasse: nunc, quod ipsi vident, Germanos, Hungarosque a se in aetate senili, triumphisque gravi, fusos, fugatosque, tot victoriis facile Comaromium accessurum.* Sed ex vano homo stolide ferox haec talia jactarat. Nam sive tormentis, sive cuniculis ageret adversus arcem, nihil profecit, omniaque audacissime aggredientem semper fefellit fortuna. Ad extremum, ubi Mathiam, Palffiumque cum viginti millibus armatorum appropinquare intellexit, convulsis signis, summa trepidatione Tatam abit, indeque profectus, cum nemo Christianorum insequeretur, Byzantium, quibus venerat itineribus, pacato agmine repetit.

A. C. 1594.

Purpuratum senem triumphanti similem venientem, cum ingenti omnium frequentia accepit Amurathes, peractaque incredibili fastu pompa, alloquio dato res in Hungaria gestas magnifice referentem perbenigne audivit, & collaudata victoria sive virtute, sive fortuna, ut porro Imperii tutandi, amplificandique curam sibi cordi sumeret, est hortatus. Vezirius non jam sua tantum opinione, sed Amurathis etiam testimonio magnus belli Imperator, imo Byzantii omnia haberi coepit; perspectoque Principis sui animo, aemulorum invidiam (quae plerumque aulae cultores possidet) otiosa fronte despexit, immemor aulici Euripi, quo olim, refrigescente Imperatoris gratia, exutus praefectura armorum, prope absorptus erat. Itaque in praesentia, seposita contentione domestica, bellum Pannonicum strenue promotum, Amurathes ut summis Imperii viribus naviter persequatur, unus omnium maxime contendit, certus se iterum copiis praefuturum, & armatum non in campo tantum, sed in aula quoque apud Amurathem unice dominaturum. Imperator, uti victorias Ducum potius labore partas numerare maluit, quam suo ductu quaerere, Sinani provinciam reliquit; retento domi Mahomete filio, ne exercitum, tumultibus forte involvendum, ejus libertati crederet, cujus militarem indolem, ac dominatus cupidam aegre inter otium continuit.

1595.

Sinan, dum majori virium apparatu, ac antea, bellum Pannonicum instaurat, subsidiisque comparandis principem curam impendit, haud leviter sua arrogantia Imperii robur convulsit, irritato Principe Transilvaniae; quo foederato, aut medio, Byzantinis Hungaria ad ictum patuit. Id quemadmodum acciderit, paucis evolvam. Daciae Principes jam inde a temporibus Joannis Sigismundi, Turcicam societatem, fortunamque secuti, saepe ex foedere arma junxerunt, saepe Hungariae, quas olim suorum objectu corporum servarunt, fortunas, flamma undique, & ferro vastarunt. Hoc fomento vires Hungariae distrahendi perdiligenter usi sunt Ottomani, utque tyrannidem ea in provincia stabilirent, quoties Proceres in suffragia irent Principem lecturi, toties fere Byzantio aderat Legatus, authoritate sui Domini electionem aut ratam, aut irritam habiturus. Hinc vectigal quotannis pendendum erat, ut lecto e Procerum gremio Principe, sub umbra libertatis servitutem abesse fingerent, eam tamen reipsa & haberent, & sentirent. Puduit equidem bellicosam gentem tam arctis circumscriptam limitibus; sed ne quid adversus Majorum suorum instituta, ac longo usu firmata auderent, Turcica vis cohibuit. A) Neque in Regibus Hungariae, aut aliis Principibus spes erat, quorum res plerumque bello implicitae, domi suae satis, superque agendum habuere. Itaque haec magis potentia oppressi patiebantur, quam

 pro

A) A Solymani temporibus, qui Joannem Sigismundum Zapolii filium in Daciae possessione stabilivit.

A. C. 1595. pro arbitrio agebant. Sigismundus tandem Bathorius, Chriſtophori filius; ac magni illius Stephani Bathorii A) nepos, vincula rupit, Majorumque ſuorum, ſive culpam, ſive infortunium generoſis auſibus correxit. Miſerat is Georgium Ravasdium cum annuo ſtipendio Byzantium ad Amurathem. Sinan, qui ea tempeſtate dominabatur in aula, Ravasdium infra dignitatem habet: multa in Tranſylvanos, multa in Sigismundum probra jactat. Quin eo dementiæ prolapſus eſt, ut Principem mancipium, canem appellitarit; poſtularitque quinquaginta haſtarum millia, totidem operarum millia cum ligonibus, dolabris; & tormenta, quibus in Cæſarem uteretur; demum maximam frumenti vim ad Danubium convehendam imperavit. B) Hæc aliaque Sigismundum, generoſi ſpiritus Juvenem, ac ſinceræ Religionis cultorem adeo exulcerarunt, ut ſpreta ſocietate Ottomanorum, non minus Religioni, quam ſuæ dignitati pernicioſa, continuo cum Rudolpho fœdus junxerit, etſi Procerum non pauci præceps, ut ajebant, conſilium damnarent. Sed eventus docuit cœlo auſpice hanc viam arripuiſſe Principem, dum de hoſte Chriſtiani nominis triumphum egit, ut ſuo loco dicemus.

Inter hæc Amurathes poſt viceſimum annum regiminis, ætatis vero quartum, & quadrageſimum, c) nonis Januarii fatali morbo oppreſſus e vita deceſſit. Ajunt nonnulli fulmine apoplectico proſtratum; alii diuturnis, ac peracerbis laterum doloribus lente contabuiſſe. Byzantinis haud magno dolori erat interitus ignavi juxta, ac avari Principis. Imo Reipublicæ palam gratulabantur, hoc tali monſtro liberatam, ſive reipſa ita ſenſerint, ſive odio ſimulato, apud novum Imperatorem gratiam inire voluerint, qui eo gratiorem ſe putat civibus ſuis, quo alter majori in odio, atque invidia verſabatur. Cæterum Amurathes alieno potius periculo, quam ſuo bella adminiſtrari maluit, & quod parcius, quam par erat, ſuppeditarit æra, crebro militum ſeditiones obortæ, cladesque acceptæ in bello Perſico, quod majoribus animis incepit, ac abſolvit. Vecors, omnique aura levior, copiarum Duces in ordinem redegit; mox pœnitudine ductus, vel auro expugnatus priſtino loco repoſuit. Perſas incredibili odio perſequebatur Religionis cauſa. Venetos, Hungaros ferre poterat, neque iſtorum provincias laceſſiviſſet, niſi Sinan armorum gloriæ percupidus, aſſiduo inimicitiarum cauſas quæſiviſſet, tandemque pace ſublata claſſicum funeſtiſſimi belli ceciniſſet. Ita invitum ad arma Hungaris inferenda impulit, ut vel inde animadvertas: Amurathem hunc non magis vitiorum, quam ſuorum Purpuratorum libidini indecore ſubjectum, ac parum ſolicitum, recte ne, an ſecus ageret pro Imperio; pro dignitate ſua; facile, quo volebant, vela vertiſſe. IGNAVUS Dominus, ludibrium famulantium.




MAHO-

(A Princeps Tranſylvaniæ, deinde Poloniæ Rex. B) Odium hoc conflaverit Sigismundo Gazis Tartarorum Princeps, cujus copiæ ad alpes attritæ. Imo præ manibus habeo perdiligentem Scriptorem Anonymum rerum Dacicarum, continuatum deinde per Theodorum Meurerſium, qui aſſerit, Sigismundum in tres partes diviſiſſe exercitum Ducibus Franciſco Kereſzti, Michaele Horvath, aſparo-Kornis; ac Tartaros Comaromio redeuntes infeſtaſſe. De his altum tacent domeſtici Scriptores. c) De Amurathis ætate variant Hiſtorici, uti & morbo, quo extinctus eſt.

A. C.

MAHOMETES III.
IMPER. OTTOM. VII.



Ublato Amurathe, duodeviginti a) Principes Byzantini sepulchro illati sunt uno, eodemque die, quos mensæ suæ adhibitos Mahometes natu maximus, celato tantisper parentis funere, post ferales epulas trucidari jussit. Haud æquiori animo in eorum matres, Amurathis pellices fuit, quas summo dedecore ex aula proturbatas, fluctibus Euxini mergendas dedit. Hoc cruento facinore perpetrato, cum stirps Imperatoria excisa foret, nullusque superesset surculus, in quem miles, aut civis sua suffragia transferret, absque metu, & turbis regimini manus admovit, Sinane authoritate sua, & singulari industria omnem, si qua occurrerat, difficultatem emolliente. Ne Janicsari more suo tranquillitatem urbis convellerent, peractis funeralibus ad ædes Sophiæ (ubi sub tentorio Phrygii operis, Amurathis, cæsorumque fratrum cadavera plures horas spectaculo fuere) stipendia persolvit; advocataque concione hortatus est, *ne quid detrimenti civium fortunis inferrent: pacate hiemem agerent; habituros primo vere non unam occasionem uberiora spolia legendi in Hungaria, & si quid est ultra Hungariam, invictis Turcarum armis subjugandum.* *Ad se enim*, ajebat, *Pannonicum bellum cum hareditate transiisse, quod cum geminata clade Christianorum, & capto Jaurino, anno proxime præterlapso inchoatum sit, nihil aliud sibi superesse agendum, quam ut vestigiis paternis strenuus insistat, & felicibus auspiciis captum, retentis armis absolvat. Sperare se militem, sat roboris, animique allaturum, ut cæsis nuper veteranis legionibus, cum tyrone exercitu manus conserat, palmamque obtineat. Vix Rudolphum in Hungaria occursurum. In Austriam aditu, obtentuque facilem eundum; ibi uno prælio bellum confectum, ac emeritis stipendiis dignam mercedem datum iri.* His non tam in novam expeditionem, quam certam victoriam accensos a se dimisit. Sinan bellicosa Mahometis indole delectatus, nihil neglexit eorum, quæ alioquin ad severiora pronum, in arma vehementius inflammarent, quod sibi persuasum haberet, dominante acri, pugnacique Principe se in eodem gradu fortunæ permansurum, ad quem Imperatoriis artibus, quas parando, gerendoque bello edidit plurimas, sub Selymo, Amuratheque feliciter evasit. Sed UT RARO sine æmulorum invidia in aulis felicitas crescit, ita rarius inoffenso pede inter tot Ministrorum artes ad maturitatem pervenit: sæpeque refrigescente gratia Principum, ante diem omnis felicitas decocta perit. Id Sinan suomet ipsius malo didicit, ut in tempore cursus Historiæ dabit.

1595.

Rudolphus Cæsar haud ignarus, quanta ope bellum pararent Byzantini, quantaque confidentia Hungariam, Austriam, Italiamque in prædam sibi sponderent, partiens curas simul inferendi, atque arcendi belli, omnibus provinciis delectus militum instituit; Maximiliano superioris Hungariæ ditionem cum aliquot legionibus commendat, ut oppida defensioni opportuna præsidiis firmet, ne dum juxta Danubium in Ottomanos signa inferret, nuda, apertaque ea pars Hungariæ foret. Carolum deinde Mansfeldium,

Belgi-

a) Ita Chronicon Hungaro-Turcicum. Rerum Dacicarum Scriptor undeviginti cæsos ait. Daniel Hartnaccus in Conspectu Bellor. Turc. ad annum MDXCV. hunc in modum scribit: „ Mahometes III. cum Patre defuncto XIX. fratres, & X. novercas necatas extulit. „

A. C. Belgicis armis, A) inclytum, a Philippo II. Hispaniarum R. impetrat, qui Pan-
1595. nonicis copiis præesset secundum Mathiam, præfecturam armorum retinentem. Et ille majoribus animis ad Istrum pugnaturus in communem hostem, quam ad Scaldim, tot jam annos Christianorum sanguine rubentem, gloriam quæsiturus, haud cunctanter id oneris subivit, ea quoque incitatus cogitatione, ut ne inter eas angustias triumphantibus Ottomanis, latiusque in dies per Hungariam dominantibus detrectasse, illorum metu, provinciam videretur. Et revera veteranum Ducem res nimium afflictæ, accisæque ea tempestate postularunt, qui torpentes Christianorum animos militaribus factis accenderet, hostium ferociam sui fama refrænaret. Utrumque assecutus est Mansfeldius. Nam ut primum ad Ovarinum castra posuit, miles continuo ad veterem disciplinam redire, imperata strenue, fortiterque exequi, eo Duce plurimum confidere, omnia audere. Hostis vero existimatione fortissimi Herois prope jam victus, timide egredi Jaurino; ejus ingenium, consilia, quæ prudens tegebat, improbo, sed irrito conatu explorare. Cum enim alium, atque alium locum castris caperet, modo Jaurinum, modo Albam versus duceret, Turcam ingens solicitudo tenebat, quo se tandem tempestas effunderet. Sed nulla re magis Purpuratum Budensem fefellit, quam quod incredibilem fascium vim comportari jusserit, tanta etiam impensa cura, ut in Austria quoque materies cædi debuerit, quasi Jaurinum oppugnaturus ad explenda urbis valla, fossasque, immanem illam fascium struem comparasset. B)

Calliditas Ducis singulare ad geminam victoriam momentum attulit. Dum etenim hostes uni Jaurino metuunt, conjuratis viribus illud defensum ibant. Huc robora virorum, frumentum, rei tormentariæ peritos, cum omni apparatu ire jubent. Mansfeldius cursim agmine facto dies, noctesque Strigonium advolat, vias omnes milite occupat, calendis denique Julii peracrem obsidionem improviso adornat. Budenses vicinorum discrimine intellecto, antequam operibus vallaretur urbs, aliquot signa militum cum annona mittunt in subsidium. Contracto certamine ad ripam Danubii cum Hungaris (postquam ex arce promptissimi Janicsarorum decurrerunt) ordines perrumpunt, ac cum sociis in arcem penetrant. Mirum! quantopere hic manipulus animos obsessorum confirmarit. Quippe cum nunciarent Hassanem, Budæ Præfectum contrahere undique copias ad opem ferendam, tanto animorum consensu in defensionem conspirarunt, ut non arcem modo adversus tormentorum ictus fortiter tuerentur, sed & aquariam urbem, in ea paucitate militum, incredibili pertinacia post ternam invasionem propugnarent. At Parkanum (celebre id temporis præsidium, opportunumque Strigoniensibus, quod Danubio dominaretur, nunc vicus ignobilis) a Palffio, & Nadasdio unius horæ spatio subactum, martiales istos spiritus, non nihil temperavit.

Adfuit interim calendis Augusti Hassanes cum Beglerbego, & Mehemete Ciliciæ Præside triginta millium exercitum trahens, aususque mille passuum copias admovere Christianorum castris, ob effusos imbres diem illum, ac noctem quietus exegit. Mansfeldius cognito hostium adventu, eo intentior ad victoriam niti, omnibus modis evigilare, ut arcem clausam teneret, & Hassanem irruptione castrorum prohiberet. Palffium, cujus virtuti plurimum tribuit, cum aliquot equitum signis in ea parte, qua hostis tendebat, pro castris agitare jubet; valla, aggeres, cæteraque opera oppugnationis, ne quid detrimenti subita eruptione acciperetur, spectatæ virtutis Centurionibus dispertit. Postridie dubia adhuc luce, selectam equitum, peditumque manum Hassanes castra Mansfeldii exploratum mittit; monet tamen, ne se pugnando longius abripi patiatur, sed potius, si qui occurrerent, simulatione fugæ in campum extrahat. Palffius nihil cunctatus terna millia equitum Hungarorum, & Germanorum opponit, initoque perlevi certa-

A) Cui otium, adeat Famianum Stradam, & Angelum Galluccium utrumque e S. J. B) Istvanffius L. XXIX. & Annales Ferdinandei.

certamine, Turcas, ut jussi erant, recedentes ad castra usque persequitur. A. C. Hi aucti aliquot sociorum turmis, raptim agmen componunt, pugnam novo ardore capessunt. Nec ideo Palffiani cessere animis, sed fronte obversa, in prælio persistunt. Gliscente tamen majori numero hostium, qui e vicinis castris accurrerant, vehementer premebantur, & nisi in tempore Mansfeldius ex Hungaris, Germanisque subsidia dedisset, futurum erat, ut circumventi cladem acciperent. Ergo rursum redintegrato prælio, Turcas non jam sponte, sed vi impulsos intra castrorum munitiones rejiciunt. Eodem calore ne castra caperentur, barbarorum tormenta e monte proximo crebro, tutoque fulminantia prohibuere. Neque victis animus erat erumpendi, quod viderent equitatum nostrum a Mansfeldio in pugnæ locum promoveri. Ita eo die utraque pars majoribus, quam pro numero, viribus dimicabat. 1595.

Quarto demum Augusti Hassanes eductis universis copiis, occinentibus signis Mansfeldio certamen indicit, relicto ad impedimenta modico præsidio. Bipartito agmine placuit fortunam tentare. Mehemetes Ciliciæ Præses, septem millibus equitum præpositus ad radices montium, qui oppidum, & campos D. Georgii respiciunt, Schvarcenburgum aggredi est jussus. Hassanes cum Beglerbego Janicsarorum legiones, equitatumque reliquum in Mansfeldium ducit (qui medius inter Palffium, & Schvarcenburgum tetendit) pro castris instructa acie stantem. Palffius, & Nadasdius equestribus copiis initium dedere pugnæ, succedentibusque validioribus auxiliis, tanta vi Hassanis agmen urserunt, ut desperata victoria post horæ spatium pulsum, fugatumque fuerit. In altero cornu, a Schvarcenburgi milite eodem fere tempore Mehemetes in fugam actus, cum reditum in castra sibi interceptum videret ab equitibus Palffianis, temerario magis, quam sano consilio, se cum quingentis circiter in aquariam urbem conjecit. Mansfeldius militis ardore utendum ratus, ad hostium castra, metu jam expugnata contendit; cæsisque plerisque custodum, plena victoria potitur. Præter mille quingenta tentoria, inter quæ Beglerbegi elegantissime elaboratum eminuit, totidem cameli, victoribus obvenere cum septem, & triginta signis. Denique quatuordecim millia aut cæsa, aut capta victoriæ magnitudinem ostendere. A)

Secundum hanc pugnam Mansfeldius febribus correptus, gravem in morbum incidit. E Medicorum sententia Comaromium delatus, paucis post diebus naturæ cessit, insolito luctu, mœroreque militum. Mathias Archi-Dux Austriæ, sinistra Mansfeldii valetudine percepta, sine mora in castra festinat, resumptaque verberatione mænium, quarto decimo Augusti aquariam urbem armis occupat, interfecto Aly Præfecto, fortiter magis, quam caute pro mænibus dimicante. Cilex Mehemetes, ætate, armisque gravis, ægre tela victorum effugit, qui deinde arcis curam in iis angustiis gessit. Extimis munimentis exutam arcem nemo non speravit proxime casuram. Et fortuna haud diu spem visa est distulisse. Cum enim Purpuratus Budensis, & Beglerbegus recentes copias novo discrimini objicere minime vererentur, sive existimarint Duce mutato, fortunam quoque belli mutatam, sive hac confidentia præsidiarium militem arrigi posse ad obsidionem ferendam, vix castris egressi (ad Vetero-Budam ea fixerant) a Nadasdio in certamen protrahuntur. Æqua fere clade discessum fuisset, ni Abdulahes, Kopaniensium Præfectus, is, qui miro astu e carcere fugit, suffosso equo prolapsus, in nostrorum manus venisset. Hujus viri infelix casus, Strigoniensium pervicaciam multum emollivit. Nam publica fide interposita, prope mænia arcis consistens, unde commode audiri posset, Mehemetem etiam, atque etiam hortatus est, clementiam Mathiæ potius, quam victoris militis iram experiretur: lacera mænia, ac summam rerum inopiam declarare, Ducem, & militem munere suo fortissime functos. Intelligeret denique suppetias iterum fusas: se infausti prælii testem esse. Mehemetes spe auxilii ever-

A) Ita Istvanffius. Dacicus Scriptor, & Annales Ferdinandei quatuor solum millia cæsa referunt.

A. C. 1595.

eversus, non tam Abdulahis authoritati, quam necessitati victas manus porrexit. Transactis cum Palffio conditionibus calendis Septembris, arx Mathiæ deditur cum omni penu militari, præsidiarii triginta navibus Vissegradum deportati. Hoc modo jugum posuit Strigonium postquam duobus, & quinquaginta annis sub eo gemuit. Strigonii deditionem mox Vissegradum secutum est. Muri vetusti, excipiendisque ictibus infirmi continuo procubuerunt. Pyrrhus Aga inter spem, & metum dum de tradenda arce cum Palffio agitat, aliasque super alias conditiones adfert, ab Italicis cohortibus arcem ingressis opprimitur; quodve contra pacta Strigonienses præsidiarii triginta naves, quibus usi sunt, retinuerint, cum milite suo libertatem amisit. A) Tantus armorum successus non mediocriter perculit Ottomanum, fuitque multorum opinio: Budam, multo Heroum sanguine aliquando rigandam, capi potuisse, si victricia arma admota fuissent. Sed frigidior autumnus legiones in hiberna compulit.

In Illyrico non secus, ac in Hungaria res Turcica male habuit. Georgius Zrinyius cum Joanne Sigismundo Herbersteinio, iis fere diebus, quibus Strigonium subactum est, Babocsæ B) imminebant. Turcæ desperata arcis salute, igne in pulverum cados conjecto, locum fœde laceratum deserunt. Petriniam subinde, ex qua sævæ populationes in agrum Turopolitanum fiebant, Thomas Erdődius Banus perdomuit. Rustanes arci præpositus obsidionem amoliturus, dum ferox in Erdődianos erumpit, & militis potius, quam Ducis munia incautus obit, lethali vulnere perstrictus, paucis a pugna diebus extremum vixit. Præsidium, morte Rustanis confusum, facile occupatur, cæsis, qui metu attoniti arma posuerunt, militibus. Rastovicia, Gora eandem fortunam subiverunt. Laborantibus hunc in modum sociis, etsi Sinan Vezirius quam maxime optaret succurrere, tamen multo gravior, utiliorque Reipublicæ cura hominem alio abripuit. Defectio Transylvani ad Rudolphum, apertaque belli denunciatio incredibile, quanto terrore Byzantinam aulam concusserit; quantam rerum conversionem traxerit. Purpurati inter se perpetuo animis, sententiisque discordes, tot uno tempore impendentibus malis turbati, trepidabant magis, quam consulebant. Nam provinciam agro, virisque bellicosis opulentam, sub acri, avidoque armorum gloriæ Principe, multum negotii daturam facile assequebantur. Moldavos, & Valachos partim ira, doloreque amissæ libertatis C) irritatos, partim Transylvanorum factione ab Ottomanis aversos, arma arrepturos nemo non prævidebat. Annonam denique angustiorem fore Byzantii, tot hostibus subvectionem frumenti impedituris, quod malum frequentem incolis urbem, annis superioribus sæpe in tumultus egit, ut præter seditionis Ducem nihil omnino defuerit.

Tot calamitatum fontem ut obstrueret Mahometes (etsi arma, ultionemque suaderet Sinan) Chausios suos D) ad Sigismundum mittit postulatum: *ne sine causa a fœdere, a societate Turcarum discederet, neve hostis fieret illius populi, cujus viribus, benevolentia, a Joanne Sigismundo tot Principes Transylvaniam tenuerunt. Habere eum magnam copiam societatis, amicitiæque iterum jungendæ, quæ utique omni bello potior esset. Quanquam fœderi cum Cæsare icto, opibus, militique suo confideret, tamen multo prudentius acturum, si certa præ incertis eligeret. Faciliorem repertu portam, qua ineatur, ac qua exeatur. OMNE bellum sumi facile, ægerrime desinere. Proinde sibi, provinciæque consuleret, neu florentes res suas ancipiti bello involveret. Condonaturum se vectigal annuum Principi, imo Moldaviæ, Valachiæque ditiones transcripturum, modo a belli consiliis desistat.*

Sed

A) Istvanffius scribit omnes in Italiam abductos, multos subinde Venetorum ope' libertatem adeptos. Dacicus Scriptor, omni supellectili exutos, Budamque dimissos ait, quod etiam Khevenhüllerus in suos Annales transcripsit. B) Babocsa arx Szigethum inter, & Kanisam. C) Principes suos habuere quidem hæ gentes; at pro libidine Turcarum exauthorati sunt, quive largitionibus Purpuratorum animos explebant, ii plerumque dominabantur. D) Scriptor Anonymus rerum Dacicarum.

Sed generosi Principis animus, nupera contumelia succensus, in fide perstitit, barbaroque iterum bellum indixit. Cum nihil pacati referrent Chausii, factionem nondum, ut putarant, partibus firmatam opprimere armis placuit. Itaque fœdere renovato cum Persarum Rege, exercitus, Sinanis industria in Byzantinum agrum accitus, ad Transylvani contumaciam frangendam destinatur, & quasi nusquam terrarum bellum gererent, eo omnes vires, cogitationesque vertuntur. Ingens æmulatio Ferhatem inter, & Sinanem oborta est, utroque hanc provinciam deposcente. Inde gravissimæ simultates, quas Ferhates simplicius, Sinan callide; eoque implacabilius nutriebat. Sed Mahometes per speciem honoris, retento in aula Sinane, quasi ad moderandum Hungaricum, Dacicumque bellum ipsius consiliis usurus, Ferhatem copiis A) præfecit. Inopinata designatione supra bonum, honestumque perculsus, graviter tulit repulsam, cognitumque satis fuit, illum magis dignitate Ferhatis, quam injuria excruciatum, neque tam anxie laturum fuisse, si alteri, quam Ferhati hæc provincia traderetur; id tamen ex eo commodi reperiebat, quod tradita armorum præfectura, æmulum ab aula removerit, curis profecto non levibus implicandum, & si recte cesserint consilia, quæ jam tum animo volutabat, sine dubio dignitate, fortunis, vita ipsa exuendum.

A. C. 1595.

Nec spe sua falsus est Sinan. Nam Sigismundus pertracto in societatem belli Aarone Moldaviæ, Michaele Valachiæ Transalpinæ Principibus, Mahometi tributariis, tanto ardore animi, celeritateque arma arripuit, ut ante e duabus provinciis, præsidiarii Turcæ ejecti fuerint, quam copias suas in Valachiam misisse crederetur. Denique Alberto Kiralyio Ductore, Ferhatem cum exercitu festinantem Nicopolim, ad Selistriam, sive Selestriam, ingenti clade proterit, signis militaribus, inter quæ Janicsarorum grande vexillum, ademptis. Hæc dum trepide Byzantium adferuntur, novus terror Purpuratos juxta, ac cives pervasit. Et cives quidem alio præterea malo urgebantur, quod circumsonantibus armis, e Bulgaria, & vicinis regionibus, nihil frumenti adveheretur, fame in dies pauperum casas sævius depascente, eratque urbs vasta, atque disjecta plena tumultus, grege erronum officinas pistorias sæpe diripiente. B) Mahometes præsentem inopiam ut paulum levaret, quidquid frumenti pro milite comportatum fuit, in egenos erogavit, alibi compressa per avaritiam institorum frumenta, edicto, pœnarumque severitate protraxit; ita nonnihil plebs respiravit.

Sed in castris multo miserabilior rerum facies. Cæso militiæ robore, Dux nihil ausus in Transylvanum, satis habuit se munitis castris in Bulgaria tenere. Miles sive ob imperitiam Ducis, sive sinistram fortunam, tædia militaris vitæ detestatus, imperium detrectabat, tanta confidentia, ut plerique minitarentur, se convulsis signis Byzantium abituros, nisi propediem, qui bellum administret, novus Vezirius mitteretur. Veteris periculi memoria, quo fere interiit ad Persidem Ferhates, præsentis curam vehementer intendit, cumque se imparem videret gliscenti iræ, ac seditioni opprimendæ, ultro abdicatis bellicis muniis (nempe monitus a Soltana Mahometis matre proxime exauthoratum iri) successorem sibi dari flagitavit, quem minime invita aula obtinuit. Erat is Sinan, vetus æmulus Ferhatis, victoriis cum in Africa, Asia, tum Europa reportatis inter suos clarissimus. Sed felicitas illa in armis tractandis, quæ hominem nimium extulerat, hoc anno pene perdidit. Decretam provinciam eo lubentius admisit, quod nuper neglectus, Ferhati ignominiose dejecto successor sit datus, quodve campum sibi oblatum videret, Sigismundi transfugium, ut interpretatus est, & Michaelis Vaivodæ sævitiem, in Turcas exercitam, ferro, & igne vindicandi. c)

A) Idem Scriptor. Quamvis e contextu Istvanffii Achomates videatur ante Ferhatem bellum Transylvanicum administrasse. B) Ut Romanis, ita & Turcis Ægyptus princeps horreum erat, unde frumentum petebatur. Verum ea tempestate Purpurati inter se dissidentes, curisque bellicis absorpti, de annona civibus procuranda parum soliciti erant: & Annonarii quæsitores Dacico bello præventi in frumentarias Asiæ regiones serius navigia solverunt. C) Hic duo millia Turcarum, qui sedes fixerant in Valachia, trucidari jussit.

A. C. 1595. Adulta æſtate turbidus, rapiduſque, cum omnibus copiis, quas ſecum adduxerat, in Valachum ſe vertit. Centum millia armatorum dicuntur fuiſſe. Confœderati viribus diffiſi, ut præfervidos Vezirii ſpiritus enecarent, minime ſui copiam facere, levibus præliis modo primos, modo poſtremos in agmine tentare, ac ſtatim in montes recurrere; rurſus aliis, poſt aliis minitari, neque ſtataria pugna congredi, neque otium ferre, nunc caſtra infeſtare, nunc pabulatores urgere. Demum ut furentis vim conſilio everterent, ad alpium juga ſemet recipere. Sinan, ubi videt nullam copiam pugnandi ab hoſte fieri, ad urbes oppugnandas animum applicuit. Buccoreſtam uno impetu ſuperat; promotisque caſtris, Tergoviſtam, provinciæ caput, ac Vaivodarum ſedem, vallis, paludeque munitam, ſed tum ab omni præſidio nudam, per otium capit. Viſa opportunitate locorum, utramque urbem novis operibus, ceſpite, palisque firmioribus cingere placuit, accitis e Bulgaria etiam agreſtibus, quo celerius munimenta abſolverentur.

Relicto, qui operi præeſſet, Aly purpurato Trapezuntino, ipſe præfervidus, & moræ omnis impatiens, duodena millia partim Janicsarorum, partim equitum in Michaelem, & Kiralyium ducit, caſtra eorum oppugnaturus, ni in aciem prodirent. Una juxta, ac perdifficilis via patebat in ſumma montium, quam ſi parva manus armatorum inſideat, vis nulla perrumpet. Radices alpium fluvius alluit, qui nullis coercitus ripis, late diffunditur, ac campos haurit tanta aquarum frequentia, ut niſi junctis pontibus tibi iter munias, ne inermis quidem in alteram partem eluctaberis. Nihil deterritus difficultate itineris, paludem late ſtagnantem ſuperat, cumque ſentiret laxatas montium cuſtodias, ipſe cum expeditis, acerrimo quoque viro, anguſtias evadit, & reliquum agmen ſine incurſu Valachorum per averſa rupium promovet. Confœderati caſtris ſuis egreſſi, hoſtem numero quidem potiorem, ſed aſperitate viarum fatigatum, laceſſunt. Pugnatur utrinque inter præcipites, præruptasque rupes tanta vi, tanto ardore, ut modo Turcæ, modo Confœderati victoriam inclamarent. Trecenti tandem Hungari pedites, commodum in caſtra reverſi e pabulatione, glandium procella victoriam confecerunt. Turcæ ſimul a Confœderatis, ſimul ab iniquitate locorum oppugnati, dum confuſis ordinibus trepide iter relegunt, in anguſtiis vallium ſibimet ipſis fugam intercludentes, a ſuperveniente victore ſternuntur. Sed ad pontes longe maxima ſtrages eſt edita. Cum enim fugientium numerus major eſſet, quam pontes capere, aut ſuſtinere poſſent, multi in paludem præcipitati, aut cæno hauſti, aut glandibus transfixi perierunt. Sinan turbatis agminibus mixtus, inter ingentem tumultum ex eodem ponte dejectus, duobus dentibus haud molliter excuſſis, fœdatoque vultu ægre Tergoviſtam pervenit. a)

Neque hic ſubſiſtere auſus, quod Sigismundum cum Siculorum copiis adventare per idoneos nuncios didiciſſet; impoſito novæ munitioni quatuor millium peditum præſidio cum Purpurato Aly, exercitum Buccoreſtam reducit. Sigismundus collectis e Siculorum præcipue gente quatuor, & viginti millibus armatorum, quibus Michael, & Kiralyius nuper victores acceſſerant, Tergoviſtam contendit, ratus id, quod negotium poſcebat, Sinanem laborantibus ſuis auxilio venturum, ibique prælium fore. At Siculorum virtute, urbem bidui ſpatio ſui juris facit, cæſo, aut capto præſidio, nihil movente Sinane. Imo poſteaquam munitionem captam intellexit, adeo animis concidit, ut Buccoreſtæ templo, quod firmis operibus ad defenſionem muniverat, ſuffoſſo, trepida fuga ſeſe trans Iſtrum receperit, ſolum octo millibus cum impedimentis ad caput pontis relictis. Ne hoſtis ſua confeſſione jam victus e manibus elaberetur, Sigismundus compendio viarum facto, improviſus adeſt. Turcæ repentino metu perculſi,

a) Iſtvan. L. XXIX. Scriptor Dacicus addit in hoc certamine ingens vexillum coloris viridis, in manus Confœderatorum veniſſe. Referebat illud Iridem, & Mahometis vultum. Errat in eo, quod ſcribat, Confœderatorum viginti millia fuiſſe.

culsi, sibi quisque consulunt. Alii capta pecora ad pontem pellere, alii fu- A. C. gere, alii arma capere, currusque onerarios irruentibus opponere. Disje- 1595. ctis, qui temere pugnam fecere, tum vero apparuit non cupiditate prædarum, sed ira, & odio huc festinasse Confœderatos. Nemo spoliorum magnitudine ferrum cohibuit, nemo capiendi vivos sibi spatium indulsit, trucidant inermes juxta, atque armatos; usque ad jumentorum cædem ira victorum pervenit, illustri utique documento; ODIA multos annos in crudeles Heros collecta, nonnisi multo sanguine placari posse. Quinque millia ea cædes sustulit, totidem millia Christianorum, tyrannidi erepta, præter vim maximam carrorum, aliarumque rerum castrensium. A)

Postquam res in Valachia gestas rumor divulgavit Byzantii, incredibile dictu, quantopere Sinanis fama vapularit, æmulis materiem criminandi avide arripientibus. Certe plerique in eo erant, apud Imperatorem tot cladium sensu ægrum, eidem ut odium conflarent, quo aliquando elisis faucibus, vitam non minus hostium, quam amicorum sanguine impune pastam, cum insigni dedecore poneret. Sed non is erat Sinan, qui se, resque suas in eo discrimine negligeret. Ad solitas artes se vertit, quibus domi, militiæque Principis sui gratia usus, clarissimos civium præcipitavit, & eorum interitu, quem semel obtinuit dignitatis gradum, aut semper possedit, aut certe ampliori Principis favore ad eundem rediit Quanquam non omnem maculam hac expeditione contractam apud Mahometem deterserit, & non nisi grandi summa pecuniæ mulctatus, Vezirii muneri admotus fuerit. Hæc quemadmodum evenerit, paucis memorabo.

Præfectura armorum, quam sponte dimittere volebat, exutus Ferhates, fati sui præsagus Constantinopolim adire horrebat, diuque secum luctatus inter spem, & metum, quo vela verteret, a Soltana Mahometis matre, quæ raro apud Turcas exemplo, filii animum maternis blanditiis temperabat, vitæ securus in aulam evocatur. Paruit patronæ. Reversus Byzantium nullis, ut alias, applausibus civium, a plerisque trepida humanitate exceptus, facile animadvertit, nondum tempestatem depulsam. At maxime aulicorum ora non perinde observantiam, amorem mentientia, infrequens limen, rarior circa se comitatus, non dubium argumentum fuerunt, fulmen sub nubibus latitare, quo prosternendus æmulorum invidiæ victima cadat. Concoxit tamen hæc omnia forti stomacho, animoque præsenti, & quidquid sinistri eveniret, perferre decrevit. Imo quasi satur curarum, quibus ab ineunte ætate implicitus erat, quietem hanc optaret, ea moderatione est usus, ut nunquam ad querelas semet demitteret, nunquam expostularet se durius, ac par erat, haberi. Crederes illum multo jucundius res suas privatas curare, quam si in campo, signis undique concinentibus aciem strueret, vel in sanctiori consilio de summis Imperii negotiis sententiam ferret. Id sive constantia animi egerit, sive adumbrata lætitia; æmulorum aures, oculosque cupito illo mœrentis rumore, aspectuque fraudavit quidem, sed eo acrius in iram, odiumque incitabantur, quo homo misere superbus, afflictam suam fortunam minus sentire videretur. Nec erat tam innocens, ut criminandi materia deesset.

Sinan Vezirius a Sigismundo profligatus, quo nominis sui famam vindicaret, epistolam arcanis de rebus ad Principem Tartariæ missam, in castris intercipit: eam quasi e Ferhatis officina prodiisset, audacissime divulgat. Præter cætera severum edictum legebatur, *ut ne Princeps more veteri, suas copias prædatum dimittat in eas regiones, quas Ottomanicus miles armatus, præsenti anno insidebit. Præsto esse grandem exercitum, quo Mahometes sperare possit, Principes contumaces ad obsequium revocandos sine prædonum agmine. Sæpenumero Tartarorum gentem non tam auxilii ferendi, quam spoliorum causa e suis latibulis prodiisse, & patrata victoria*

A) Scriptor Dacicus ait: tota hac expeditione Sinanem 26. millia ex suis desiderasse. Hartnaccus meminit ad annum MDXCV. Turcam ingenti clade affectum a Sigismundo Bathorio Principe Transylvaniæ.

A. C. *Turcarum ferro, opimis spoliis victores evertisse. Moscoviam, Poloniam*
1595. *invadat, si tanta prædandi cupiditate inardescat: ita spoliorum copiam absque invidia fore, nec expeditionem Magnum Imperatorem graviter laturum.* Hæc, atque alia id genus & Imperio, & Sinani exitiosa, cum in ea epistola continerentur, dici non potest, quanto omnium odio flagrarit Ferhates. Et quamvis ille flagitium isthoc constanti ore negaverit, Sinanemque veterem inimicum, scripti hujus authorem non levibus argumentis detexerit, tamen quod nonnullis indiciis suspicionem incurrerit; jussu irati Imperatoris obtorta gula jugulatur, immensis, quas possedit, opibus, ærario illatis. Sic Ferhates prosperis perinde, ac adversis, a prima adolescentia multum exercitus, vitam clausit.

1596. De æmulo sublato brevem admodum triumphum egit Sinan. E bello redux, Vezirii dignitatem ponere jussus, multoque ære mulctatus duobus mensibus aula abstinuit. Soltana, Mahometis mater, auro empta, jacentis fortunam iterum erexit. Pristino munere decoratus, dum per hiemem legiones reficit, remque diligentissime curat, partim ætate (octogesimum annum numeravit) partim militaribus tædiis fractus, Byzantii extinguitur, Mahometemque ingenti spe improviso destituit. Desperata valetudine, fertur monuisse Imperatorem, ut, si vellet hostibus suis terrori esse, sequeretur morem Majorum, campum præ aula adamaret, ferro succinctus ipse exercitum duceret, ita castris disciplinam, qua Imperium crevit, sceptro fortunam restitutum iri. Istvanffius illius ætatis Scriptor, secutus vulgi rumorem, veneno, quod sponte hauserat, lente contabuisse ait. Hunc exitum habuit Sinan, non inutilis homo Imperatori suo, qui terra, marique clarissimas consecutus victorias, inter præcipuos suæ ætatis Duces numerum facere potuisset, si, ut aliorum, ita & sui victor extitisset. Labantibus Ottomanorum rebus grande momentum sæpe addidit. Strenuus manu; consiliis, sermoneque promptus; serendæ in alios invidiæ, & odii mirus artifex; discordiis, atque seditionibus potens; pace pessimus, bello non spernendus. In Africa, Asia, Europa; præcipue Hungariæ, & Daciæ regionibus, victoriis, & clade innotuit.

Cæterum in Illyrico vixdum soluta hieme ad arma deventum. Ad Clissam, præaltis rupibus impositam, & tum temporis aliquot millibus Turcarum munitam, Georgius Benkovicsius, illarum partium acerrimus propugnator, oculos, animumque adjecit. Cum aperta vi locum non tam operibus, quam militum robore firmatum subigi posse diffideret, placuit insidiis agere. Res fortuna magis, quam consilio cessit. Nundinæ ad Drilonem feriis resurgentis Domini celeberrimæ institui solent, ad quas ingens mercatorum, civiumque omnis generis, numerus confluere assuevit. Ne prædonum, piratarum injuriis, institorum merces paterent, a Clissæ Præfecto præsidium impetrarunt. Lenkovicsius educti militis non ignarus, terra, marique promptissimos suorum ad Clissam arcessit; mox silenti nocte per rupium crepidines eluctatus, mænibus adrepit, perfossoque loco, quem neglectim argilla obturaverant, rati ob rupium munimenta neminem ea in parte aditus quæsiturum, feliciter arcem occupat. Sed opinione celerius rursum in hostium manus pervenit. Apardis Bosniæ Præfectus cum decem millibus eam oppugnaturus, castra ad radices montis saxosi metatus est, ferentemque suppetias Lenkovicsium, semel, atque iterum cum cæde repulit, tanta obsessorum trepidatione, ut opportunissimo præsidio paucis post diebus excesserint. a) Ad Kosztaniczam res felicius gesta, ubi Apardis pugna victus, in sua latibula retrusus fuit. Oppido flammis exusto, ne arx caperetur, Achometis Eunuchi exercitus prohibuit.

Festinaverat is cum copiis, per oppida Thraciæ, Macedoniæ, & Peloponnesi jubente Mahomete contractis, ad Illyricum defendendum, quod non vano rumore nunciatum fuerit, in ea regione præsenti anno bellum longe atrocius fore, quam antea. Cum haud procul Kosztanicza abesset, intel-

a) Istvanff. L. XXX. & Scriptor Dacicus.

tellecto Christianos e campo abiisse, consilium capit, Petriniam aggrediendi, ratus convolaturos omnibus viribus hostes ad obsidionem laxandam, prælîique, cujus avidissimus erat, copiam facturos. Nam quod veteranorum aliquot millia sub signis haberet, homines belli expertos, pluriumque pugnarum; speravit uno prælio debellari posse. Ad famam Petriniæ obsessæ, quasi pro focis, & aris totius Illyrici pugnaturi, undique confluxerunt armati. Amissa enim ea arce, pulcherrimum agrum juxta Colapim amnem protensum, quotidianis, iisque crudelissimis populationibus attritum iri, indeque excidium vicinis regionibus Colapi transmisso inferendum, recenti memoria tenebant. A) Daniel præterea Frankol, loci Præfectus, imparem se videns tolerandæ oppugnationi, auxilia sibi mitti trepidis nunciis postulavit, & nisi a Prestoczio, qui centum Illyros arci injecit, cohibitus fuisset, homo parum militaris deditionem properasset.

A. C. 1596.

Joannes Draskovicsius Illyrici Pro-Rex, Georgius Lenkovicsius, Sigismundus Herbersteinius limitum Præfecti, ille Croatiæ, hic Sclavoniæ, majoribus animis, quam viribus ad Colapim feruntur, fixisque e regione Petriniæ castris, hostes alteram ripam non raris ordinibus insidentes conspiciunt. Per eos dies imbribus intumescens amnis, rapidissimo impetu decurrebat: nec navigia habebantur, nec pons erigi poterat, circum amnem nudo solo, sterilique. Et si maxime hæc adfuissent, res plena periculi, plena temeritatis erat, in conspectu numerosi exercitus transmittere, qui colluctantes cum fluvio, hoste omni truculentiori, facile aditu ripæ prohibuisset. Igitur consilium, quod necessitas subjecit, ineunt. Motis subito castris Sisciam contendunt, ubi tuto pons perfici posset. Achomates ratus Christianos se velle fuga subducere; equitatum, quo præstabat, partemque peditatus fluvium transire jubet, agmenque lacessere. Illyrus alacer animis, corporibusque, sine ordinibus, prout enataverant, madidos, ac fessos invadit, vincit, ternisque millibus mulctatos in alteram ripam rejicit. Hæc pugna Petriniam periculo eripuit, plenamque de hostibus peperit victoriam. Quippe ubi nunciatum est, Christianos ad Sisciam flumen transgressos, Achomates jam nupero prælio victus, ne clade cladem cumularet, retractis sine mora tormentis, fugam capessit. Odoverdis Bosnensis, cæterique Præfecti, vestigia Ducis sui strenue presserunt. Ea in fuga longe maxima cædes est facta. Inter impedimenta direpta; reperta sunt duo inusitatæ molis tormenta, quibus Ferhatis Purpurati nomen insculptum fuit. B) Cæterum ut in Illyrico, ita in Hungaria memorabilis, & Christianorum armis secunda cecidit hujus anni expeditio.

Maximilianus Archi-Dux tam florentem exercitum annona, reque bellica instructum sub signis censuit, de Buda recuperanda ut merito cogitare posset. Erant tamen nonnullæ arces, quæ nisi ante hostibus eriperentur, quam ad Budam castra fierent, veteranorum Ducum Schvarcenburgi, & Palffii sententia, omnis conatus capiendi præsidii in irritum casurus videbatur. Tametsi enim tanti ambitus urbs obvallari, accessusque copiis terra, & amne occludi possent, nihilominus tot circum munita loca ad auxiliandum prompta, diebus, noctibusque castra infestarent, & obsidentes obsidione nova premerent. Maximilianus ipse non ex vano timores hos spargi facile intellexit, præsertim quod Mahometem, cum valido exercitu in Hungariam venturum frequentibus nunciis acciperet; nec tam desidem fore conjiceret, ut Buda, caput rerum, illo quodammodo inspectante, captiva in triumphum ducatur. Itaque vis belli alio conversa est. Urbs Vacium diffugientibus Turcis, a præsidio nuda, faustum expeditioni dedit initium, a Schvarcenburgo, Palffioque in Rudolphi Regis tutelam accepta. Hathvanium, quod oppugnandum sumpsit Maximilianus, longe maximi operis erat, Gubernatori, viro militari, eripere. Erat is Arslanes non tam ætate, quam magnitudine animi inter suos præcipuus, belli expertus, & ad omnem fortu-

A) De his Ratkajus L. IV. Memoriæ Regum &c. B) Istvanffius, & Chronicon Hungaro-Turcicum.

A. C. 1596. fortunam paratus. Non imparis animi mille quingentos pedites habuerat, plerosque emeritis ſtipendiis, & cicatricibus claros. Hos ille partim opibus, partim familiaritate, qua in caſtris uſus eſt, in ſuam peculiarem tranſcripſit legionem; NON ignarus: ſpem, famamque Ducis a militis virtute pendere.

Cum hoc armatorum globo, oppugnationem admodum difficilem Maximiliano fecit Arslanes, utque iſte militem ſuum, egregiis factis ad fortia patranda inflammavit, ita a matre Fatima, virilis animi fæmina, ut eadem, qua cœpit, fortitudine locum propugnet, acri oratione quotidie accendebatur. Jam pali circum valla præſidii evulſi, rates in foſſas immiſſæ, terna propugnacula dejecta erant; aſſultus tamen vi ingenti tentatus, ſperato ſucceſſu caruit, parsque utraque vulneribus feſſa quieti ſe dedit; cum bini milites A) tacite per mænium ruinas progreſſi, animadvertunt, præter morem cuſtodias laxatas, atque opera hoſtium a milite deſerta. Celeriter in caſtra recurrunt, rem commilitonibus narrant, hi aliis. Rumor momento per contubernia diditus, promptiſſimum quemque ad opportunitatem præſidii opprimendi a quiete revocavit. Tacentibus ſignis arenam certaminis repetunt, ſuperatis ruinis in interiora penetrant, vicorum capita obſident. Arslanes hortante matre, ſupremum fortitudinis ſpecimen daturus, arma raptim indutus, victoribus ſeſe objicit, fidos, atque ad eum diem invictos commilitones, priſtinæ virtutis admonet, ne turpi deditione vitam indecoram redimerent, ſed potius in confertos ordines ſe Duce ruerent armati, ac ſuperiorum annorum victorias, vel novo facinore augerent, vel glorioſa morte, quod fortibus viris ſupereſt, abſolverent. His talibus incenſi, contempta nece, acerrimam impreſſionem faciunt, cumque glandibus figerentur identidem, & pauculi vulneribus confoſſi, nondum neceſſitati cederent, adeo efferati ſunt victorum animi, ut cæſis ad internecionem armatis, atque civibus, non niſi imbellis mulierum turba, quæ ſe lanienæ ſubduxerat, teſtis victoriæ ſupereſſet. Excidium iſthoc documentum erit obſeſſis, ne per temeritatem præſidiarii impares reſiſtendo, victoriam ſuapte natura inſolentem, pervicacia ſua in iram, furoremque vertant. B)

Subacto Hathvanino, pavidi nuncii advolarunt in caſtra, Mahometem Imperatorem cum ingenti armatorum numero in Hungariam feſtinare, indeque in Auſtriam ducturum. Is rumor majorem tumultum, timoremque, quam res poſcebat, inter milites excivit. Extemplo Ducum conſilio, caſtra Vacium reducta, ne hoſtis Danubio potitus, annonam exercitui intercluderet, neve in Auſtriam pro libidine ſua bellum transferret. Auxerat hanc Maximiliani ſolicitudinem epiſtola Mahometis, ad Purpuratum Budenſem data, quæ etſi multis mendaciis aſperſa, tamen familiaris illa, famæ mendaciis in rem ſuam utendi ars, plurimum adjuvit Turcarum calliditatem, virium ſuarum numerum ultra modum ementientium. Inter cætera ſcribit: *ſe vehementi dolore perculſum, quod profligato Temeſienſi Præfecto ad Lippam, Tartarorum pariter copias ad Temeſiam fuderit Sigismundus Princeps, eandemque urbem clauſam teneat. Propterea Giafferi Baſſæ mandatum, ut cum quadraginta millibus Temeſiam tendat, Sigismundum in Daciam retrudat, provinciam jure belli capiat. Hæc facile præſtiturum Giafferem, cum centum quinquaginta millia, partim Turcarum, partim Tartarorum in ſubſidium Dacici belli ventura ſint. Se vero cum ter centum millibus armatorum, inundaturum Hungariæ provincias, quibus ſub jugum miſſis, Viennam oppugnaturum, neque Byzantium ante abiturum, quam æmulam Turcici Imperii urbem, funditus everſam cernat.* Hæc talia jactantius multo, quam verius dicta, exitus ſuſceptæ expeditionis docuit.

Equidem ingenti fama, maximoque ardore Hungariam, veterem illam, & tot cladibus nobilem arenam, ingreſſus eſt Mahometes Imperator, &

A) Scriptor rerum Dacicarum vult per aſſultum præſidium captum, ſed vi aperta. B) In Chronico lego Turcas armis abjectis deditionem obtuliſſe, quam miles efferatus rejecit. Laniena hæc 3. Septembris peracta eſt 1596.

& nisi confluentibus lente copiis ex Asia, præcipitante jam æstate, initium fecisset expeditioni, non unius urbis Agriæ expugnatione contentus, Hungaria excessisset. Moras injecit Soltana, callida mulier, & imperare assueta in aula, quæ filium Byzantii retinere omnibus artibus adlaboravit, certa plus ponderis, authoritatisque habituram se apud inermem, quam armatum. Ea causa solicite cavit, ne rumores sinistri ex Illyrico, atque Hungaria allati, ad Imperatorem emanarent, & alioquin defectione Sigismundi irritatum, in bellum ejus ductu gerendum; acrius stimularent. Validiorem subinde machinam admovit, quo in arma ruentem, ad pacatiora revocaret. Ex omni pellicum numero unam corporis specie eximiam deligit, cui Mahometes multum assueverat. Hæc, ut erat intelligens cupiditatum Imperatoriarum, suis blanditiis non cessabat martiales spiritus enervare; assiduis illum obsequiis sectari, nunc precibus, nunc lachrimis instare: *ne vitam, Imperii salutem in manifestum adeo discrimen conjiciat. Superesse viros artis bellicæ gnaros, quibus tuto Hungaricum bellum committi possit. Pro fronte aciei stare, hostem infestis signis petere, magnas urbes circumvallare, fuisse quondam magnorum Imperatorum apud Ottomanos: sed istud eo factum, quod Imperatores fortunam belli concedere non auderent Veziriis, vel quod victoriæ certi, ad victoriam potius legendam, quam pugnandum, in campum prodierint. Neutrum adesse. Ibrahimum, Cicalam* A) *copiarum Ductores, e veteri disciplina, tantum famæ jam collegisse militiæ, ut non alio Duce plus confidant, vel audeant milites. Christianorum vires, Ferhate, Sinane, fortissimis Veziriis debellatis, eo accrevisse, ut ultro arma inferant, præsidia oppugnent, prælia deposcant. NON semper universi certaminis aleam declinari posse. Quid futurum, si hostis superior campum obtineat, Imperatorem cum copiis profliget, aut circumventum in triumphum raptet? quam acerba hostium ludibria? quam monstrosæ pacis conditiones futuræ? jam nunc horrore perfundi aulam Constantinopolitanam, fortuita belli pensitantem. Matrem vero dolore ægram, brevi confectum iri periculis filii, nisi cœpto desistat.* Hæc atque alia id genus, ut a Soltana didicerat, cum crebrius occineret incauta, tantum in eam odii conceperat B) Imperator, ut impotens animi, blandientem multis ictibus confoderit. Tragædia peracta, satis, superque prodidit, quam obfirmati animi foret in Hungariam cum exercitu proficiscendi.

A. C. 1596.

Nec Soltana, Purpuratique deinceps quidquam negotii facessivere, veriti, ne furentem in semetipsos concitarent. Itaque rebus omnibus ad expeditionem paratis, Giafferem Purpuratum cum valida armatorum manu præire jubet: ipse cum Ibrahimo, Cicala, militia claris, atque robore copiarum secutus, Byzantinorum oculos in se convertit. Quippe peregrinum videbatur iis, Imperatorem ad ea tempora otium consectantem, difficile juxta, ac longinquum iter ingredi, castrenses labores, multiplicia belli discrimina subire velle. Hæc una magnitudo animi, summa admiratione defixit omnes, existimantes apud se, Bajazethis, Solymani, pugnacium Principum tempora rediisse. Equites præterea Asiatici, corporum cultu, armorumque fulgore eximii, voluptati fuerunt inspicientibus. Postremum: ubi collectam videre armatorum multitudinem, luxum Asiaticæ opulentiæ, copiam omnis generis armorum, maximas spes conceperunt, Mahometem non Hungariam modo, Transylvaniamque, verum & Austriam tantis apparatibus occupaturum. Sed hic sensus vulgi erat. Peritiores, quive paulum ultra plebem sapuerunt, satis intelligebant: inconditam illam hominum turbam (ducenta, & amplius millia numerabantur) non tam prælio, quam fugæ aptiorem. Asiaticos equites Europæi frigoris impatientes, non magno adjumento futuros; plus certe spoliorum, quam virium in castra allaturos. Horridum militem esse debere, non armis in speciem sumptis, vestituque cultiori insignem. Hæc nitere ante certamen, deturpari inter sanguinem

A) Alias Cigaloglis dictus. B) Lazarus Soranzius Patricius Venetus, temporis illius Scriptor, & Joannes Sagredo.

A. C. & vulnera; verbo: VIRTUTEM militis ornamentum esse, quæ si abfuerit,
1596. opulentum pauperis victoris præmium fore.

At Imperatori haud segne iter, aut deliciis corruptum erat. Ante signa pedester, horridus, incomptus, famæque dissimilis ibat; frigoris perinde, ac æstus patiens. Posteaquam Belgradum pervenit; Krekovichii Legati Cæsarei domesticos, A) quos Byzantii contra jus gentium ceperat, ac secum in hanc expeditionem ire jusserat, libertate donatos, in patriam dimisit. Refecto hic milite aliquot dierum spatio, Szegedinum movit, indeque lentis itineribus Agriam. B) Ad primum rumorem Paulus Nyarius, arcis Gubernator, qui in castris aderat, eo se injecit cum legione Moravorum, quam Joannes C. Turrianus duxavit. Subinde aliis, atque aliis supervenientibus, præsidium quatuor millium, & quingentorum fuit. Datum præterea Tieffenbachio mandatum: Agriam rebus ferendæ obsidioni necessariis, ut quam diligentissime instruat, tormentis propugnacula muniat, vim pulveris pyrii invehat. Sed cum terror illius regionis agrestes occupasset; nec vehicula, nec jumenta in tempore aderant, quibus tormenta, aliique apparatus arci inferri possent. Septima, & vigesima Septembris, Agria se obsessam vidit, castris barbarorum longe, lateque extensis. Eadem adhuc nocte festinato ædificatis quatuor suggestibus, arx verberata est. Præsidiarii, qui patentibus oppidi portis, non dubitarunt manus conserere cum hoste, ubi viderunt se resistendo non esse, oppido exusto, ad arcem propugnandam se convertunt. Verum non eam fortitudinem, constantiamque præ se tulerunt, qua olim præsidiarii Agrienses, C) Agria defensa adversus Achomatem, immortalem nomini suo pepererunt gloriam, fama etiam nunc superstite apud populares.

Nam lacerato Doboiano propugnaculo, ac mænibus pulverum vi succussis, post unam, & alteram Turcarum impressionem, adeo animis conciderunt Vallones, ut non modo de arcis salute desperarent, verum etiam clam consilia agitarent, eandem hostibus dedendi. Militare flagitium opprimere conatus Nyarius, Duces tanti facinoris in custodiam abripit. Miles perfidia commilitonum castigata, quasi injuria lacessitus, Nyarium furiose circumsistere, socios lictorum manibus eripere, arma in suos Centuriones vertere, exuta jam fide imperium detrectare. Cum seditiosi neque severis, neque lenibus remediis ad priscam disciplinam revocari possent, & accedentibus etiam Hungaris (qui eatenus fidem non mutarunt) numerus seditiosorum magis, magisque glisceret; Gubernator cum primariis Ductoribus, nondum de tradenda arce consilium admisit, certus libertatem, fortunas, vitam denique ipsam amittere potius, quam turpi flagitio locum nulla necessitate subactum hosti cedere. Tanti præsidii manifestum periculum, ut Nyarium, ita Maximilianum Ducem multa solicitudine complevit. Liberare, quaqua liceret, certum erat. Motis Vacio castris, inter assiduos imbres, ad duodecimum Octobris Fülekum perventum est. Hic delectos ex omni peditatu octingentos, partim Germanos, partim Hungaros præmittit, qui aditum in arcem rimentur, ipse paucis post diebus, in campo Agriensi aciem explicaturus. Duabus leucis aberant Agria, cum triste nuncium accipiunt, arcem Mahometi traditam. Nam Michael Baloghus seditiosorum hortatu, in mænia progressus, invitis Ducibus, deditionem alta voce excubitoribus offert, modo publicam fidem Mahometes interponat, commilitones suos incolumes fore. Illi haud negligendam rati opportunitatem potiundi præsidii, continuo Mahometis nomine incolumitatem spondent. Proditione fervente, mittuntur in castra Nobiles viri, quo proditioni authoritatem accerserent, ad conditiones transigendas. Accepto diplomate Mahometis, aureis characteribus scripto, dum in arcem revertuntur, Turcæ

Tarta-

A) Duos de viginti fuisse scribit Istvanffius. B) Scriptor Dacicus refert: Mahometem Budam tetendisse, ibique Danubio trajecto Agriam movisse. At non video, cur semel, atque iterum vastum fluvium absque operæ pretio superare voluerit. Mens erat Mahometi Hathvano, sive Hathvanino succurrere; compendio proinde itinerum usum fuisse certum est. C) Anno 1552. Vide pag. 172.

Tartaris immisti portam occupant, Nyarium, cæterosque Ductores in castra abripiunt, gregarios proditionis reos inter ludibria passim trucidant. Quanquam Imperator datam fidem a suis violatam severe vindicarit, cæso adeo Janicsarorum Aga, qui otiosa fronte lanienam spectavit. a)

A. C. 1596.

Fama amissæ Agriæ militum proditione, acerbissimum vulnus Maximiliano inflixit. Ne porro hostem victoria exultantem sine clade abire pateretur, in hanc curam conversus, Sigismundum Daciæ Principem, uti copias suas festinaret conjungere Cæsareis, identidem urget. Ad octavum, & decimum diem Octobris uterque exercitus eodem in campo castra metatus, spem non dubiam fecerat ingentis victoriæ, si cum hoste ad manus deveniretur. Lustrato exercitu unde quadraginta millia armatorum sunt censa, quinque, & nonaginta variæ formæ tormenta. Ut castris commodum locum caperet Maximilianus, ad oppidum Keresztes iter edicit. Mahometes contempta Christianorum paucitate, Giafferem Purpuratum cum triginta millibus præmittit, ut occasioni intentus castra invadat, aut viam intercipiat ad paludem, quam si hostis superaret, iniquissimo loco dimicandum foret. Huic paludi per complures leucas diffusæ perennes aquas sufficit Cincia amnis admodum tenuis, qui late diffusus in carecta, uliginemque pigro lapsu semet evolvens Sajoni miscetur. Hic tendentem Giafferem aggressi equites nostri, ultra paludem propellunt, cæsis mille peditibus, & quadringentis ex equestri ordine. Hic successus spem injecit Sigismundo amplioris victoriæ. Ea causa inscio Maximiliano copias suas per loca palustria in conspectum Turcarum promovet. Sed cessit plurium Ducum sententiæ, eodemque die in castra rediit.

Mahometes recessum Sigismundi fugam interpretatus, accelerato, tacitoque gradu, cum omnibus copiis paludem superare contendit. Cicala Purpuratus, Hassanes Budæ Præfectus inter prima agmina eluctati, quoad reliquus miles in aciem promoveretur, equestre prælium pro castris Maximiliani committunt. Dato signo Cæsareus miles alacer erumpit, editaque strage trium millium, hostem temere irruentem rejicit. Binæ hæ clades, atque ardor ille uno prælio Confœderatorum vires delendi, ita Mahometis mentem confuderant, ut tentato rursum transitu vicesimo sexto die Octobris, velut cursu exercitum suum castris Christianorum admoverit, nulloque dato ad respirandum spatio, legiones in aciem collocarit. Confœderati præliis jam superiores, ingenti ardore pugnam capessunt, integrique fessos haud longo certamine ad transitum paludis retroagunt. Hic magis turbati ordines, dum alii fugiunt, alii in pugnam redeunt, instaurataque impressione Christianorum, in fugam solvuntur. Initio adeo prospero animati Sigismundus Princeps, & Palffius Maximiliano authores sunt, ut transmissa palude hostis fugitivi castra occupet, plenamque uno die victoriam absolvat.

Visa suorum strage, fugaque Mahometes grandiori camelo insidens, fugæ & ipse accinctus tristi supercilio exitum pugnæ operiebatur. Cicala amisso prælio, ut erat multo cæno obsitus, citato cursu iter accelerans, Imperatori trepide nunciat: Ottomanos profligatos, hostem appropinquare castris; id unum esse super, fuga salutem quæreret. Jamque clamor Cæsareorum, qualem victores edere solent, propius audiebatur; cum ille, veritus iniquiorem fortunam in campo, e camelo desilit, & in equum, qui ad hoc sequebatur, imponitur; tamque præcipitanter se castris ejicit, sex millibus prætorianorum stipatus, ut continuato tota nocte itinere, postero die, prono in meridiem sole, Szolnokinum tenuerit. Ibrahimus Vezirius eadem fuga abreptus, nuspiam a latere Mahometis discessit, quod obsequium viro alioquin imbelli caro stetit. Fugiente Imperatore, qui nondum acie excesserant, dissipantur metu, & qua cuique patebat fugiendi spatium, erumpunt. Multi Agriam, alii Pesthum, Budamque palantes petunt, arma

a) Ita Scriptor Dacicus. Istvanffius Lib. XXX. de gregariis nulla mentione facta, ait eorum Ductores custodiæ datos, alios fuga elapsos, alios mærore animi in vinculis extinctos. Hathvaniensium cædes haud dubie Turcas in hanc tragædiam concitarit.

A. C. 1596. ma jacientes, quæ paulo ante in hostem strinxerant. Nostri plenis agminibus castris infusi, dum paucos extra vallum propellunt, ad spolia redeunt, tentoria elegantioris operis convellere, impedimenta, sarcinas occupare, cæsis custodibus; partim ea quæ in plaustris erant, diripere; partim sub oneribus jumenta abstrahere. Jam ad Dervisios, gentis Turcicæ sacerdotes, avaritia victoris pervenerat; ibi quo minor luxuriæ apparatus, eo major cædes, & licentia fuit. Omnia planctu, tumultuque fervebant. Hæc inconsulta castrorum populatio victoriam perdidit.

Cicala, qui unus Purpuratorum, haud procul castris cum quingentis substiterat, ubi videt nihil ex ordine geri apud victores, paucos armatos incedere, omnes spoliis legendis occupari; reparatis ordinibus, novis animis certamen resumit. Prælium pluribus locis conseritur. Cæsareos præda ipsa, oneribus impeditos, & plerosque (ut ad rapiendum manus vacuas haberent) inermes ad cædem præbet. Fit fuga omnibus locis, neque monitis Ducum, neque arte ulla revocari a cursu, atque in prælium retrahi potuere. TURBATIS enim acrius metus, quam Duces, imperare solet. Sed neque Cicala victoria uti sciverat. Cum jam dies in vesperum inclinaret, paucosque circum se videret armatos, non ausus eam noctem in castris transigere, panico metu perculsus, fugientia suorum agmina est secutus. Ita victi, victoresque pari ludibrio fortunæ delusi, opulenta castra deseruerunt. Præda omnis Tartaris, peditibus Hungaris, & agrestibus cessit. A) In hoc multis capitibus memorabili prælio, quod Ottomanis Agriense dicitur, viginti barbarorum millia occubuisse feruntur. Neque Christianis incruentum fuit, quandoquidem decem millia cæsa Scriptores asserant, majoris etiam nominis Centurionibns desideratis. Hac expeditione defunctus Maximilianus, Viennam abiit, Sigismundus suam Daciam repetiit.

Cæterum Mahometes longiori fuga nimium exagitatus, Szolnokini quietis ergo substitit. Subinde terrestri itinere procedere jusso prætorianorum agmine, ipse secundo amne Tibisco vectus Titulum pervenit; inde in Danubium propulsa classicula Belgradum appulit, ubi Cicalam, reliquias fugientis exercitus solicite colligentem, reperit. Hujus Purpurati cum authoritas, tum existimatio rei militaris tanta erat apud Imperatorem, ut ab excessu Sinanis eum Vezirii dignitate ornare cogitarit. Sed Soltanæ in aula potentia Ibrahimum prætulit hominem re nulla, quam sanguine, & nuptiis Sororis Imperatoriæ illustrem. Agriense hoc prælium vetera studia erga Cicalam suscitavit, quod unus omnium pugnam accenderit, victoriam cum paucis e Christianorum manibus eripuerit, Vezirio turpiter in fugam verso. Itaque eo in ordinem redacto, Cicalam Vezirium renunciat. Ferunt hunc humili, tenuique fortuna ortum, Patrem Genuensem habuisse, piraticæ magis arti, quam mercaturæ addictum. B) Hic portus Turcicos depopulatus fæminam rapuit Mahometanæ sectæ, ex qua ad Christianos ritus traducta suscepit, de quo narramus, Cicalam, sed in tenella adhuc ætate, eadem arte Byzantium abreptum, atque in aula studiose educatum. At nullum inde dedecus viro bellicoso; QUANDOQUIDEM longe præstet magnum fieri, quam nasci.

Verum ut omnia miscebat in aula Soltana, haud diuturnus fuit hic gradus honoris, Ibrahimo stationem pristinam repetente. Hæc multo post evenerunt Byzantii. Quo antequam perveniret Mahometes, mendax fama scenam luctus, mœrorisque plenam in aula instruxit; unde mira rerum conversio secuta. Prælio ad Keresztes facto, ut sine signis, sine Ducibus in fugam solvebantur, ita vagi, palantesque, multi Byzantium usque pervenere, ignari, quæ sors commilitones, Purpuratos, Imperatoremque manserit. Atque, ut MENS humana metu oppressa, deteriora sibi fingit, ea opinio plerosque habuit, Imperatorem cum potiori exercitus parte occubuisse.

A) Ita Istvanffius cum cæteris, qui prælii hujus meminere. Mirum profecto utrumque exercitum in fugam conjectum, castris prædabundis agminibus relictis. Nempe norunt multi vincere, non item victoria uti. B) Annales Ferdinandei.

buisse. Imo, quo fidem adstruerent errori, eo dementiæ devenere non-nulli, qui asserere non dubitarunt, Mahometem vulnere perstrictum, inter fugiendum expirasse. Hæc cum Byzantii sine ambagibus dicerentur, Soltana in fæmineos ejulatus effusa, cæteras pariter, ad lachrymas nunquam non paratas, in communionem doloris socias habuit. Comploratione peracta, puerum Mamuthem, Imperatorem proclamant; inde initium datum populationi officinarum, mox incendio oborto, altera peste, vastantur vici cum palatio Imperatoris, urbs denique incredibili tumultu miscetur. Lætiorem faciem induerunt omnia redeunte Mahomete, triumphumque adornante more Majorum, quanquam si tot clades (nam ad Æmi montis radices, partim a Dacis, Valachisque, partim vi frigoris, partim longinquitate itineris lassa agmina sternebantur) & turpissimam fugam penses, nihil plausibus dignum reperies. Agria enim non vi, non virtute, sed militum proditione est capta. Serviendum tamen erat tempori, & vultus civium pro Principis voluntate mutandi. At Soltana ægre filium placavit, quod immaturo consilio, novum Imperatorem proclamari jusserit. Portento simile videbatur, scenam hanc sine sanguine peractam. A)

A. C. 1596.

Hac expeditione inconstantiam fortunæ edoctus Mahometes, bellum deinceps magis reformidavit, quam hostem. Domi ergo in ignobili otio, & Venere, quæ comes esse solet desidiæ, reliquum ætatis transegit, neque ad spem novam erectus pugnandi cogitationes instauravit, etsi tum in Europa, tum Asia circumsonarent arma. Maximilianus contra, magnæ indolis Princeps, martiali ardore abreptus, longe aliam mentem induerat. Is cum recentibus copiis in Hungariam reversus. Papam obsedit; assultuque semel, atque iterum tentato oppidum cepit. Arx novis, & vastis operibus munita, omnem deditionis moram abrupit, ne iram Maximiliani provocaret. Semenderes, arcis Præfectus, Nicomedia Bithyniæ urbe oriundus, cum equis, ac armis; milites (sexcenti numerabantur) suis pariter armis, ac supellectili onerati incolumes dimissi. At insigni flagitio Italorum & Vallonum factum, ut trecenti uno impetu sternerentur. Semenderes cum quinquaginta supra ducentos ægerrime a Comite Zrinyio, furori militum subtractus, cædem evitavit. Non multo post arx incendio correpta, ac pulverum vi ingenti fragore disjecta, novo infortunio involvit Semenderem. Retractus in castra, cum suspiciones amoliretur; & incertum foret dolone, an forte incendium obortum? barbari verbis fidem habere maluit Maximilianus, quam castigata in præsens perfidia, criminandi materiam hostibus dare. B)

1597.

Jaurinum deinde obsidione cinctum, gemina de causa operam nostrorum lusit. Altera quod Alys Bassa urbis Præfectus munere suo singulari industria fungeretur: altera, quod Mahometes Satergis ad solvendam obsidionem cum exercitu festinaret. Reductis Jaurino castris in vicinam insulam, Satergis Tattam, mox Vacium male munitum occupat. Maximilianus ut consuleret Strigonio, juxta Danubii ripam eo contendit, munitisque castris haud procul urbe consedit. Nec temere prælii aleam subiturus videbatur, ut qui firmis operibus ad aggeres, fossas, propugnacula castrorum adjiceret in dies. Satergis propugnaculi necessitatem Christianis impositurus incredibili audacia stationes, operaque explorabat; nec levibus solum, pro loci commoditate, velitationibus, sed justis quandoque præliis eos fatigabat. E regione oppidi Neszmely, castellum militare opere erectum, universæ dimicationi occasionem dedit. Illud improspere magis, quam fortiter aggressus, a Kolonicsio in castra retruditur: hic ab erumpentibus magno numero Turcis circumventus, in orbem pugnare coactus fuit, quoad Nadasdius cum octingentis hastatis equitibus auxilium ferret. Satergis educto jam totius exercitus robore, undique pugnam ciebat. Palffius sex millia armatorum, opportuno consilio in locum certaminis adduxit, plumbearum-

A) Hæc e Scriptore rerum Dacicarum. B) Istvanff. ad calcem L. XXX. & sparsim Scriptor rerum Dacicarum.

A. C. que pilarum imbre adeo obruit Janicsarorum ordines, ut fuga equitum abs-
1597. territi (qui plerumque primo ardore consumpto languent) cum decoris, & disciplinæ, tum innatæ ferociæ penitus obliti, terga verterint, frustra retentare eos conante Saterge. Ceciderunt hoc, aliisque minoribus præliis facile tria millia Turcarum. Hæc clades, hiemisque inclementia Turcarum animos non leviter perturbavit; & postremo seditione oborta pedites inter, & equites prætorianos, ducenta amplius funera in castris numerabantur. Domestico malo magis, quam hoste vicino perculsus Mahometes, quo se ex arena eriperet sine clade, Chausium ad Maximilianum legat de pace tractanda. Dum sermonem de industria protrahit cum Palffio, Basta, Nadasdio; interim Satergis propere convasatis rebus Peszthum castra movit, indeque hiberna petiit. Eodem tempore Sigismundus Princeps Temesiam quadraginta diebus irrito conatu obsedit.

Induciarum, pacisque ineundæ negotium in Byzantina aula præsenti anno maxime fervebat. E Perside aderat Legatus confirmandi fœderis causa, quod ruptum iri existimabatur, morte sublato Haidare Regio puero, qui obsidis loco Byzantii custodiebatur. Arrogantia Mahometis, ex arbitrio Soltanæ leges, pactaque facientis, Persas iniquissimis conditionibus illigavit, ut nempe duodena firmissimi operis præsidia cederent, ni bellum præ pace vellent. Signabantur equidem tabulæ, sed Persarum capita, Legati in promissis facilitatem damnarunt. Bello pars utraque abstinuit, cogitatio tamen omnis, atque industria ad vires exercituum augendas conversa. Ita campus amplissimus patuit Cæsareis res prospere in Hungaria agendi anno sequenti, & si initio par exitus fuisset, cum Jaurino Buda, sedes Regia, ad veteres Dominos rediisset. Gravior spina Mahometis animum excruciabat, quod Sigismundus Bathorius, e fœderato acerrimus hostis, in dies majora odia, & hostilitates in Ottomanorum gentem expromeret. Hunc ut suas in partes traduceret; gemina legatione est usus. Neutra quidpiam obtentum a Principe obfirmati animi. A) Imo (quod multo sermoni materiam per Europam præbuit) Daciæ provinciam Rudolpho tradidit, adactis in sacramentum Proceribus, ut fidem inviolatam Cæsari præstent. At memorabili levitate ad principatum immaturo consilio desertum, oculos, animumque adjecit, belloque intestino moto, victorias de Ottomano non semel partas, magno Christianæ rei incommodo maculavit. Inter præcipuos non Transylvaniæ modo, sed totius Europæ Principes locum habiturus, si in retinendo, aut cedendo dominatu constans fuisset.

1598. Annus, quem scribimus, Christianum orbem ut mira voluptate affecit Jaurino capto, ita Turciam in mœrorem, solicitudinemque conjecit, quod eo præsidio amisso, spe sibi excidisse sint visi Austriam populandi, & firmam in Hungaria dominationem stabiliendi. Rem, ut acta erat, compendio dabo. Adolphus Schvarcenburgus & Nicolaus Palffius, summi copiarum Duces, quinque millium, ac centum quinquaginta armatorum agmen e veteranis legionibus deligunt, caventque inprimis, ne vel tenuis rumor, quid consilii ceperint, ad hostem emanet. Duodevicesimo die Martii B) duabus leucis Jaurino distantes, omnia ut ex ordine fierent, singulis cohortium Præfectis e scripto mandata recitant, urbis vicos in tabella expictos tradunt, qui princeps forum, propugnacula, capitaque viarum occupent, repetitis vicibus monent. Nocturno itinere perventum fuit ad pontem negligentia præsidiariorum male custoditum. Eo superato bellicum instrumentum (Petardam C) vocant) nescio cujus ingenio repertum, in interiora urbis, vim aperuit. Erat illud e validis trabibus, ferroque compactum, ac forma æneum tormentum grandioris molis referebat. Hoc ubi pulvere pyrio fartum solvebatur, tanta violentia desæviebat in omne genus obstaculi, ut vel ferreas portarum valvas, uno, eodemque ceu fulminis ictu totis

A) Annales Ferdinandei ad annum MDXCVII. B) Chronicon Hungaro-Turcicum. C) Scriptor Dacicus binas Petardas (sive ut loquitur Famianus Strada Dec. II. L. X. Pyloclastra) simul solutas scribit.

totis cardinibus evelleret, ac strage inaudita affligeret. Nusquam felicius, A. C. ac Jaurini effectum præstitit. Admotum foribus Albanis, ac subito accen- 1598. sum, eas ruptis vectibus, momento temporis ita disjecit, ut pars altera forium, minutatim dissiliret, altera ter centum passuum intervallo in forum provolaret. Immanis boatus Turcas e somno excitat, trepideque convertit ad arma capienda; & opem, si quam possent, captæ prope urbi ferendam. Jam pedites nostri mœnia, forumque tenebant, Palffio cum equitatu extra urbem tendente, cum Janicsari agmine facto in victores feruntur, consertaque pugna trium horarum spatio fortissime dimicant, ter in fugam Christianos abigunt. Adeo DESPERATIO vires acuit, & ad vincendum, vel honeste moriendum animum incitat. Res in summo discrimine versabatur. Itaque Palffius a) equo desiliens, miles hastatus apparuit; cujus exemplo firmati equites, locum inter pedites adiverunt. Recrudescente certamine, ubi vident Turcæ se resistendo non esse, præeunte Omeraga, Alys Præfecti Legato, in castellum, opere militari firmum, se conjecerunt; sed eodem calore expugnatum, plenam victoriam absolvit. Perierunt hostium mille quadringenti, capti præter imbellem turbam trecenti. Hanc suorum stragem Alys, urbis Gubernator, videre haud potuit; qui ad primum tumultum arrepto vexillo, cum triginta non amplius Janicsaris in pugnam ruit, strenueque se, suosque tuitus cadere maluit, atque statione, quam pugnando occuparat, decedere. Erat is gente Italus, patria Surentinus; a Piale Archithalasso, occupata Chio, mediterranei maris insula, Byzantium abductus, ac postea Mahometis superstitione initiatus.

Solymanus Temesiæ Præfectus, gemina obsidione fortiter tolerata ferox, Chanadinum soluta jam hieme obsedit. Coactus re infecta discedere non multo post transfugarum opera in insidias continuo præcipitat; ad Lugosiam, sexcentis partim cæsis, partim captis, pernici asturconi debuit, quod incolumis evaserit. Satergis Mahometes prosperiori successu Chanadinum, Aradinum, Nagylakum prona in deditionem habuit. Varadinum victorias prosequi volentem stitit. Procumbentibus late muris, postquam bis propugnatorum fortitudinem experti fuissent Turcæ, ad tertium nonas Novembris exercitu vehementer attrito abiere; Tartaris more suo amœnissimum agrum repetita populatione evastantibus. Eodem prorsus die, quo Varadinum a Turcis, Buda a Mathia (fratre Maximiliano sinistra valetudine conflictante) est obsessa. Flumentana urbs acri certamine in potestatem redacta, spem fecerat præsidii quoque obtinendi. At præcipitante jam autumno, cum frequentibus pluviis castrensia opera lente admodum procederent, & milites illuvie, squallore enecti inclementiam aeris perferre diutius non valerent; præsidiarii contra alacres animis, corporibusque, diuturnis, atque nocturnis procursionibus stationes invaderent, solutis castris Strigonium deportantur; eodemque rursus die, quo Varadinum respiravit. b)

Mahometes Imperator cum Asiaticæ turbæ, ut infra narrabimus, 1599. novis authoribus in dies latius propagarentur, & plebs Byzantina ob Jaurinum interceptum crebros tumultus cieret, ad instaurandam Imperii fortunam, belli rursus aleam suo ductu tentaturus videbatur, adeo dolore, iraque succensus ad expeditionem longinquam omnia festinavit; c) quanquam hunc apparatum, scenicum esse facile senserint Purpurati, quibus pro explorato erat, Imperatorem nec in Asiam, nec Europam ducturum. Occultabat hoc tamen Mahometes, ac argumentis, nescio, quibus spem profectionis in populo alebat, ut eo scilicet rumore & Asiam in officio contineret, & Byzantinis suis reverentiam incuteret, & Maximilianum proniorem redderet ad pacis consilia. Neque tunc personam posuit, quando miles ad Byzantium, profectionis signum in Hungariam expectabat. Soltana ludi-

a) In literis Schvarcenburgus ad Rudolphum datis, singularem laudem attribuit Palffio. b) Istvanffius, & Scriptor Dacicarum rerum. c) Habuit hoc in more Mahometes, ut crebrius narraret in castra se profecturum, idque repetitis etiam nunciis firmabatur.

A. C. 1599. ludificationis conscia, appositis in speciem argumentis, Imperatoriam profectionem palam impugnavit, accedentibusque Purpuratorum suffragiis triumphavit. Itaque translata in Ibrahimum Vezirium cura exercitus, ipse Byzantii remansit. Abeunti inter monita data, isthoc primum, ac supremum fuit: *Rudolpho Cæsari pacem offerret: eam si repudiaret, armis ageret.* Pertæsus enim Hungarici belli, unicam illam præoptavit viam potentiam suam firmandi, ne distentus gemino hoste, in Asiam universas copias trajicere posset.

Antequam Ibrahimus in Hungaria adesset cum exercitu, Cæsarei eo modo, quo Jaurinum anno superiori, Albam opprimere ardebant. Cum duabus Petardis eo profecti, dum minus caute mænibus succedunt, ab excubiis proditi, tanta trepidatione incœpto abstinent, ut una Petardarum in hostium potestate relicta, continuo Jaurinum reverterentur. Prosperiori eventu celebres per id tempus procursores, Petrus, & Abrahamus Thraces, expeditionem adornarunt cum peditatu Hungaro. Inaudierant isti adverso Danubio classem venturam, commeatu, varioque bellico apparatu oneratam pro Budensi præsidio. Non labori, non sanguini pepercerunt, quo opimis spoliis potirentur. Haud procul Colocza in insula quadam stationem capiunt. Adventante classe pars amne, pars terra hostes impetit. Cruento certamine superati, aut ferro vitam, aut vinculis libertatem amittunt. Captæ sunt naves onerariæ justæ magnitudinis octo, & quinquaginta, cum maxima omnis generis annona. Tormenta cum in tutum avehi non possent, per frequentes Turcarum stationes, Danubio sunt mersa. Cumulavit hanc victoriam infelix casus Solymani, Temesiæ nuper, nunc Budæ Præfecti. Hic relaxandi animi causa urbe excedens cum fido equitum manipulo, dum vestigiis Hungarorum inhæret, quos impulerat, a ferociente equo in terram effusus capitur, ac a Palffio Viennam illico transfertur.

Ibrahimus amici casu, classiariorumque cæde vehementer perturbatus, omni mora seposita in Pannoniam copias movet. Simul, atque Budam pervenit, urbi, & arci Muratem Purpuratum, tanto muneri parem, Præfectum dedit. A) Moxe mandato Principis sui, literis egit cum Palffio de pace ineunda. Ajebat in iis: *Mahometem nunquam Hungariæ regno illaturum fuisse arma, nisi Rudolphus a quietis consiliis abhorruisset. Ab eo inimicitias, vix inito Imperio, cœptas; Strigonium nondum indicto bello, insidiis potius, quam virtute militum, Turcis ereptum. Continuatum deinde incensis ad vindictam animis, ad hæc usque tempora acerrimum bellum cum in Hungaria, tum Illyrico. Quanta vero jactura militum, ac provinciarum incommodo? utrique parti optime constare. Sed PRÆTERITA reprehendi magis possunt, quam corrigi. Mahometem tot mortalium strage, tot urbium vastatione permotum, qui pacem ultro offerat, acceptam, omni studio quoad vixerit, perennem foveat; modo Rudolphus, & ii, quorum interest Reipub. consulere, pacem utrique parti utilem, præ damnoso bello malint. Vereri se vehementer, ut ne pacis consilia in Cæsaris aula repudientur. Mathiam, ac Maximilianum, Regios Principes, quieti publicæ obstituros. At viderent, ne dum Mahometem reliqua possessione Pannoniæ deturbare conantur, recuperatas nuper urbes, victoriasque ancipiti Marte obtentas, uno prælio amittant, & velut ad scopulum classem opimam affligant. NUSQUAM magis fortunam variare, atque in bello. Ex summo retrovolvi sua levitate consuevisse. Ponerent tandem rebus secundis modum, & abjecta armorum cupiditate, tot miserorum votis optatam pacem amplecterentur. Missurum se propediem, qui de pacis conditionibus disceptent, modo annuente Rudolpho dies, locusque tantæ rei tractandæ opportunus nominetur.* In eandem quoque sententiam Tartarorum Princeps perscripsit, atque literas duobus Christianis, Budæ incolis, perferendas tradidere.

Utriusque voluntatem Rudolpho, Mathiæque patefecit Palffius, atque ut ea tempestate turbæ Dacicæ, & Valachicæ poscebant, nihil studii, laborisque omi-

a) Istvanffius L. XXXI.

omisit, quo pacis negotium serio susciperetur. Neque dubitabat Mahometem ex animi sententia pacem quærere, ut ab exploratoribus id ipsum didicerat. Nam Asiaticis turbis vehementer jactatam Turciam, & debilitatam certis nunciis adferebatur. Movebat & illud virum Reipub. Christianæ studiosum, quod si præter expectationem ageretur insidiose, si conditiones proponerentur damnosæ, imperarentur indecora, tanto promptiorem, atque ad belli prosecutionem ardentiorem fore tum militem, tum populum. Itaque annuente Rudolpho, Palffius Danubianam insulam, Budam inter, & Strigonium sitam colloquio deligit. Explicatis pro numero Legatorum tentoriis, unum amplioris formæ erectum stabat, ubi una omnes considere, ac disceptationibus vacare possent. Obsidibus datis, acceptisque, Cæsarei Legati Joannes Kutassius Archi-Præsul Strigoniensis, Palffius, Nadasdius, Pecsius, viri non minus sago, quam toga clarissimi, navigiis devecti, insulam primi tenuere. Mox e parte Turcarum aderant Ahmataga Tartarorum Principis Legatus, omnium consiliorum faber, & architectus. Mehemetes Kihaja, Ibrahimi Legatus, Ferhates Janicsarorum Tribunus, & Habelus Effendius, Budensis Prætor. Hos mittere placuit Ibrahimo, ut fides e legationis splendore fieret non dubia, de pace extra scenam agi. A)

A. C. 1599.

Verum barbarorum fastus facile prodidit, nihil in hoc consessu moderate actum iri. Et reipsa tantis subito difficultatibus, hanc pacis tractationem implicatam sensere Regii, ut ad eam procurandam cum desperatione accederent. Persuncti mutuo salutationis officio, suorum Principum postulata recitarunt. Ottomani *sincero pacis desiderio Imperatorem suum flagrare quidem ajebant, at simul cavere, ne toties bello victor, perniciosa pace victoriarum fructibus spolietur. Vetuisse propterea, præsidia, & urbes jure belli, sanguineque Turcarum occupatas, Rudolpho reddi; imo nisi Strigonium, Fülekum, Neogradum, Jaurinum restituerentur Turcis, pacem nullam coalescere posse.* Regii indignitate postulatorum moti, pari libertate, Agriam, Hathvaninum reddi postularunt; cumque neutra pars molliores adferret conditiones, sole jam in meridiem inclinante, colloquium abruptum fuit. Prandio dein accubuerunt omnes. Sublatis mensis, secundo flumine Budam renavigarunt Turcæ ad Ibrahimum, consilii petendi causa. Altero die frustra expectatis Legatis, Chausii duo applicuerunt ad insulam, Veziriique nomine obsides repetierunt. B) Ubi se pacis spe deturbatum videt Palffius, nihilo animo fractior, in castra cum suis rediit, pertinacem Ottomanorum arrogantiam armis fracturus, nisi hoc anno alieno arbitrio subesse jussus; altero finem vivendi fecisset. c) Absorpta hunc in modum pacis dulcedine, suorum animos ut ad prosequendum bellum confirmaret Ibrahimus, invidiam a se omnem, in Cæsareorum arrogantiam amoliebatur. Schvarcenburgus interim armorum certus, castra sua ad Strigonium magnis operibus munit; quaqua accessus esset hosti, sublatis tormentariis suggestibus, & castellis more Mansfeldiano erectis, adeo ad omnem regulam aditus præstruit, ut non tam castra, quam unum quodpiam munimentum, omni defensionum genere ab arte, & natura instructum videri posset. Promotis eo Ottomanorum copiis, inspectoque tam formidando Christianorum situ, cum non vane conjiceret Ibrahimus, Schvarcenburgum, non nisi necessitate adactum, deserturum hæc castra, neque prælii copiam facturum, ne reliquum æstatis nullo operæ pretio transmitteret, ad populationem animum appulit. Non aliam in Hungariæ Annalibus tristiorem legas, adeo flamma, & ferro in provincias sævitum. Tartarorum Regulus, duobus agminibus in Neogradiensi, pro more gentis celeritate maxima, ignibus in tecta sæviit, ac e media regione, & utraque Vagi ripa prædam egit.

A) Istvanffius, & Continuator rerum Dacicarum. B) Crebrius hoc anno pacis negotium tractabatur, irrito semper eventu; partim quod Ibrahimus Imperatori suo arces, & præsidia reddi vellet, partim quod Tartari induciarum tempore, in oppida grassarentur. c) Nicolaus Palffi anno 1600. decessit. Gesta illius compendio leges in Palatinis Regni Hungariæ, cujus meminisse placuit, ubi Pauli Palffii Palatini R. H. res gestas narro.

A. C. 1599. Ibrahimus Nitriam versus itinere facto, in totidem agmina suos partitus, Tyrnaviam usque, in oppida, & vicos pestem extendit, tanto successu ob tecta flammis obnoxia, & nemine prohibente, ferali ut omnia incendio conflagrare, e castris etiam Strigoniensibus conspicerentur. Palffius, atque Nadasdius, fumo ipso ad lares patrios defendendos admoniti, Schvarcenburgum identidem stimulant, ut educto in campum exercitu, inermibus provinciis opem ferat, ac hostem sævissima populatione prohibeat. At vir, cæterum alacer, pugnaxque, nulla Ducum authoritate, nullis miserorum lachrimis emolliri potuit, causatus: inconsulto Mathia Principe, legiones castris educere haud sibi concessum. Nihilominus Palffio cum quinis suorum millibus adversus populatores eundi facultatem tribuit. Is Ipoli amne superato, ad Szecsenium manum Turcarum, Tartarorumque assecutus, vix tentato certamine victor fuit, cæsisque in fuga non paucis, reliquos Ipolis hausit. Ibrahimus late populatus regionem, cum hominum (tria, & decem millia fuisse dicebantur) atque pecudum inultus prædas legisset, Pesztino Belgradum rediit, indeque Constantinopolim, ubi non minori strepitu Martio, aut ardore bellatum est hoc tempore, ac in Hungaria, rebellione viribus aucta; quam evolvere jam nunc aggredior.

1600. Astu interceptum Jaurinum, dici non potest, quantas in milite, populoque Byzantino excitarit turbas. Fæmineo regimine, hoc gravissimum vulnus Imperio inflictum, uno ore omnes conclamarunt. Janicsari in hoc theatro turbidi suas partes egerunt, trucidatis etiam Centurionibus, qui furentes ad obsequium revocare contendebant. Passim jactabantur convitia in Mahometem Imp. quod dimisso Imperii clavo, vecors, & curarum vacuus, otio torpescat, in Soltanam, præcipitis ingenii fæminam, mole negotiorum translata. Quo dedecus amissi Jaurini a se amoliretur Mahometes, Satergem, cui ea tempestate cura Pannoniæ incubuit, vita privavit. Ita Princeps non omni ex parte innocens, ministri sanguine errata sua eluere volebat. Sed non idcirco seditionem placavit, quæ non minus, ac morbus pestilens, per ignota capita late evagatur, dum clarissimos viros corripiat. In Asia degebat Regii sanguinis Princeps, cui nomen Selymus, felix quoad sua fortuna contentus. Seditione oborta & ipse caput attollere, & ampliora sperare cœpit. Populari auræ confisus (nam maximi concursus ad eum fiebant) Ducem se præbet turbulentis, circumlatoque per Asiam terrore, quem solito magis rumor auxerat, Byzantinam aulam perculit. Aleppi Præfectus, cujus fidei plurimum credidit Selymus, violato jure hospitii circumventum, Byzantium mittit. Ibi in conspectu Janicsarorum, ac populi securi percussus, spes seditiosorum destituit. Fama vulgaverat hunc Amurathis Imperatoris filium, cædi subductum, dum in reliquos fratres Mahometes ferrum strinxit, alio adolescente, forma corporis quam simillimo, ad cædem rapto. Id ipsum Selymus non dubitavit coram Mahomete constanter asseverare; quanquam non pauci fidem hominis suspectam haberent, natalesque Regios fabellis adnumerarent.

Cæterum longe gravior anno insequenti A) exarsit seditio, Ducibus Ussane, & Scrivane, emeritis stipendiis in Persico, Hungaricoque bello claris, quam altiore initio (neque enim rerum in Hungaria gestarum ordinem interrumpi oportuerat) repetam. Privatam fortunam uterque pertæsus, societate armorum inter se inita, regnum sibi in Asia fundare aggrediuntur, atque ut DOMINATUM cupientibus nihil medium inter summa, aut præcipitia; omni periculo semet objicere, jurata fide spondent. Præter insitam ferociam, crebris Hungarici belli rumoribus pulsati, sustulerunt eo majores animos, quod Byzantii rarus miles adesset; sibi vero copias non defore prudenter conjecerunt, modo signa efferrent. Nec arduum erat, populum insana libidine ad arma ruentem, contrahere in castra. Syriæ, Caramaniæ incolæ, seditione nuperna inescati, certatim rebellioni nomina dedere. Missus

A) Anno 1599. Hujus seditionis meminit etiam Continuator rerum Dacicarum, & Sagredo in sua Porta Ottomanica.

sus eo cum exercitu Mehemetes purpuratus, senserat firmiores esse rebellium copias, quam ut uno prælio infringi, ac debellari possent. Astu igitur utendum ratus, quo victoriam sine sanguine obtineret, placuit suspicionum sementem jacere, inter ipsa furentium capita. Erat præcipui nominis apud Ussanem Sepher Aga, arcanarum rerum conscius. Hunc Mehemetes scripto admonet: *memor viveret datæ fidei, dignum se, dignum Imperatore suo facinus patraret. Ussanem seu vivum, seu mortuum dediderit, Hierapoleos, aut Damasci præfecturam speraret.* Hæc ita nunciabantur de industria, ut Ussanes in notitiam veniret omnium, quæ agerentur. Cum sentiret Sepher, se quotidie minoris fieri in castris Ussanis, atque suam fidem (ut NUNQUAM cavetur satis inter suspectos, & suspectantes) acerbis dicteriis traduci; capto in arena consilio, desertis partibus ad Mehemetem transit. Hujus defectio rebellium conatus impendio labefactavit. Siquidem consilio Mesopotamiam petendi prodito, Mehemetes adeo celeriter viarum capita occupavit, ut iisdem in castris obsessi, omnium rerum penuria premerentur.

A. C. 1600.

Ussanem a) interim recurrente magnitudine periculi, quod Sepheris perfidia subiit, novus incesserat metus, ne Scrivanes exequeretur tragœdiam, quam Sepher adornavit. Nec abs re. Quippe Scrivanes multum animo volvens, qua via salutem suam, opesque in tuto collocaret, tandem e sententia Mehemetis, insidias tetendit Ussani ea conditione, ut obsessis libertas daretur, sive in Mesopotamiam, sive aliam regionem proficiscendi. Hoc promisso incitatus, Confœderatum sibi, vincire statuit ea mente, ut si Mehemetes pactis conditionibus non staret, tradito rebellionis supremo capite, iniret gratiam Imperatoris; si reduceret copias, ac liberum abitum concederet, tum provinciam occuparet, bellumque meliori fortuna renovaret. In tentorio dum una de belli exitu sermonem habent, signo repente dato, undique simul ex insidiis invaditur Ussanes, vinctus in castra Mehemetis, subinde Byzantium mittitur, ubi ferales inter cruciatus animam efflavit. Mehemetes Ussane everso, adeo non laxavit obsidionem, ut potius arctiora faceret omnia. Quiritanti Scrivani, fidem promissis non præstari; reposuit Mehemetes: *rebelles juratam Principi fidem dudum infregisse, nec ullo jure jurando obstringi se posse perduelli, ni exuta perfidia, arma poneret, & supplex noxam, justamque Imperatoris offensionem deprecaretur.* Ubi Mehemetis animum, opinione duriorem, erga se comperit, neque demum alias, quam victi a victoribus, & rebelles a Dominis conditiones expectare posset; fortunarum ultimum, vitæque simul periculum facere maluit, quam se ad acerbissimos cruciatus dedere. Adjuvit hanc mentem desperationis plenam, frigoris vis immanis, quæ obsidentibus necessitatem imposuit exercitum retrahendi.

Tanto discrimine defunctus Scrivanes, ausus est Mehemetem persequi, cæsisque duobus Turcarum millibus, in Asiam minorem signa inferre. Hic erronum grege ad prædam convolante, mirum! quam formidandus evaserit. Tributo præterea amplissimæ provinciæ imperato, veteranos quoque milites, in suas partes illo hamo pertraxit. Utne impune a signis discederent, desertores naribus mutilatos, aut candenti ferro ustulatos punit. Sed nulla re factionem suam firmaverat magis, ac sacerdotum declamationibus. Hi e præscripto non aliud argumentum crebrius in publicis, privatisque congressibus agitarunt, ac *deplorare se decumanas Imperii clades, Daciam utilem adeo provinciam Turciæ ereptam, urbes in Pannonia, a victore Rege sub jugum abripi, non minus in campo, quam præsidiis gentem Ottomanorum vinci, veterem disciplinam in milite, artem bellicam in Ducibus desiderari. Hæc senescentis, & mole sua laborantis Monarchiæ interitum portendere. Mahometem deliciis fractum, in gynecæo belluari, largis epulis ærarium abligurire, crapulis, saginaque gravem, diem transigere. Soltanam Reipub. tractandæ ignaram, nullo consilio præsidere Imperio, hos præfectura insignire, illos pro arbitrio dejicere. Ab ea, ceu fonte fæcundissimo, omnia*

a) Historicis illius ætatis etiam Cussaines appellatus.

A. C. 1600. *omnia mala originem ducere. At jam tempus adesse, quo turpissimum Imperii probrum tollatur, modo vires, animosque conjungant. Scrivanis partes complectantur.* Invidiosis adeo clamoribus, cum omnis circulus ferveret, incredibile memoratu, quam odiosam aulæ Byzantinæ imaginem impresserint, quave aversatione impleverint simplices multitudinis animos. Natolia, seu minor Asia, quasi æstro percita, arma corripuit tanto ardentioribus studiis, quanto minus perduellionis ream se existimavit. Adeo FLAGITIA maxima interdum pro virtute habentur, ubi vel Religionis tutandæ species, vel Reipublicæ salus obtenditur.

Populari favore confirmatus Scrivanes, Mehemetem exercitus Ducem, in extremas conjecit angustias, atque ut plenam obtineret victoriam, hominem pecunia tentavit per Legatos. Animus avaritia æger, facile conversus est. Numeratis quindecim aureorum millibus, induciis factis Constantinopolim redit, cura exercitus minoribus Præfectis commendata. Posteaquam res in Natolia gestas, quoquo modo actæ forent, fama divulgavit, Byzantina aula solicita erat, probaretne tantum flagitium, an rescinderet inducias? Soltana etsi Scrivanis potentiam aversaretur, tamen quod & ipsa auri fulgore perstricta, molliori manu rem tractaret, Mehemetes omni metu absolvitur. At plebs tanta indignitate irritata, novos tumultus in urbe concitat. Effendius (cujus libertas ingenii, ac odium muliebris potentiæ notum erat) non verebatur palam pro concione dicere: *Duos Imperatores in Oriente rerum potiri; Mahometem, & Scrivanem. Illum conditione nascendi, hunc armorum potentia Imperium occupasse; populum fluctuare utri morem gerat.*

Per idem tempus Spahii, quod stipendiis suis fraudarentur, quod æra non solverentur justo pondere, & in communi egestate pretium rerum in dies augeretur, secessione facta in Moscheam S. Sophiæ, non clamoribus modo apertis, sed quod multo perniciosius erat, strictis marg ferociter gladiis, ad cædem deposcebant Soltanam, & Janicsarorum Agam. Hærebat attonitus Imperator, consilii inops. Adire volentem seditiosos, prohibuere Purpurati, ut ne Imperatoria majestas ludibrio foret. PARUM enim tuta est dominantium authoritas, ubi indignatio, vis, arma prævalent. Cæterum suaserunt, mitteret celeriter ad sedandas turbas Cicalam, cui uni militum aures apertæ. Nam NIHIL in civilibus discordiis tutius festinatione, ubi facto magis, quam consulto est opus. Cicala, quanquam vehementis ingenii vir, lenibus remediis concitatos animos flecti, quam frangi cum securius, tum facilius putabat. Assumpto Mufftio Moscheam petit authoritate sua, aut Mufftii facundia seditiosos ad obsequium revocaturus. Dicere volentem inconditis clamoribus interpellant: caput Capigis Agæ deposcunt, id nisi actutum fiat, Imperatorem novum proclamaturos minantur. Animadvertit Cicala PARUM tutam esse majestatem sine viribus; nec incœpto destituros pervicaces, nisi vi adhibita principes seditionis ad pœnam raperentur. Itaque turbidus ad Janicsaros conversus, qui culpæ immisti non erant, Spahios infestis armis circumsistit. Spahiis vetus est cum Janicsaris æmulatio dignitatis, raroque pacem domesticam colunt, si hostis exterus absit. Nempe BELLUM externum inter cives concordiam parit. Eo aculeo jam olim confixi, vetera odia hac opportunitate saturare contenderunt. Stabat utraque acies armis instructa juxta Moscheam, mutuis clamoribus in certamen se provocans, nec temperatum fuisset telis, si tantundem animi fuisset Cicalæ, Byzantium fœdare cognato sanguine, quantum irarum conceperant armati. Tandem ad comprimendam seditionem, cum Purpurati intervenissent, atque Scrivanem infensissimum hostem præ foribus adesse, Hungaricum bellum recrudescere commemorassent, paulatim tela manibus excussa, omnisque ira desiit.

Sed ut DIUTURNUS, graviorque morbus vires corporis vehementer haurit, relictisque sui vestigiis, levi de causa recrudescere solet; ita Byzantinorum animi, repetitis vicibus in seditionem coorti, perturbato Rei-

publicæ

publicæ ordine, contempta, & veluti convulsa Imperatoria majestate, unde unde arreptis speciosis argumentis, frequenter deinceps in tumultus ruebant. Peritiores, tantæ perturbationis unum fontem ajebant esse: *intemperantiam vini, cujus tum temporis in communi calamitate copia erat Byzantii longe major, ac felicioribus annis.* *Addebant: Solymanum imperitantem, ejusmodi peregrinas religioni suæ merces, severissimo edicto vetuisse; inde disciplinam militarem constitisse semper integram, equitatum juxta, ac peditatum numerasse egregium, quem tuto vel in acerrimum hostem emittere potuit. Vezirios, aliorumque ordinum Ductores, perinde militari scientia imbutos habuisse, dignosque, qui imperarent; ut adeo tota Europa, ac Asia ingens præ cæteris fuerit Turcici militis existimatio. Retulisse denique plures victorias, quam alii acie conflixerint. Selymum a paterno rigore longe abiisse, & jam inde ab illius Imperii temporibus, civitate donatas compotationes nocturnas; non minus in castris militem, quam domi cives in vinum effundi. Alienatis potandi assuetudine animis, inertem, inbellem, neque laboris, neque disciplinæ patientem fieri militem; lingua, quam manu promptiorem; sine Imperio, sine modestia in campo versari. Domi perinde contumacem, tumultus pro libidine serere; cives, nihilo milite meliores, frequenter in societatem sceleris venire.* His permotus Imperator, quidquid vini Byzantii repertum, omnibus officinis ejicit, neve inposterum isthæc consuetudo irreperet, gravissimas sanxit leges.

A. C. 1600.

Istud equidem multum contulerit ad frænandam militum, civiumque audaciam, at tanta jam erat intemperies civitatis, ut non multo post molestior longe eruperit seditio. Ut illud Livii recte de Byzantio dixeris: NULLAM magnam civitatem diu quiescere posse; si foris hostem non habet, domi invenire. Quamvis tum multum in Hungaria, multum in Asia negotii facesseret hostis. Janicsari, & Spahii posito odio, conjuratis armis, non jam uno loco se continent, sed passim totam urbem pervadunt. Non alia, ac ista, formidabilior visa fuit animorum conjunctio. Tantæ tempestatis multiplices causæ erant. Muliebre regimen, cui omnes Imperii calamitates tribuebant. Aga Janicsarorum, quem præ cæteris, principe loco apud Soltanam esse, ac collusiones ordini militum perniciosas cum eadem habere, palam criminabantur. Hungaricum bellum, quod pace componendum clamitarunt, ut rebellium vis eo validioribus copiis infringi possit. Publica calamitas; quæ mercatura bello afflicta, in dies crescebat, & tenuatis civium opibus, frumento omni absumpto, extrema malorum minabatur. Universi ordinis militaris afflictio, quam uni Præfectorum avaritiæ haud falso tribuebant. Hæc, aliaque id genus querelarum, maxima vociferatione cum identidem occinerent inter armorum strepitum; concitati, veluti ad prælium, aut direptionem urbis sese expediunt, aulam Imperatoris ferocientes cingunt, negantque se statione capta abituros, nisi Imperatorem coram alloqui liceat. Cedendum erat turbidis. In sanctius consilium admissi seditiosorum præcipui, militari indignantium libertate, sermonem habent; querelarum capita recoquunt, seniorem Soltanam, Agam Janicsarorum supplicio afficiendos postulant. Intercessit Imperator postulatis, placatosque multo ære, eam in partem flexit, ut ne se cogerent in matrem impio ferro grassari. At infelix Aga obnitente Imperatore, a robustioribus correptus, in publicum protrahitur. Nec defensioni locus, quanquam supplices manus tenderet, humi plerumque stratus, lacera veste, pectus, atque ora singultu quatiens. Id ipsum apud turbidos incitamentum erat, veluti nimius pavor conscientiam urgeret. Post ludibria tandem inter fremitum, & clamorem furentium gladiis trucidatur. Quo sublato, quasi victima cæsa, turbo ille feralis conquievit. Ægerrime tulit hominis fatum Mahometes, derivatis tamen ingentibus thesauris in ærarium suum, non recreari modo, sed & approbare cædem visus est.

Invalescentibus turbis Byzantii, Scrivanes regnum suum ad summum felicitatis apicem provexisse sibi videbatur. Dum vastioribus consiliis indul-

A. C. get, morbo corripitur, qui ei supremus fuit. A) Alii Scriptores meminere,
1600. Mahometem domestica suorum inquiete, ac incumbentibus tot bellis necessitate compulsum, cum Duce rebellium ad iciendum fœdus, oblata ei præfectura Bosniæ, modo ab armis discedat. Scrivanem accepta conditione vix pedem intulisse in provinciam, ab incolis turpiter ejectum: Mahometem nihil deinceps adlaborasse, dignitatis locum e fœdere debitum ut adipisceretur, sive hominis contumaces, & nondum ad aulæ arbitrium subactos spiritus, ea ignominia depressos vellet, sive fidem nullis argumentis eatenus probatam, suspectam haberet, sive contumelia everberatum animum, in tyrannidem versum iri reformidaret. Ajunt præterea: præfecturæ Temesiensi admotum; subinde collusionis cum vicino Christianorum exercitu habitæ, proditionis reum, ex imperio Mahometis interfectum. Nempe UT PROXIMUS neci est, quem oderit tyrannus; ita non unus titulus, quo jure cæsus habeatur. Isthæc qua fide transcripserit, e quo fonte hauserit Istvanffius? ignoro. Nec facile statuas, utri narrationi subscribendum. Quis enim e Scriptoribus in diversas partes abeuntibus veritatem eruat? Turcis clades suas, ac probra callide cellantibus posteritatem. Id certum: Assanem Begum (Germanus is erat Scrivanis) sive ulturum fraternam cædem, sive a rebellibus ultro surrogatum in locum Scrivanis, adversus Ottomanos bellum instaurasse, ut jam dicemus.

Lustratis copiis, reperit armatorum millia viginti. Cum expedita hac manu in Galatiam irrumpit, ac mira felicitate, urbes munitissimas alias vi, alias deditione, alias sola sui nominis fama perterritas capit. Imperatorium exercitum congredi ausum, collatis signis profligat Osttreffe Bassa in acie cæso: Ancyra, urbs Galatiæ, centum aureorum millibus incendiarias faces redemit. Bythinia direptioni militum relicta, rapinas, cædes, incendia, aliaque, quibus licentia belli gaudet, flagitia tulit. Eo denique grassatorum audacia evasit, ut sub ipsa Constantinopoleos mænia procurrerent, sonipedes Mahometis abriperent, lugubribus flammis pulcherrimos pagos urerent. Metu torpebant omnia Byzantii, nec ad eam ignominiam propulsandam animus erat Janicsaris, seditione nondum penitus sopita isthoc rebellionis, nunc e victoriis, nunc e cladibus suis identidem renascentis malum, vix trienni spatio edomari potuit. Antequam tamen obiret Mahometes, hanc molestissimam spinam evulsam esse, authorem habeo Philippum Brietium. B)

Non minoris perfidiæ notam incurrerunt Galli, Pappenses præsidiarii. Hi quod stipendia ad statum diem non solverentur, memorabili flagitio, Præfecto arcis cum Centurionibus in vincula compacto, se, arcemque Turcis tradidere. Schvarcenburgus veritus, ne integris legionibus idem attentantibus, magnorum motuum principium id esset, dum eo protinus cum exercitu contendit, ac perfidis acerrimam oppugnationem intentat, ab erumpentibus glande ictus, spe omni vitæ destitutus corruit. Melchior Rederus Schvarcenburgi successor, eadem in obsidione vim morbi non ferens, quam contraxerat, Viennam delatus extinguitur. Supererat Nadasdius, vir militaribus factis, famaque inclytus. Is continuata obsidione adeo strenue ferocientes presserat, ut desperata arcis defensione, intempesta nocte ad Albanos Turcas fugam capesserent. Ad oram Bakoniæ sylvæ circumventi a Nadasdianis, vindictæ cupiditate succensis, tanto ferocius cæduntur, quanto flagitiosius ad Turcam defecerant. Capti ingeniosis subinde suppliciis mactantur. Quod si Ibrahimus Vezirius, eum in modum profectiones suas gubernasset, ut in tempore Pappensibus adesse cum exercitu potuisset, Christianæ Reipublicæ longe gravissimum vulnus inflictum fuisset. c)

Sed ille animi incertus, quam in provinciam bellum transferret, inutili mora Belgradi, magnam partem æstatis quietus egit. Exeunte Augusto

A) Chronicon Hungaro-Turcicum vult: Scrivanem ad obsequium Mahometis rediisse, atque in Bosniam tumultu composito discessisse. B) Ad annum Christi 1603. c) Istvanffius Lib. XXXII.

gusto querelis Nasuffi, Szigethanæ arcis Præfecti, excitatus, quod pedites Hungari, magnam vim pecorum abegissent e Turcica ditione, trajecto ad Eszekum Dravo, Babocsam, & Kanisam, prædonum receptacula oppugnanda sumpsit. Et Babocsa quidem diffugiente præsidio Mehemeti Kihajæ, Legato ejus cessit; Kanisa non nisi ignibus victa succubuit. Philippus Emanuel Dux Mercorii, vulgo Mercurius, & Mercurianus armorum Præfectus in exercitu Cæsareo, tam utile præsidium servaturus, haud procul ab hostium conspectu, cum quinque supra viginti millia castra posuit. Ibrahimus florenti adeo exercitu, & Ducis fama perterritus, ad pacem iterum respexit. Verum cum incœpto minime absisteret, & jam in castra, jam in vicina Christianorum oppida hostili animo grassaretur, Mercurianus vigili cura ita excepit hostium conatus, ut plerumque in castra victi rejicerentur, Tartarorum agminibus bis ad internecionem cæsis.

A. C. 1600.

Cursus cœptæ felicitatis spem certam ingessit militi, non Kanisam modo obsidione solvendam, sed Ibrahimum etiam cum clade proterendum. Falso. Inopia etenim annonæ conflictatus Mercurianus; necesse habuit in uberiorem agrum reducere copias. Ottomani simul, atque senserunt nostros itineri accinctos, maximo numero castris effusi (viginti, & amplius millia erant) perpetuis incursibus nunc a latere, nunc a tergo agmina carpebant, tanta nonnunquam pertinacia pugnandi, integra ut acies in ordines divisa, vix glandium procella irruentes loco moverit. Ita clausis deinceps ordinibus neque a progressu, neque a præliis quidpiam remittens exercitus, per plura passuum millia, itinere sane permolesto ob crebras paludes, laudatissimo receptu sine clade abiit. Et profecto in tanta locorum iniquitate, tam numeroso hoste latera stipante, aut tergum premente, integras legiones in tutiora subduxisse, grandis instar victoriæ fuit. Abeunte Mercuriano, veluti abscissa auxiliorum spes animos dempserat ad repugnandum Kanisæ. Paradeyserus, quanquam alias strenuam, utilemque operam in bello locarit, tamen quod deditionem accelerarit, perfidiæ damnatus, capite pœnas persolvit. A) Acta judicii, si, uti apud me sunt multis foliis explicata, hic ego per otium referrem, haud ambigo, quin talium curiosis in loco satisfacerem. Sed satius sit missis iis, Lectorum festinationi consulere, & quid gestum sit in Illyrico, atque Hungaria anno primo supra millesimum sexcentesimum paucis persequi.

Ussit equidem Rudolphum Regem amissi munimenti cum jactura dedecus; at quo minus animum adjiceret ad recuperandum illud anno præsenti, crebræ paludes, lacunæque, quibus perpetua serie cingitur, metum non ex vano incusserunt. Budam nobilem adeo tot Regum sedem, præ Kanisa eripi posse barbaris existimavit. Contra Clemens VIII. summus Pontifex in spem, fiduciamque erectus, in id unum cogitationes defixit suas, ut opportuno præsidio (unde Illyrico calamitates quam maximæ impendebant) hostis dejiceretur, ager frugum feracissimus vindicaretur. Hunc in finem ære suo legiones conscribi, commeatus, vim tormentariam, navigia parari jubet, quibus e portibus Italiæ in Dalmatiam trajicerentuur. Hanc sententiam animis tam alte complexus fuit, ut quidquid rationum adferret Rudolphus, ne Italicas copias ad Kanisam sine operæ pretio, quod futurum prævidit, locorum nempe peritus, atteri pateretur, sed potius Cæsareis adjungeret, Budam, aut Albam impugnaturis; ab arrepto semel proposito dimoveri nullo pacto potuerit. Tam incensa voluntas Pontificis, Turcarum potentiam comprimendi, velut elato signo, Hispaniæ, Siciliæ, Florentiæ Principes in idem studium excitavit. Suscepta est Africana expeditio ardentibus studiis, maximisque impensis. Verum cum moræ aliæ ex aliis inciderent, nonnisi anno sequenti instructa classe, vela fecere in Africam. Algerium

1601.

A) Continuator rerum Dacicarum. Apud quem prisco more, id est militari rigore, capita accusationum reperies. Hartnaccus ad annum MDC. hæc prodidit: ,, aucta est, inquit, potentia Turcica Canisio oppido ,, natura, & arte munitissimo, quod Purpuratus Ibrahimus 50000. armatis post XIV. dierum obsidionem occupavit. Factum id ignavia Præfecti Paradeyseri, qui etiam abscissa dextera capite truncatus est. ,,

A. C. rium, piratarum notum præsidium, per insidias intercipiendi animus erat. 1601. Nocturno tempore appulsa classis, cum conjuratores (captivi Christiani erant) nullum signum in urbe proderent, trepidis velis iter relegit; mirante Europa tot aureorum millia impensa, ad videndam Africam. A)

Apparatus armorum, & fama, qua bella constant, Ottomanorum curas acuit. Cicala, cui maris præfectura ante triennium obtigit, ne quid detrimenti acciperetur in Albania, Peloponneso, cæterisque provinciis maritimis, incursionibus obnoxiis, portus præsidio clausos tenebat, classemque ad omne periculum propulsandum paratam habebat. Ibrahimus Vezirius, in se belli molem vertendam, non ex vano conjectans, Rudolphum ad fœdus pangendum rursum invitat. Id sive egerit simulate, quo Byzantinorum animi, Asiaticis turbis magnopere conturbati erigerentur, sive reipsa bellorum pertæsus, pacem optarit, Comaromium ut Legati Regii venirent, ab æquissimo Cæsare impetravit. Eo deportati Joannes Kutassius Archi-Episcopus Strigoniensis, Nadasdius, aliique cum Paulo B) Nyario (cui cum Ibrahimo familiaritas intercessit) cum Mehemetes Kihaja, legationis Princeps, morbo teneretur, multum temporis non sine tædio contriverunt. Ad quintum, & decimum diem mensis Julii differtur. Verum Ibrahimus peste improviso sublatus Belgradi, Legatorum ferream prope patientiam in decimum quintum diem Augusti exercuit. Neque tum aderant Turcæ, qui tractandæ pacificationi manum admoverent, cum tamen ad odium declinandum, apud plebem incensos cupidine pacis animos jactabundi præseferrent; usque adeo, ut non multo post quidam e gente Hebræa in aula Viennensi, nomine Mahometis negotium, nuper intermissum auderent agitare, conditionumque capita cum Proceribus privatim conferre. In suspicionem vocatos, mox fallaciæ convictos, Cæsar ad vilissima munia in urbe peragenda damnavit, c) ut obscuritatis suæ inposterum memores, Principum negotia eminus adorent.

Spes pacis adempta, utriusque partis militem in campum excivit. Pontificis copiæ facto per Dalmatiæ oppida itinere, recta Kanisam tetenderunt. Ductabat eas Joannes Franciscus Aldobrandinus, Clementis nepos. Febribus malignis tentatus, ac Varasdini subsistere coactus, morte immatura vitam terminavit, cujus vices obivit deinceps Flaminius Delphinus. His additi erant Illyri, atque terna millia Germanorum, quos Philippus III. Hispaniarum Rex mercede conduxerat, censebanturque eo in exercitu duo, & viginti millia peditum, octo equitum. In quas difficultates se induerint, tum primum animadvertere, quando paludes circumstagnantes, immensa fascium multitudine explendæ erant, ut militi iter ad assultum tuto faciendum sterneretur. Nec præsidium ita vallari potuit, ut non reperirent auxiliares copiæ aditum, quibus per negligentiam immissis, omnis labor in irritum cecidit. Hassanes præterea, cognomento parvus, ingenti paratu bellico locum ingressus, fortius etiam, quam Christiani putarint, adversus obsessores defendit. Denique maximo ardore Italorum assultus tentatus, omnium animos fregit. Cum etenim autumni imbribus lacunæ intumuissent, & præcipiti Ducum consilio, milites sine virgultorum fascibus procurrissent, incredibili audacia per aquam pectore tenus etiam enitentes, sub ictus tormentorum repebant. Itali frigore prope enecti, officio, ut maxime voluerint, fungi non poterant. Telis itaque Turcarum expositi, inulti perierunt complures. Cæteri gemino discrimine perterriti ad commilitones suos reversi, vultu prodebant, se non procul ab interitu fuisse. Unum supererat, quo constantiam præsidiariorum infringendam putarunt.

Mehemetis Kihajæ, D) & Muratis Budensis (cæsi hi erant in prælio Albensi) capita prælongis hastis infixa, obsessis ostendebantur; sed adeo hoc infor-

A) Philip. Brietius ad præsentem annum. B) Captus is erat apud Amurathem Agria occupata; at in Kereszteſiensi prælio castris occupatis libertati vindicatus. c) Istvanffius lib. XXXII. D) Petro de Reva Comiti Turoczensi Tihaja, aliis Quihaja. Vide Monarchiæ Regni Hung. Centuriam VI.

infortunio suorum non movebantur, ut visis etiam octo millibus armatorum in castra venientium, nec demissiores animos gererent, nec de pervicacia repugnandi, quidquam remitterent; non ignari asperitatem hiemis haud laturos Italos, quorum discessu castra solvenda non dubitarunt. Et reipsa Italorum ardore, tum hostium fortitudine, tum hiemis rigore consumpto, in stativa concessere omnes exeunte Novembri; tanta perturbatione oborta, dum vasa colligerentur, ut cum supellectili castrensi, non pauci valetudine fracti, barbarorum furori relinquerentur. Kanisa fortiter defensa Byzantinorum animos erexit. Soltana triumphanti similis, in publicum progressa, communem lætitiam, ære liberaliter in populum sparso, multum aluit. Vel unum hoc præsidium documento sit Christianis, quam acri studio, contentione, sua defendant Ottomani. Certe Kanisa multorum exercituum vires absumpsit, & non nisi Magni Leopoldi Cæsaris, invicta fortitudine, semel, atque iterum tentata, Hungariæ accessit.

A. C. 1601.

Meliori sorte expeditionem absolvit Dux Mercurianus. Suburbiis Albæ Regiæ A) vi captis, atque direptis, præsidium ipsum tormentorum fragore expugnavit. Captivorum ingens numerus victoribus obvenit. Budenses enim male metuentes sibi, huc imbellem turbam securitatis causa emiserant, cum omni supellectili. Ira, doloreque amissæ Albæ stimulatus Hassanes, cognomento Gimelgis, Vezirius ab obitu Ibrahimi nominatus, ineunte Octobri trahens quinquaginta millia pugnatorum, primam expeditionem in Cæsareos adornavit, atque ad Albam infestus consedit. Dies aliquot minutioribus præliis extracti sunt, procurrentibus ex utrisque castris militibus. Cunctatione nihil perniciosius arbitratus Dux Ottomanorum, alacritati suorum confisus, quinto decimo Octobris die aciem explicat, Chrstianosque elatis signis in certamen provocat. Universum agmen, quo terrorem geminaret, præcedere jussit certum genus equitum, quos illi Delias, sive furentes appellant. Validissimis ad cursum equis utuntur. Pellibus leonum, tigridum, aliarumque ferocium bestiarum exuviis induuntur, quasi earundem rabiem in hostes gererent, quarum speciem præferre gaudent. Pilei, scuta, equorumque paratus, aquilarum alis ad horrorem ornantur. Volare crederes; adeo incitato cursu in hostem ruunt. At ubi primum impetum effundunt, velut quædam animalia amisso aculeo torpent. Pudor tamen eos aciem deserere non sinit. Temeritatem pro virtute habent; unde plerumque in prælio occumbunt.

Adventante hostium acie, Mercurianus Principem Mathiam monet, ne opportunitatem prælio decertandi dimittat. Actutum Cæsareus miles arma capere jussus, proruto vallo in ordines cogitur. Rosvurmius peditatum, Mathias cum Mercuriano equitatum regebat. Dum a veteranis utrinque exercitibus, dubio aliquamdiu Marte conseruntur manus, inclinantes paululum Christianorum copias, inopinata cædes duorum Bassarum non erexit modo, sed superiores effecit. Hastati Hungari ruptis Turcarum ordinibus, per multam stragem eo pervenerant, ubi Murates Budæ Præfectus, & Kihaja Ibrahimi quondam Legatus, equites in pugnam incendebant. Hastis uterque transfixus, in terram defluxit. Ducum suorum casu turbati equites, transmisso in Janicsaros metu, fugam complicatis signis ineunt; neque arte ulla revocari a cursu potuere. Celebis Muratis filius, Dervisius Bosniæ Purpuratus, & quatuor primarii Præfecti in arena cæsi sunt, cum quinis fere millibus gregariorum. B) Secundum hanc victoriam Mercurianus in Lotharingiam cogitans, supplementa in Hungariam adducturus, Norimbergæ diem supremum obiit.

1602.

Qui secutus est annus ad millesimum sexcentesimum secundus, varia fortuna decurrit. Novus Vezirius Hassanes prælio victus, quo maculam elueret, celeriter collecto exercitu in Sirmium festinavit; indeque parata classe, rem tormentariam, & graviorem castrorum supellectilem, adverso

A) Alba Regalis post annos quinquaginta, & octo Turcis eripitur. B) Istvanffius L. XXXII. alii ter mille cæsos narrant.

A. C. Danubio Budam provehi juſſit; ipſe Albam Regalem terreſtri itinere cum
1602. copiis petiturus. Explorato hominis conſilio, Rosvurmius, qui vicaria poteſtate præerat Cæſareis, cum cæteris rebus, tum quinque millium lecto præſidio urbem munit, ſpe adjecta, ſe propediem advolaturum cum ſuppetiis, ſi arctius premerentur. Nemini jam in mentem venerat, eum locum armis tentaturum Haſſanem, a militum robore, atque adeo omni penu bellica probe comparatum. Tentavit nihilominus, & quod graviſſimum vulnus Rudolpho inflixit, paucorum dierum ſpatio, non ſine dedecore nominis Chriſtiani ſubegit. Nondum muri e ruinis anni ſuperioris plene emerſerant, hiatus, qui frequentem aditum hoſti dediſſent, Marci Inſulani urbis Præfecti induſtria, ceſpite obſtruebantur. Sed hoſte jam ad fores obequitante, opus interrumpendum, & pro aggere militi ſtandum fuit. Janicsari regionis callentiſſimi, e paluſtribus locis evoluti, ſtationem peditum Hungarorum adoriuntur, ac cruento certamine edito, hos & Germanorum cohortem, quæ in auxilium advenerat, profligant. Ad tumultum Inſulanus propere accurrit; dumque capta ſtatione deturbare contendit Turcas, alto vulnere ictus, ſemianimis in urbem interiorem defertur. Præſidiarii quaſi eodem telo, quo Præfectus, ſauciati, obſidentium alacritatem minime æquarunt, languenteque Inſulano, & ipſi animis ægri, de conditione deditionis Legatos ad Haſſanem mittunt, ſtationes pro arbitrio deſerunt, flagitio militari ſummam ignaviam addunt.

Id ubi Janicsari a Gallis perfugis A) acceperunt, per ruinas murorum in urbem evadunt, obvios trucidant, domos diripiunt, nullius ætati, pudorique parcunt. Inſulanus cum Franciſco Vatajo, & Georgio Herberſteinio in caſtra deductus, nequaquam abjecto animo; quos ſpiritus geſſiſſet, vultu ferebat. Cum negaret ſe conſcio de conditionibus actum, damnaretque conſtanti vultu militum perfidiam, rebus adhuc integris urbem tradentium, juſſu Haſſanis ad Mahometem Byzantium vinculis conſtrictus mittitur; ubi non tam e vulnere, quam mœrore animi contabeſcens, in carcere deceſſit, cum Herberſteinio calamitatum ſocio. Vatajus, commutato Tattenſi Baſſa, libertatem eſt nactus. Hac victoria contentus Haſſanes, Belgradum abiit, impoſito Budæ grandi Janicsarorum numero ad urbis defenſionem. Hoſtium dilapſu liberior Roſvurmius, quo cladem rependeret, Budam regni caput haud provido conſilio petiit.

Initium quidem ſat proſperum erat. Pons, qui Peſztanam inter urbem, & Budenſem jactus fuit, ac valido præſidio munitus, partim grandiori navigio diſruptus, partim militum ardore captus eſt, cæſis Janicsaris, quos periculum pontis ad auxilia ferenda acciverat. Mox Peſztinum eadem alacritate ſcalis admotis invaſum, ac uno curſu occupatum. Budenſes vicino pugnantium ſtrepitu admoniti, procurrunt in mænia: vident fulgentia per ripam fluminis Chriſtianorum vexilla, ipſas cædentium, cæſorumque voces exaudiunt. Florentiſſimæ urbis excidium dici non poteſt, quanto cum dolore ſpectarint. Nunc edito clamore hoſtem laceſſebant, nunc ſuos inutili vociferatione a fuga revocabant; modo alacres, hortantesque; modo dubii, incertique manibus innuere, corporibus niti, ceu pugnæ immiſti tela ipſi vibrarent, aut eluderent; modo in rabiem verſi, ex arce decurrere ad pontem interruptum; modo cæcis tormentorum ictibus adverſam ripam infeſtare; donec urbem captam, armatos cædi, aut amne hauriri, aut pilis certo collineatis a tergo trajici, editiori e loco viderent. Puerorum, ac mulierum gregem, e Moſchea, quo ſe trepide conjecerant, exturbatum, Rosvurmius Budam abire permiſit, ut famam clementiæ, apud civium animos conciliaret, memor: EXPUGNATIS ſemel animis, mænia ſponte in victoris poteſtatem ventura.

Longe aliter, ac ratus erat, evenit. Cum enim laborantibus ſociis adeſſe non potuerint, per pontem magnam partem exciſum, eorum cædem ulturi, lymphatis ſimiles pro mænibus conſiſtunt. Incendit obſeſſorum animos

A) Erant iſti e numero Pappenſium.

animos validissimus Hassanis exercitus, qui in Rakosianis campis late expli- A. C. catis signis in acie stabat. Depulsurus improvisum hostem Rosvurmius, 1602. equitatum omnem Hungaricum, & gravioris armaturæ Germanicum in Hassanem ducit. Inito certamine opinione celerius in fugam conversi Christiani, ægre Pesztinum tenuerunt. Præsidiarii Budenses eodem tempore erumpentes, Schvarcenburgicam legionem fundunt, majorem edituri stragem, ni totis castris ad arma concursum fuisset. Uterque deinde Dux ad oppugnationem versi, Hassanes Pesztinum, Rosvurmius Budam, qua ignibus, qua assultibus urgebant. Sed ille desperato successu, quarto decimo die post, quam exercitum admovit mænibus, Belgradum discessit, duobus millibus Janicsarorum Budam immissis. Iste eo acrius cœpto institit, quo jam tutus ab extero hoste, firmiorem spem conceperat potiundi præsidii.

Hanc multum imminuerunt binæ eruptiones. Ignium, pilarumque vi maxima sævitum erat in propugnacula, suggestus alii, atque alii ædificabantur, e quibus urbi certissimum exitium impendebat. Alys, & Hassanes parvus, A) quorum curæ præsidium commissum, cum viderent oppugnationis summam eo jam redactam, ut, nisi crebris eruptionibus moram injicerent obsidentibus, locus diutius defendi haud possit, in opera proruenda fortissimas Janicsarorum cohortes immittunt. Adjuvit hostium consilium illud, quod Hungaræ legiones ad castella recuperanda Danubio adsita B) missæ, stationes suas deseruerint, quas raris ordinibus Germanus tuendas suscepit. Hanc occasionem minime negligendam rati, grandem eruptionem adornant, duobus millibus Janicsarorum delectis. Schembergiani inopinata impressione protriti, terrorem in vicinas stationes sparserunt. Hosti inde spatium concessum, machinas, aggeres corrumpendi. Tumultuario hoc certamine Cæsareorum mille ceciderunt, longe plures vulnerati. Reversis in castra Hungaris, paululum respiratum fuit. Auxiliares Turcarum copiæ fusæ, fugatæque; eruptiones binæ magna strage coercitæ. Mathias Princeps, qui Vienna advolarat, tanto rerum successu lætus, acriorem multo oppugnationem instituit, nihil dubitans, præsidium proxime deditum iri. Exeunte jam mense Novembri, cum procella subito nives effunderet, & humus rigeret gelu, nec præsidiarii de pervicacia quidpiam remitterent, re infecta Cæsareis discedendum fuit, graviter affecto Mathia, sævitiæ temporis nobilissimam urbem, prope jam captam e manibus eripi. c)

Dum in minori Asia, atque Hungaria bellum partim sustinet, par- 1603. tim infert Mahometes, ad Daciam, Turcicæ olim clientelæ provinciam, oculos identidem conjecit. Et per eos annos levitate Sigismundi Bathorii, turbis e turbis enascentibus, spes non exigua affulsit, signa sua, potentiamque maximo Imperii emolumento illuc inferendi. Jam lapsa æstate D) Moyses Szekelius (vulgo Siculus audit) pernicioso consilio renovata societate Turcica, proniores ostendit Transylvanorum animos ad amicitiam, quam arma. Sigismundus desiderio retinendæ provinciæ ardens, non multum ab ea visus est abhorrere. Bello victus per Georgium Bastam Cæsarei exercitus Ducem, pactis induciis, se iterum Claudiopoli, in frequenti Patrum consessu omni jure abdicat, Daciam Rudolpho transcribit. Moyses conjuratione inita cum popularibus suis, copiis collectis iniquum, ut putabat, invasorem provincia proturbare contendit. Haud procul ab Alba Gyulia, nunc Carolina, infelici certamine cum Basta congressus, victus abiit Temesiam ad Bectessem Purpuratum, veterem familiarem suum; quove magis fidem suam Turcis obstringeret, conjugem, liberosque exilii comites secum deportat. Hoc demum anno MDCIII. factiosorum Procerum suffragiis in Principem lectus, fortunam suam Turcarum ope stabilire nitebatur. Mahometes Imp. hominis, rebus suis adeo percommodi, spiritus fovendos putavit.

A) Ita eum nominat Istvanff. Lib. XXXIII. B) Nadasdius, & Thurzo Adonium, Földvarinum, Paksinum, Tolnam, Coloczam ejecto Turcarum præsidio receperunt. c) Chronicon Hungaro-Turcicum ait: Christianos prælio victos obsidionem solvisse. D) Anni 1602.

A. C. 1603. vit. Principatus insignia, acinacem, clavam, vexillum tradit. Temesiensem Purpuratum monet, omnibus copiis novo Principi adsit; in Daciam exulem reducat. Præter Turcas, ac Tartaros, numerus ingens Siculorum convenerat. Cum hac manu Karanysebesia, non immunito præsidio, expugnata, in Daciam gravissimam tempestatem effundit; oppida partim vi admota, partim in deditionem prona, suæ potestatis facit, ditione tota Germanum ejicit. Secundus rerum cursus, qui hominem extulerat, præcipitem egit. Primariis urbibus potitus, dum ad Coronam otiosus metatur, & ab exhausta per tot hostiles exercitus provincia, annonam corradit, a Radulone, A) Transalpinæ Valachiæ Principe, circumvenitur. Coegerat iste summa celeritate agmina sua, rapidisque profectionibus in Daciam delatus, famam sui adventus anteverterat.

Vicesimo secundo Julii alta jam nocte, hostium castra ingressus (neque enim militari de more excubias habebant, adeo omni metu soluti erant) successu rerum securius agentes, ac sopore oppressos invadit. Trepidatum totis castris. Ad primum tumultum Turcæ juxta, ac Tartari, cum Bectesse Purpurato in fugam effusi, post multos errores Temesiam pervenere, paucis, qui arma corripuerant, interfectis. At Szekelius memorabili pugna edita, fugæ dedecus generosa redemit morte. Siculorum copiæ ad tuendum Principem convolantes, a furente Valacho cinguntur. Tum signo dato incubuit Radulonis acies integris ordinibus, robore, & numero jam præstantior, ac per tenebras hostes trucidat. Quatuor millia in arena procubuerunt. Centum quinquaginta quinque signa Pragam transmissa Rudolpho, in monumentum victoriæ, & fœderis servati. Non multo post Bectesses belli faces in Daciam sparsurus, tribus millibus amissis in sua latibula retrusus est, per Comitem Henricum Dampierium, & Ludovicum Rakoczium. Hæc in Transylvania.

Maturis jam equorum pabulis, in Hungaria rursum martialem ludum aperuit Rosvurmius. Ad Strigonium dum lente confluentes copias excipit, Kollonicsius Muratem Budensem, pro pontibus amni Sarvisio injectis, excubantem profligat. Castris Vacium promotis, Vezirii exercitum inter Budam & montem Divi Gerardi provide obvallatum offendunt. Angusto loco finiebantur castra, eaque fossa senum pedum lata, vallo, ac multiplici tormentorum genere, præter consuetudinem barbarorum egregie munita erant. Monti præterea castella, turres, machinas prægrandes imposuere, non tam montem, quam castra, siquid hostis tentaret, tuituri. E parte adversa, urbis propugnacula tormentis horrebant, unde vis ingens pilarum in aggressores impune effunderetur. Contemplati ex edito locum Rosvurmius, atque Nadasdius, facile intelligebant, Ottomanos intra castra situ, & operibus invicta mansuros, & nisi certi de victoria, in campum nequaquam prodituros. Stabant igitur aliquot menses magni duo exercitus, in mutuo ad urbem Budensem conspectu, uno totis animis certamen poscente, altero de industria simulata mente fugiente.

Jam gravior autumnus, absumpta circum pabulatione utrumque exercitum vexare cœperat, cum Turcæ minimo strepitu castris egressi, ad geminum pontem excindendum, a Cæsareis ad commeatus liberius provehendos ædificatum, nocturno tempore operam certatim conferunt. Cilex Hassanes decies mille equites, juxta ripam Danubii ad capita pontium, castellis omnem ad artem militarem firmata, adduxit, Janicsarorum robur navigiis impositum, Ductore Budensi Murate in medios pontes delatum est. Christiani non ante senserant hostium consilia, quam procellam glandium, incertis ictibus per tenebras effusam, atque adeo pene innoxiam, exciperent. Simul atque strepitus armorum auditus in castris, Nadasdius cum equitatu Hungarico accurrit continuo; Kollonicsius, Turrianus, expertæ virtutis Duces, eo pariter suas legiones egerunt; Rosvurmio cum toto fere exercitu horum vestigiis hærente. Atque ut densior nox mutuum conspectum ad-

A) Hic Princeps Rudolpho fœderatus erat.

ademit, ita alteri alteros cæcis solummodo ictibus impetebant, illuc emittentes tela, ubi ignes micantes, aut hostilem clamorem senserunt. In eo perturbationis pleno certamine, eximium consilii, animique specimen edidit Rosvurmius, quod octo castrenses machinas advehi jusserit, e quibus continenti jaculatione fulminatum est in Turcas.

A. C. 1603.

Et jam lucescebat, omniaque sub oculis erant; ea tamen in hoste fuerat vel constantia, vel pertinacia (FACILE etenim altera alterius vultum præfert) ut terra, amneque fortissime repugnaret, Murate Janicsaros, Cilice equites hortante præcipue Asiaticos, qui eo prælio virtutis ostentandæ causa, primam aciem popofcerant. Ingens igitur animorum ardor, honoris cupido, æmulatio peditem, equitemque inflammavit. Sed Spahiorum alacritatem, & fortitudinem eo die æquare non potuerunt Janicsari. Ab his initium fugæ est datum, tanta perturbatione, ut, dum insequentibus Cæsareis per pontes, cymbas saltu repeterent, fallentibus vestigiis, plurimi aquis momento absorberentur. Major tamen equestribus turmis strages illata est. Cæterum extinctorum in hoc prælio varius refertur numerus. a) Istvanffius septies mille e parte Turcarum recenset, cum duobus Præfectis Belgradensi, & Semendriensi; qua clade consternati, solutis sine mora castris Byzantium abierunt. b) Victoriæ uberrimus fructus erat Hathvanum, accelerantibus deditionem Turcis, postquam grandiores aliquot pilæ in præsidium detortæ. In Illyrico hoc anno res sat prospere gesta, Sigismundo Trautmanstorffio agrum Posseganum Turcici juris ferro, & flamma populante; duo præterea castella ad Dravum eversa, potissimum Nicolao Zrinyio, Georgii Zrinyii clarissimi viri filio, manum admovente. c) Erat jam primis militiæ annis apud exercitum, vigens ætate, magnis natalibus.

Has inter clades, & a Persis, rebellione Asiatica non plene extincta, timores, quarto decimo Januarii anno MDCIV. naturæ debitum persolvit Mahometes III. ætatis trigesimo, Imperii nono, nondum evoluto anno. Mortem illius cometes, ferali crine metuendus, prænunciasse est visus, avide arripientibus Purpuratis & populo isthoc signum, tanquam certissimum secuturi mox lethi prodigium, qui convulsam Reipublicæ fortunam inertia Mahometis maxime dolebant, eoque votis suis cœlum attemperantes, cometis præsentiam cum Imperio Principis occasuro jucunde componebant. Nec conjectatio illos sua falsos habuit. Mahometes enim quantum a bellicis laboribus semotus, tantum in mulierum amores impotenter effusus, dum quietem nocturnam capit, nullo morbi indicio erumpente, præter opinionem extinguitur. Non alteri malo repentinam mortem tribuebant medici, quam assiduis perpotationibus, ac multæ Veneri. Hæc vitia non tam a natura, quam artificio Soltanæ matris suæ habuit, quæ ut filii generosam indolem enervaret, exquisitis in dies oblectamentis, animum adolescentis pulsavit, dum denique illecebris victus, gravioribus curis impar, aulam præ castris ipse ambiret. Quod eo consilio a callidissima muliere actum, ut filium maternis monitis, & prope imperio devinctum, domi ad suum arbitrium circumageret, dominaretur in Principis animum, & eo possesso, in universam Monarchiam porrigeret dominatum.

1604.

Et certe raro apud Ottomanos exemplo legas, Soltanam tanta authoritate floruisse, atque matrem Mahometis; quod cum Purpurati, & milites ægre intuerentur, frequenter tumultuatum fuit; res domi, militiæque male administrata; rebelliones funestissimæ in Asia excitatæ; Imperium maximis turbis involutum. Ista tametsi ingens odium conflarent Soltanæ apud populum, filium nihilominus perpetuo in potestate habuit, copiarumque Duces. Novum sane erat, & Turcarum moribus insolitum, fœminam signis militaribus præsidere, manipulos Byzantii intervisere, præfectu-

a) Chronicon-Hungaro Turcicum octo millia periisse tradit in insula Adony. Idem habent Annales Ferdinandei. b) Hartnaccus Conspectui Bellor. ad annum MDCIII, hæc inseruit: „Kollonichius Turcas insigni clade mulctat." c) Georgius Zrinyius post obsidionem Kanisæ obiit. Successit Nicolaus in paternas & fortunas, & virtutes.

A. C. 1604. fecturas clientibus largiri, seditiones comprimere, cui Imperatoria authoritas obsistere non potuit aliquando. Hæc tamen tanti non fecit Mahometes, ut compedes rumperet, matremque aula proturbaret. Adeo servitutem ferre didicit, fœdarum voluptatum mancipium factus. Pacatior tulit imperitantem in aula matrem, quam Nero suam, qui potentiam non infregit modo illius, sed aula abeuntem, ad cædem usque persecutus A) est.

Si Principes Christiani, adversum Ottomanos hoc tempore arma cepissent, atque junctis viribus Hispani, Venetique bellum in ditiones Turcicas transtulissent, nemini dubium erat, Hungariam, ac Illyricum iniquissimis possessoribus eripi potuisse. Istud gemina legatione contendit Rex Persarum a Principibus, circumcursatis majori strepitu, quam fructu, Europæ aulis. Hispanis B) sat negotii dabant fœderatæ provinciæ Belgii, quarum potentia maxime mari quotidianis incrementis altius surrexit. Miserant quidem in Africam classem Algerii intercipiendi consilio, ut supra narravi, sed nullo operæ pretio facto, in patriam solvit, ingentesque Europæ spes momento perdidit. Veneti superioribus annis malo suo didicerunt, quam gravibus expensis stent maritima bella; meritoque timuerunt, ne uni Reipub. belli moles incumbat. Summus Pontifex paternis curis Illyrico consulere ardebat; belli fortuna vota destituit. Melitenses populatoria classe in Peloponnesum devecti, Patris, & Naupacto direptis, hostium numero impares, expeditionem vix inchoatam uno cursu absolverunt. c) Itaque Rudolpho Cæsari, Regique Hungariæ, gravissimum bellum sustinendum fuit, si unum, & alterum annum demas, quibus Sigismundus Bathorius, ære, militeque, & quod caput est, clarissimis victoriis, armorum particeps fuit. Ab optima mente transversum actus, quantum virium in barbaros contulerat, tantum deinceps Christianis detraxit, ancipiti bello in Rudolphum gesto; præstructosque diu aditus Turcis aperuit, in Transylvaniæ sinum migrandi; quod malum processu temporis fere indomabile evasit, ut sparsim memorabimus. Ita Mahometi, cæterisque Principibus Turcicis spatium datum, ne Buda, ne Belgrado dejicerentur.

Cæterum postremo regiminis anno imprudentia junioris Soltanæ cædem Mamuthis, senioris sui filii, patravit Mahometes. Quæsiverat ista & muliebriter, & anxie; uter filiorum ab obitu Imperatoris rerum potiturus sit, an Mamuthes, an Achmetes? (hic natus erat e Bosnensi mancipio, ætate florente, formaque) Imperatoris animum altius pupugit, quam ut nimiam solicitudinem materno amori tribueret, ignarus quam tenera pietate in filios ferantur matres, dum diversa stirpe prognatos surculos, in spem Imperii, aut manifestam necem vident succrescere, suspicatus clanculum quid agitari inter Purpuratos (ut erant tempora turbis obnoxia) de novo Imperatore, Mamuthem interfici jubet, sententiam feralem probantibus Mufftio, atque Vezirio, quod existimarent, unius sanguine, commodo Reipub. litandum ante, quam noxius sanguis in venas plurium diffusus, corrumpat saniora membra. Pari fato sublata est D) cæsi Principis mater cum aliquot fortibus viris, quos familiaritas Mamuthi arctius adstrinxit; ita patroni ruina clientes oppressit. Feliciores futuri, si tempora Macedonis vixissent, quem, Philota amicorum Principe suppliciis mactato, Amyntæ, cæterisque familiaribus Philotæ, & vitam, & veniam legimus dedisse. E)

ACHME-

A) C. Corn. Tacitus Annalium L. XIV. B) Vide Scriptores Belli Belgici; inter hos Angelum Galluccium, Haræum, Campanam, Grotium, Thuanum &c. c) Annales Ferdinandei. D) Chronicon Hungaro-Turcicum. E) Q. Curtius Rufus L. VII. C. I.

ACHMETES I.

IMPER. OTTOM. VIII.



Tate minor Mamuthe, evitato ferali fune, Imperium sane im- pacatum, belloque multiplice exhaustum occupavit Achmetes, Princeps nondum tertium decimum annum egressus; cujus adolescentia cum injuriis obnoxia, & tantæ Monarchiæ regundæ impar haberetur, in partem administrationis, curarumque Alys Purpuratus A) Mempheos, atque adeo totius Ægypti Præfectus, adscitus fuit, haud dubia multorum spe, quod in pace, atque inter arma, civilem juxta, militaremque prudentiam, maximis functus muneribus, ostendisset. Et sane poscebant ea tempora hujusmodi virum, quibus Persiæ conatus infringendi, tumultus in Asia componendi, in Hungaria, Dacia bellum prosequendum, Byzantinæ denique aulæ pristinus vigor, rerumque ordo reddendus erat. Primis statim diebus ab excessu Mahometis, fausti regiminis indicia apparuerunt, quibus, si annis secuturis paria fuissent, nemini Imperatorum felicitate Achmetes cessisset. Sed pulcherrima initia, & ingentes spes Byzantinorum, Ægyptii Purpurati mors non multo post secuta, corrupit. Mahomete Bassarum humeris ad ædes S. Sophiæ deportato, per licentiam militum nihil passa est urbs, quos rumor extincti Imperatoris Byzantium excivit. Eos Achmetes, tum sua facilitate, tum pecuniis sibi conciliavit; Alys Purpuratus veterana prudentia, authoritateque ab omni rapina, cædibus ita continuit, uti ad servandam civitatem, non ad diripiendam more veteri convenisse sint visi. Hanc communem lætitiam intendit ruina senioris Soltanæ, quæ toties civium patientiam rupit. Neque spes erat populum quietum fore, dum illa in aula (quocunque tandem haberetur loco) muniis Imperatoriis intenta crederetur. Mansuram alte animis defixam apud omnes sententiam: præfecturas provinciarum, aulicas, militaresque dignitates non aliunde, quam ex ejus designatione fluxuras, Vezirios, quos vellet, præfuturos exercitibus, arma unius fœminæ præscripto aut sumenda, aut ponenda. Id vero indignissimum Imperio futurum, neque laturos cives, ut tam arctis limitibus Imperatoria majestas circumscribatur.

1604.

Et reapse VULGUS non facile opinionem exuit, quam semel intimis medullis hausit de administris aulæ. Quidquid minus feliciter cedit, sive domi, sive militiæ, continuo infausti exitus authores inclamantur, tanto iniquius, quanto justius hæc odiorum fomenta in alios verterentur. Non secus Soltana, jam ab exordio Mahometis Imperii, omnium odiis atrocissime laboravit, quod ultra muliebrem modestiam, audacter se Imperii curis ingesserit, consilia exitu plerumque fœda suppeditarit. Et quanquam illius sensa crebrius nullo numero haberentur, tamen apud rudem popellum, acerbis criminum sermonibus vapulavit. Purpuratis de industria flammam addentibus, ut debitam sibi invidiam in unius caput derivarent. Nunc tandem e consilio Alys Purpurati, impotens mulier in præceps est data, ac aulæ muniis semota, incredibili Byzantinorum gratulatione. Ardebat illa novum Principem coram alloqui, idque & multis precibus, & lachrymis poscebat. Obstitit Alys, monuitque: fœminam pessimis artibus imbutam, a suo conspectu arceret, secus, nescio quo carmine magico, in animum dominaturam. Illa nihilominus componere preces, circumspicere clientes: nunc sperare, nunc irasci. Tanta inter præcipitium superbia agebat. At Purpuratus, ne in se pernicies verteret, si impulsa pristinam authoritatem obtineret, obstrepuit clamoribus, vota populi, atque militum referens idem flagi-

A) Chronicon Hungaro-Turcicum.

A. C. 1604. flagitantium. Perstitit firmus Achmetes, & indefensam aula abegit. Vacuum Soltanæ locum accepit Achmetis mater, tanto gratior Aulicis & populo quanto remotior a dominandi pruritu. Cæterum Purpuratorum Principem, patronum suæ felicitatis memori animo prosecuta est, exquisitisque muneribus coluit.

Neque ille immemor, quam dubio pede, Aulicorum gratia apud Principes staret, adolescentem Imperatorem cum opportunis ad placendum sermonibus, tum ingentis pretii gemmis, quas secum attulerat, demereri studuit; quibus effecit, nemini ut secundus gratia, & authoritate esset. Habuitque hujus rei in hoc etiam argumentum, quod iis diebus secundum ritus Mahometanos circumcisus, in Patris locum acceperit eum. Opportunitate illa non tam ad cumulandam hilaritatem urbis, quam teneram Principis mentem rudibus belli lineamentis informandam, theatrales ludi sunt editi. Viennam, urbem Austriæ principem, scena referebat: hanc multo milite cinctam, ignibus fœde laceratam, personatus Achmetes ad deditionem compulit. Vicinæ Austriæ regiones Tartarorum incendiis late colluxere. Victor subinde Achmetes, inter applaudentes Janicsarorum ordines urbem ingressus, triumphum egit. Et ludicra quidem victoria capi potuit Achmetes, non item Alys, cujus solicitudinem per ea tempora bellum Pannonicum quam maxime intendit. Dederat ille in mandatis Purpurato Budensi, (& huic nomen Alys erat) uti Christianos diuturno bello haud dubie fatigatos, de pace compellet. Rudolphus Althanius, Strigonii Gubernator, ea super re certior factus, voluntatem Turcarum Cæsari significavit. Eo annuente Stephanus Szuhajus Præsul Agriensis, Thomas Erdődius, Althanus, Molardus Comaromii Præfectus, Bartholomæus Peczius obitis apud Ottomanos legationibus clarus, calendis Martii Strigonium appulsi, dein Pesztum navigiis defluxere, reboantibus tum e Budensi, tum Pesztano præsidio tormentis. Eodem tempore adfuere etiam Turcarum Legati, Murathes Purpuratus, Alys, Budæ Præfectus, Abyles Effendius, Prætor Budensis. Erecti in campo Pesztano papiliones numero deni, toties absque fructu tentatæ pacis arbitros excepere, hinc legionibus Cæsareis, illinc Turcis excubantibus, ne quid per vim, aut insidias eo in conventu ageretur.

Prior Peczius, ut erat Turcici idiomatis apprime gnarus, ad Turcas gravem, Cæsareoque Legato dignam orationem habuit, qua primum ajebat: *Principem suum Rudolphum, non tædio armorum, non necessitate impulsum, ut ultro in studia pacis exardescat. Superioribus annis ea felicitate arma tractasse, ut illi Turcarum potius cladibus, quam Christianorum insignes numerentur. Nempe DEUM rupti fœderis vindicem æquissimo bello favisse. Pacem a Majoribus ictam, Rudolphus intemerata fide coluit. Vos non eam modo, sed & jura gentium primi violastis. Legatum ferro indigne oneratum, ac in expeditionem per ludibrium abreptum mori coegistis: domesticos ejusdem partim trucidastis, partim ad vincula, ad triremes, pœnam omni nece crudeliorem, condemnastis: præsidia Palotam, Vesprimium* a) *non populatoria manu, sed exercitu prætoriano, auspiciis Imperatoris vestri, induciarum tempore eripuistis. Duodecimus jam annus volvitur feralis belli, quo vestri, nostrique exercitus perpetuis præliis, oppugnationibus mutuis atteruntur, provinciæ vastantur. Sæpius de pace intra hos annos actum. Ibrahimi arrogantia, omnis opera in irritum cecidit. Eas conditiones spe victoriarum prætumidus posuit, quas victis victor dare consuevit. Meminissent, non eo loco res esse Cæsaris, ut turpem, Pannoniæque perniciosam pacem præ bello malit. Interim mitissimum Principem id daturum ardentissimis votis subditorum, ut diuturnum bellum optata pace permutet.* Hortatus deinde Legatos, ut pacato animo, sepositis partium studiis, negotium ab Imperatore commissum tractent, Murathem, sociosque legationis, in non dubiam pacis fiduciam erexisse videbatur. NEQUE enim spes major affulgebat

a) Vide Annum 1592.

affulget pacis, quam ubi bellum serio gestum est, satiata, aut fessa per cædes ira. A. C. 1604.

Posteaquam in deliberationem venissent, & utraque pars utilem sibi pacem conficere vellet, quas difficultates superandas haberent, tum primum senserunt. Turcæ præter opinionem ferociores, munera tot annorum spatio intermissa petere, Strigonium, Jaurinum confidenter postulare. Nostri contra Kanisam, Agriam prætendere; munera aperta fronte negare, quod ipsi violato fœdere primi pacem abrupissent. Concitatis in hunc modum animis, cum neutra pars de jure suo quidquam decedere vellet, desperato eo die successu, colloquium terminarunt. Altero die per Nigronium interpretem Budam dimissum, molliores conditiones postularunt Cæsarei. Nihil impetratum a barbaris; sive quod scirent Hassanem Vezirium cum valido exercitu propediem adfuturum, sive quod verbis verba reddere assueti, explorare animos potius, quam pacis negotium serio tractare mallent. Quapropter spe tranquillitatis eversa, ad arma reditum.

Exauthorato Rosvurmio, strenuo magis, quam felici Duce, armorum præfecturam in Georgium Bastam gente Epirotam, veteranum, ac in Belgio, A) Daciaque rebus fortiter gestis celebrem Ductorem, solicitudines suas transtulit Rudolphus. Is statione capta juxta Parkanum, utrasque Danubii ripas, gemino ponte commisit; munitionem quoque firmi operis ad thermas arci subjectas addidit, atque sic comparatus, venientem Vezirium munitis in castris expectavit. Non eo animo erat Jagenreuterus Peszthi Gubernator. Ferocem ante periculum, atque ignarum belli, rumor festinantis exercitus in fugam conjecit quinta Septembris, tanta cum trepidatione, ut injectis ignibus tecta quidem cremaret; at apparatum ad obsidionem tolerandam opportunum, Budensibus relinqueret. B) Hathvanenses eodem metu perculsi, pariter præsidio excessere.

Interea Hassanes cum Aly Ægyptio decimo Septembris Peszthanos campos insedit. Promotis inde castris, undevigesimo die ejusdem mensis, Strigonium cum septuaginta millibus pugnatorum cinxit. Structis de more suggestibus, vim continuo admovit e tribus lateribus. Octavo obsidionis die, promptissimi præsidiariorum (bis mille pedites, quingenti equites fuerunt) ex arce, & oppido castra Muratis incursant eo ardore, ut cæsis, qui pro tormentis stabant, Janicsaris, stragem per tentoria late circumferrent. Accurrentibus Turcis certamen majus obortum est, ac funera cumulavit. Suorum cæde perturbatus Hassanes, de induciis interpellavit Bastam. Modestiores, atque nuper, conditiones, nempe Kanisam pro Strigonio obtulit. Ea nundinatione haud contenti Regii, Agriam simul addendam postularunt, id quod barbari pertinaciter negabant. Itaque rursum in mutuam hostilitatem ruerunt. Cæcis suffossionibus contenderunt hostes tum arcis mænia, tum munitionem monti D. Thomæ impositam evertere. Re animadversa, præsidiariorum pervigil cura substructiones subterraneas elusit. Nec felicius assultus cesserunt: semel, atque iterum per ruinas aditum urgentes, maxima cæde in castra rejecti sunt.

Tot malis jam ægrum Hassanis animum, Cosacorum ad Christianos defectio penitus prostravit. Gens illa Tartarorum castra eatenus secuta, nescio qua intemperie agitata, trucidatis Turcarum excubiis, contento cursu primum Comaromium, & Tatam, deinde castra Cæsarea petiit, multis deinceps stipendiis levitatem ingenii correctura. Ergo iterum pacis consilia arripit, Althanum in colloquium evocat, Agriam pro Strigonio addicit: quod si vero Strigonium pene jam expugnatum tanti facerent, nullo ut pacto illud reddendum existimarent, cederent Fülekum, Szécsenium, Neogradum; deducturum se illico militem suum Agria. Permutationem barbari constanti vultu rejecit Althanus. Altero ab hac consultatione die, C) omni-

A) Consule Fam. Stradam Dec. II. Angelum Galluccium P. I. Cæterum apud Transylvanos ob militarem licentiam tristem sui memoriam reliquit. B) Chronicon Hungaro-Turcicum, & Patrii Scriptores. C) Die X. Octobris.

A. C. 1604. omnibus viribus ſupremam impreſſionem in arcem tentavit, quæ poſt duarum horarum acerrimum certamen, cum e ſententia minime ceſſerit, concubia nocte caſtrenſibus machinis retractis, ac ad navigia deportatis, oppugnationem adverſa fortuna cœptam deſerit. Luſtratis in agro Budenſi copiis octo millia A) ad Strigonium periiſſe in comperto fuit. Jacturam hanc auxit Alys Purpuratus, ſenio, ſeniique comitibus, morbis confectus Budæ. Quanquam expeditio nullo ſucceſſu peracta, non ultimam cauſam dederit inopinatæ morti. Luxit Byzantium viri fatum ſinceris lachrymis. Recens in omnium animis verſabatur facinus, quo ſeniorem Soltanam, annis pluribus ambitioſe imperitantem aula exegit. Ita fomite odiorum inter Principem, & plebem extincto, utriuſque partis amores rapuit, ſibique infortunio alterius, viam ad potentiam ſtravit. Cadaver ſecundo amne Byzantium devectum, in patria ſepultum fuit. B)

Nondum rebus in ora Danubii pacatis, tempeſtas graviſſima, qua multis poſtea annis Hungaria, vicinæque provinciæ laborarunt, ſe in Dacia effudit. Moyſe Siculo, ut nuper diximus, fortunis, & vita proturbato, Gabriel Betlenius, ac Stephanus Bocskajus, conſilium capiunt dominatum Tranſylvaniæ invadendi. Ille, ſive diffideret viribus ſuis, ſive potentiam æmuli metueret, refrænata in ſpeciem cupiditate, laborioſam, ac periculis plenam provinciam, in Bocskajum clam omnibus tranſtulit. Bectes ſeu Becteſſes Temeſienſis Præfectus, quo hominis vota magis inflammaret, ſuam apud Achmetem operam, viresque pollicetur; neve dubitaret de patroni fide, cohortes ſuas Tranſylvanorum copiis immiſcet. Ad Temeſiam amnem, dum caſtra metatur, a Ludovico Rakoczio, & Henrico Dampiero ſub primam noctem profligatus, cum Betlenio, armorum ſocio, ſeminudus elabitur. Inter ſpolia repertæ conjurationis literæ, quibus Bocskajus dominandi libidinem Betlenio patefecit, machinationes in Rudolphum detexere. C) Iſthoc tum Jacobi Barbiani Comitis Belgiojoſæ, Caſſoviæ Gubernatoris; tum Bocskaji ſolicitudinem, curam vehementer exacuit. Uterque in arma coortus, ille Cæſaris, hic ſuas tuebatur partes. Sed Bocskaji res meliori, ac Barbiani, loco videbantur. Jam enim non Tranſylvania modo, ſed & ſuperior Hungaria religionum ſpecie, iſtius cauſam ferro defendendam ſuſceperat; præterea Turcarum auxilia in promptu habuit, quorum clientelæ ſe rurſum addixit his talibus pactis: *Hungari adverſus Achmetem omni hoſtilitate abſtineant; conjunctis armis Cæſareos infeſtent. Ottomani, militem, æs, machinas caſtrenſes ſuppeditent; cæterum in oppida Hungariæ nihil per vim, nihil per inſidias moliantur.* Fœdere tabulis ſolennibus inſtaurato, Turcarum manipulo adjutus, haud ſane proſpera fortuna in campum prodit, ac cum Baſta ad pagum Edelinum manus conſerit. Nox prælium diremit. Illuceſcente vix die, atque nebulis aſpectum adimentibus, Bocskajanos aggreſſus Baſta, primo impetu cecidit, Turcis magnam partem ad tormentorum aggeres trucidatis.

1605. Hac clade multo ferocior, & abeunte Baſta ob militis ſeditionem, liberior Bocskajus, arces qua vi, qua perfidia præſidiariorum, in Hungaria capit. Medgyeſini ſubinde in publicis comitiis, Princeps Tranſylvaniæ inauguratus, ab Achmetis Chauſio, clava, enſe, atque vexillo ornatur. In alimentum factionis, ex ærario Imperii, deprompti ſunt centies mille Soltani, D) ſive aurei, atque Mehemeti Purpurato in Pannoniam moturo dati. Ut intelligas, quantum fructus ex hac adeo liberali ſemente, Turcica gens ſibi polliceretur. Neque diu ſpe ſua fruſtrabantur. Confluentibus maximo numero Turcis, Tartarisque ſub ſigna Bocskaji, funeſtiſſimi belli tempeſtas, ceu eluvionis inſtar, Hungariæ provincias, Styriam, Auſtriam, Moraviam inundavit. E) Non alia fœdior populatio his regionibus incubuit. Calamitatum compendium inde accipe. Octoginta mortalium millia per Eſzekinen-

A) Annales Ferdinandei. B) Alys Purpurati, in aula gratioſi, dignitatem obtinuit Murates, ut dicturus ſum ad annum 1606. C) Iſtvanff. Lib. XXXIII. D) Joannes Sagredo. E) Sæviſſimam hanc populationem legere licet in Annalibus Ferdinandeis.

nensem pontem traducta, in miserrimam servitutem, Byzantium pecorum ritu rapiebantur. Tam numerosa omnis sexus, ætatisque multitudo, grande testimonium Achmeti præbuit, quanto fœnori æs, militem in hoc civili bello locarit. Illud hic non omiserim; quod pedites Hungari familiares suos, cognatos suos, barbaris sub hasta vendiderint. ADEO nihil nefas est extremæ avaritiæ. Fœdissimam nundinationem DEUS prodigio coercuisse fertur; numeratum aurum multo sanguine manavit, & perditi cujusdam hominis manus, loculosque maculavit. A) Interea Mehemetes Vezirius contra fœdus Bocskaji, exeunte Augusto circumvallavit Strigonium. Wilhelmus Comes Oettinganus loco præfectus, nescio quibus umbris exagitatus, veteres præsidiarios Hungaros, arce exesse jubet, navalesque socios, qui eatenus utilem operam in Danubio præstiterant, una exauthorat ante, quam hostis in conspectum arcis se daret. Quo facto Strigonium perdidit, gentemque Hungarorum magnopere exacerbavit, suam fidem in suspicionem adductam merito quiritantium. Unis itaque suorum viribus, fideique confisus, defensionem parat. Stabat in edito monte D. Thomæ castellum aggeribus, vallo, & aliquot centuriis præsidiariorum probe munitum. Illo nisi potirentur hostes, Strigonium extra ictum fuerat. Illud primum obsidentium vires excepit, sex supra decem assultus elusit, sexto denique Idus Septembris, mille quingentos hostium prostravit. Propugnatores virtuti suæ nimium tribuentes, dum forte in multam noctem vigilant, mero largius circumlato, in somnum soluti custodias laxaverant.

A. C. 1605.

Ad irruentium primo diluculo tumultum excitati, etsi arma caperent, locumque de more fortiter tuerentur, tamen in fugam versi, ad unum omnes ferro ceciderunt. Occupata munitione, triginta grandiora tormenta in oppidum aquarium obvertit hostis, & calendis Octobris illud pariter obtinuit, mille admodum e præsidio cæsis cum ipso Gubernatore. Qui supererant milites extincto pugnandi ardore, Dampierium Oettingano suffectum de deditione compellant; non ignari ANIMAM agere arcem illam, cujus vires, ac spiritus paulatim ab extremis munimentis ad intimas tanquam cordis angustias retrahantur. Ille præmaturæ petitioni acriter obnisus, tabulas deditionis a seditioso milite conscriptas discerpit. Sed cum hostis cuniculis mœnia suffoderet, oppugnationemque supremam minaretur, præsidiarii immemores sui, præstitique sacramenti, vinctum in custodiam abripiunt. B) Non hic stitit turbulentorum intemperies. Accito in arcem Aly, Budensium Præfecto, liberum discessum tradito præsidio paciscuntur. Mille tamen, & quingenti C) cum liberis, & conjugibus suis sub Ottomanis stipendia facere, quam pœnam perfidiæ debitam subire maluerunt. Capto tanti nominis propugnaculo, Ujvarinum victorem exercitum adduxit Mahometes. Fatigaverat illud peracri obsidione Franciscus Redejus, partium Bocskajanarum celebris Ductor, brevique casurum tum ingens rerum omnium defectus, tum crebri murorum hiatus persuaserant. Mehemetes compendium victoriæ facturus, machinas, quibus Strigonium dejecit, propugnaculis admovet, eamque stragem per circuitum infert, ut obsessi desperatis rebus, dedendi oppidi consilium inirent. Stephano Illyesházio, qui commodum per eos dies in castra venerat, operam locante apud Mathiam Principem, Redejo arx traditur. Tam nobili præda eversus Mehemetes, non dissimulato dolore, ac ira in Hungaros, Strigonium reversus est. D)

At non eo æstu se abripi patiebatur Vezirius, ut Bocskajum, ejusque asseclas a societate Ottomanorum abalienaret; neglexit hilari fronte, quidquid ignominiæ sub Ujvarini mænibus acceptum. Imo ut omnem suspicionem aversi animi eximeret Hungaris, multa verborum humanitate ad se accurrentes excepit, afflictæ eorum causæ patronum se professus, ad liberta-

A) Istvanff. Lib. XXXIV. B) Dampierium a seditiosis vinctum non tradunt Annales Ferdinan. C) Annales. Istvanffius L. XXXIV. ducentos ad Turcas defecisse scribit. D) Utriusque oppugnationis Ephemerides inspice in Annalibus Ferdin.

A. C. 1605. bertatem pristinam recuperandam militem, arma, liberali facilitate adpromisit. Denique Bocskajum factionis caput, in urbem Budensem ad se Regiis insignibus inaugurandum, decreta legatione arcessit. Isthoc quanquam homini non venerit ante in mentem, tamen ut scenæ serviret, tantæque dignitati parem splendorem afferret, datis per provincias literis Nobilitatem Carponam evocat. IV. Idus Novemb. ingredientem campos Rakosios Peizto finitimos, ac copias in speciem justi exercitus explicantem, Alys Purpuratus Budensis cum Byzantina Nobilitate, quæ jussu Achmetis Budam profecta, perhonorifice salutavit. Postero die multis Nobilibus comitatus, inter tormentorum fragores Budam ingressus, recta ad Mehemetis sedem vadit.

Posteaquam mutuis verborum officiis alter alterum tenuisset; Bocskajus tarditate adventus, per publicas Daciæ necessitates excusata, se, Hungariamque fidei, & clientelæ Achmetis submissa oratione addicit. Vezirius collaudata hominis in patriam pietate, adstantes Bocskaianos cohortatur, ut ne a societate, a fœdere Turcarum desciscant. Tum Bocskajum nomine Imperatoris sui Regem appellat; coronam A) non tam ab artificis manu, quam sui pretio æstimandam, capiti imponit; lateri ensem, auro, gemmisque illusum, accommodat. Mirum! quanta modestia temporariæ dignitatis insignia, vocabulaque acceperit; sive reipsa ita senserit, sive potius timuerit, nimia potentia offensum iri factiosos, quorum non paucos acrius angebant Regii satellites. Coronam dein sibi adstanti Szecsio tradidit cum dicto: *apud Hungaros moris esse, ut diadema a forti, integroque viro asservetur:* quodve omnibus admirationem movit, Rudolphum Hungariæ Regem in eo Turcarum conventu unicum, Procerum suffragiis lectum, palam agnovit, raroque Regio nomine literas signavit. Allatum subinde Achmetis Turcarum Imperatoris Diploma, quo Transylvaniæ principatum, Pannoniæque regnum Bocskajo confirmat. Fœdus præterea in has leges coaluit. *Turcæ bello capti redduntor. Oppida, arces, quarum possessionem Turcæ obtinent, vi, dolo, precibus repetere nefas esto. Urbes Austriæ vicinæ, Achmeti reservantur. Ni pax utilior Hungaris, bellum prosequendum adversus Germanos. Bocskajus de statu Reipub. de rebus suis Achmetem certiorem reddet. Omnia aget e præscripto Turcarum.* His, atque aliis mandatis Regiam dignitatem circumscripsit Achmetes, ut umbratili majestati præter splendida nomina nihil reliquisse videatur. Paulo liberalior in universam Hungarorum gentem erat. Ab omni tributo, vectigalibus, decem annorum spatio immunes fore pronunciat; deinceps dena aureorum millia ærario quotannis daturos. Hoc beneficio agrestium animos vehementer conciliavit Turcico nomini, servitutem infra lucellum, quo singuli capiebantur, existimantium. Sed fucatam hanc immunitatem anno insequenti pax restituta Hungariæ, opinione celerius convulsit.

1606. Bocskajus enim amicorum opera ad saniora consilia traductus, tranquillitatem patriæ reddere cupiebat. Nihil isthoc afflictis Rudolphi rebus commodius obvenire potuit. Legaverat jam anno superiori ad Budensem Purpuratum Joannem Molardum, Adolphum Althanum pacis petendæ Oratores. Responsum accepere; Achmetem non ante transacturum de pace cum Rudolpho, quam Bocskajus, cæterique Hungari ea obtineant a Cæsare, quorum causa arma sumpserunt. Famæ, constantiæque suum Imperatorem duxisse, ut rationes sibi fœdere junctorum potiori loco habeat, quam suas. Itaque Rudolphus civili bello finem facturus, negotium procurandæ pacis Mathiæ Principi, Proceribus, ac populo multum accepto, committit. Hic in deliberationem accitis, utriusque partis primariis capitibus, iis conditionibus pacem reconciliat, quibus cum Romana Religione, quæ tum temporis alioquin misere habebat, non satis conveniebat. B) Sed refricandi antiqua vulnera mihi animus non est. Ea apud Scriptores patrios reperies, qui hoc argumentum de industria tractarunt.

Cæte-

A) Imperatorum Constantinopolitanorum, an Despotarum Thraciæ, hæc corona fuerit? eruditi calamis disceptant. B) Inspice Pacificationem Viennensem.

A. C. 1606.

Cæterum Bocskajano fœdere ita composito, proniores jam Turcæ ad quietem, Stephano Illeshazio præcipuam operam locante, XX. annorum inducias pepigerunt. In ora Danubii ad Oppidum Almasium, utriusque Imperatoris, & Principis Bockaji Legati convenere. Illeshazius apud Purpuratos perinde, ac Mathiam Principem gratiosus, pollicebatur Cæsareis, impetraturum se honestas, utilesque conditiones nihil addubitans de Kanisa, aut Agria a Turcis reddenda, quæ toties arbitros pacis fatigarunt. Secus accidit, quam promisit. Diebus enim non paucis summo tædio Cæsareorum extractis, non modo obtinendæ Agriæ, vel Kanisæ spes evanuit, sed ipsi etiam congressus, magna utrinque populorum expectatione producti, fere sine operæ pretio fuerunt propterea, quod Purpuratus Budensis (& hic Princeps legationis erat) nullum mandatum de urbe aliqua restituenda haberet a Principe suo; Regii vero id ipsum quam vehementissime postularent. Ad extremum abitum minatus Purpuratus, ni odiosa, & Imperio Ottomanico indecora petitione abstineant, veriti ne apud plebem judicem, fœderis neglecti invidia laborarent, si re infecta conventus solveretur; nihil inposterum de eo argumento tractandum existimarunt.

Hoc obice remoto, Alys pacatiorem se præbuit, paucisque post diebus pax in tabulas relata. Summa illius capita hæc fere erant. *Pax esto, & mutua injuriarum oblivio. Achmetes Rudolphum, & Cæsarem, & Patrem colat: his nominibus, quoties eidem scripserit, utetur. Rudolphus Achmetem filii loco perpetuo habebit. Tartari huic fæderi innexi censeantur, proinde terra, marique nulli partium fas esto fæderatos impetere. Procursiones mutuæ, pœnis coerceantur ab arcium Præfectis. Bocskajus secundum Viennensem Pacificationem sua jura obtineat. Capti induciarum tempore, sine pretio partibus suis reddantur. De iis, qui bello fervente in servitutem inciderant, transigatur. Præsidia, arces, e ruinis instaurandi, non item novas erigendi, facultas esto. Rudolphus bis mille nummos imperiales per Legatum suum Achmeti feret. Achmetis pariter Legatus pretii majoris, quam antea munus Cæsari Pragam deferet. Nunc Murates,* A) *senatus Princeps, in fæderis firmitatem, Mathiæ Archi-Duci munus haud vulgare mittet, & ab eodem actutum remunerabitur.* Ut lætissimus pacis rumor in Hungariæ provincias, vicinasque terras manavit, pronum cogitatu, quanto gaudio incesserit populus, sive belli malis cum Hungaris vexatus, sive vastitate, incendiis finitimarum urbium Hungariæ perculsus. Sed & Turciam singulari lætitia compleverat fœdus tam bonis conditionibus ictum, eo potissimum tempore, quo in Persia, & Syria gravissimo bello laborabat; & non una clade, pene ad incitas redacta. Certe si Cæsarei cupiditatem pacis, qua flagrarunt, paululum texissent, tot annorum bellum quam utilissime terminari potuisset. Sed CARO emunt, qui cupide licitantur. Nunc in Persiam, de qua dicere institui, gradum faciamus.

Postremi Mahometis anni, ut supra narratum est, partim seditionibus, partim muliebri imperio, partim cladibus infames, nobilissimam juxta, ac pugnacissimam Persarum gentem ad recuperandas sui Imperii provincias, quas necessaria pace, ob Usbeki incursionem, B) Turcis cesserant, maxime obside Regii sanguinis immatura morte sublato, movere. Et puduit victricem Persiam post tot secunda prælia, iis conditionibus fœdus transegisse, quas non nisi victa metuere poterat. Verum cum adversus necessitatem (duobus hostibus circumventa) nullum, nisi a tempore malis remedium existimaret, & præsentis periculi magnitudo, omnium animos, ceu æstro percussos, in quietis desiderium raperet, ab armis discessit, relictis in ho-

A) Murates, cognomento Serdar, locum Alys Ægyptii in aula occupaverat, ut Chronicon testatur cum Istvanffio, qui suam Historiam rerum Pannonicar. Libris XXXIV. complexus, ab obitu Mathiæ Corvini nempe 1490. ad annum 1606. Patriæ nostræ fortunam eleganter juxta, ac candide scripsit, & non modo apud suos Populares, sed & exteros, optimi, ac prudentis Historici elogium tulit. Addidit Epitomen rerum Pannonicarum sex fere annorum, quas per morbos, continenti narratione pertexere haud potuit. Viri Literati merita reperies in Palatinis regni Hungariæ editis rursum Tyrnaviæ anno MDCCLII. & anno MDCCLX. B) Vide annum 1587. & seq.

A. C. 1606. ſtium poteſtate, primi nominis præſidiis. Retruſo vero in ſua latibula Usbeko, quanto ardentius nuper in amicitiam Turcarum ferebantur, tanto acrius ad eam infringendam æſtuabant. Itaque perturbato Imperii Ottomanici ſtatu, cujus paulo ante memini, tempus adeſſe ratus Perſarum Rex, a) quo amiſſa præcipiti conſilio recuperaret armis, Georgianorum populo in belli ſocietatem admiſſo, factoque apparatu nitrati pulveris, pilarum, atque aliarum rerum, copias ſuas Taurim, urbem mercaturæ deditam, adduxit, & regionem incolis deditionem maturantibus, facile obtinuit. Cum alii, atque alii Præfectorum bellum Perſicum inſtare, ac omnia hoſtilia eſſe nunciarent Achmeti, tantus metus de ſumma rerum Byzantinos cepit, velut ſi jam hoſtis præ mænibus tenderet, excidiumque inteſtinis motibus concuſſæ urbi appararet. Neque enim hoſtem acriorem, bellicoſioremque ſecum congreſſum meminerant, neque Turcicum militem tam ſeditioſum unquam fuiſſe, atque aulam imbellem viderant. In mentem præterea venerat, Perſam tum Religionis cauſa, tum æmulatione perpetua incitatum, de integro bellum ordiri; educere veteranas cohortes, plurium annorum militia plerumque victrices. Byzantinos & animis, & ſententiis diſcordes in omnem partem fluctuare.

Inter hos urbanos terrores, Vezirius plenam periculi aleam vitaturus, bellum quamprimum Perſis inferendum, copiisque Cicalam (filius is erat Cicalæ, de quo ſupra ubertim diximus) præficiendum contendit, juvenem quidem, ſed qui ſpiritus Regis, & impetum æquabit. Senſit ille, quantis difficultatibus hæc provincia obnoxia eſſet, quapropter ne modicum, quod collegit famæ, uno naufragio mergeret, onus primum recuſaverat, deinde certus voluntatis Imperatoriæ admiſit, modo miles, apparatusque reliquus par tantæ expeditioni attribueretur. Adnitente Vezirio omnia procurata fuerunt in tempore. Itaque Cicala animo æger, exercitum haud multo ſuo Ductore alacriorem in Perſas ducit. Ut in Meſopotamiam (Turcis Diarbekir) venit, omnia fama fœdiora reperit. Jam enim Perſæ Taurim ſubegerant, & Georgiani lento obſidio Tifflim civitatem atterebant. Nihilominus in provinciam Vani progreſſus, bellum potius defendere, quam inferre meditabatur. At Perſis in pugnam æſtuantibus, antequam caſtris locum caperet Cicala, feſſum longiori via militem aggredi placuit, quod famæ, exiſtimationique ſuæ plurimum intereſſe cenſerent, ſe primum in certamen hoſtem provocaſſe. Nec mora: eo repente adductis, inſtructisque copiis, prælium pariter, & ſtragem intulerunt. Quæ profecto ſtrages, Perſis ob indecoram pacem præter modum ferocibus, tanta fuit, ut exercitus propemodum omnis deletus ſit, machinæque caſtrenſes cum reliqua ſupellectili captæ. b) Cicala de infelicis prælii exitu Byzantinos certiores fecit, monuitque Achmetem, niſi ipſe in partem arduæ expeditionis veniat, militique animos in præſenti addat, futurum haud dubie, ut omnes provinciæ cum exercitus ultima clade peſſumeant, quarum poſſeſſionem nupera pace Turcica adivit.

E minori Aſia pariter trepidis nunciis allatum eſt; rebelles populationibus novis Aſiæ oppida territare, nemine obſiſtente e fertiliſſimo agro prædam facere. Imperator Adoleſcens ut fortunarum, ita voluptatum paternarum hæres, ægre, ut Byzantio tantisper in Aſiam flecteret, a Naſuffe Purpurato permoveri potuit. Quo ſimulatam profectionem adverſum rebelles, aleret Achmetes, ingentem vim pecuniariam, partim in ſtipendia militum, partim in annonam procurandam ex ærario ſumpſit. Tandem poſt diuturnam ludificationem tum Byzantinorum, tum rebellium, ſuſcepto itinere Pruſam, Bithyniæ urbem, perſonam depoſuit, dum quatriduo poſt, non ſine civium ſtomacho Byzantium, ceu Capreas ſuas, repetiit. Inde firmata apud rebelles opinio, Imperatorem aulæ deliciis victum, ætate juvenili

a) Quo nomine compellatus fuerit, haud integrum eſt decidere. Alii Hodabendem; alii Schach-Abaſum; Schach-Abatem alii fuiſſe volunt, quæ plurium ſententia. b) Anno 1604. ut lego apud Joannem Sagredo, quem in rebus Perſicis ſequor.

juvenili injuriis obnoxium, haud multo felicius Patre suo Mahomete Rempublicam administraturum. Et reipsa pro tantis, quæ urgebant, bellis, omnia tenuiora erant. Ærarium inprimis in dies tabescebat, venis intercisis, aut in sua commoda derivatis Purpuratorum avaritia. Provincias Asiaticas, unde miles sua stipendia accepit, rebellium intemperies misere erodens, difficilem sæpe rationem faciebat, qui alerentur, tempore supplerentur, castrensi penu instruerentur legiones. Tot difficultatibus statim ab exordio Imperii obortis, consilium dedit Mufftius; ut a Procuratoribus Moschearum (sex numero erant) tanta pecuniæ summa mutuo acciperetur, quantam necessitas triplicis belli postularet.

A. C. 1606.

Sed non ideo clades evitata in Perside. Cicala recentibus copiis jam auctus, campum explicandæ aciei opportunum insedit, tribus leucis Tauri distantem, cupiditateque gloriæ accensus, totis animis pugnam optavit. Quasi vero nupera clade satis, superque ludibrium fortunæ eluisset, nihilque jam esset, quod metuere posset a fortuitis belli. Comperto, Regium Principem cum majori parte equitatus castris abiisse, tanto ardore in pugnam ruit, ut sub primam lucem instructis ordinibus jam ad valla Persarum constiterit. Persæ revocato ex itinere equitatu, suam quoque aciem struunt, egressique castris, patentissimam planitiem, nempe equitatui, quem mox adfuturum nuncii referebant, deligunt. Nondum facto dimicandi initio, auxiliares copiæ (incolæ A) erant montis Amani, cujus perpetuum jugum Syriam, atque Ciliciam interfecat) quanto maximo cursu potuerunt, ad Persas transierunt. Horum defectione nihil perturbatus Ottomanus, hiatum, quod numero militum præstaret, facile explevit. Telis ab utraque parte emissis, prælium oritur acerrimum. Vix in Annalibus Turcarum legas, tanto irarum æstu, tanta pervicacia pugnatum. Persæ incitabantur trophæis superiorum annorum. Turcæ spem victoriæ illius diei, in celeritate positam habuere, ut phalangem equestri præsidio nudatam ante opprimerent, quam Regius adolescens cum equitatu pervolaret in castra. Sed is, dum maxime calebat pugna, opportune advenit, equitemque suum signo dato, in fessos plurium horarum labore effundit. Continuo perruptis agminibus acies Turcarum inclinare cœpit. Persæ novis suppetiis firmati, perturbatos majori alacritate invadunt, resistentium adversa ora fodiunt, laxatos ordines nativo odio magis, quam ullius imperio concidunt. Jamque non pugna, sed cædes fugientium erat, cum Cicala quoque perditis rebus, sonipedem in fugam vertit, cum mille quingentis Spahiis, totidemque Janicsaris. Ni victorem opulenta spolia ab hoste persequendo detinuissent, nemo unus Ottomanorum, Persicæ fortitudinis testis, nunciusque abiisset. Ceciderunt Turcarum, quorum numerum victores finire potuerunt, millia triginta cum majorum Ordinum Ductoribus plerisque, nempe novem Beglerbegis, triginta Sanchiachis, & Damasci Gubernatore; Mustaphas Bassa captorum numerum auxit.

Noverant Persæ vincere, non item victoria uti. Inhærendum erat fugientium tergo protinus, ne recenti clade attonitis, tormentis, & omni apparatu exutis spatium daretur, se recolligendi. Neglexit istud Schachus, sive jam debellatum putaret, sive vindictam diu meditatam in Gordiæos expromere vellet. Fuerunt isti præterlapsis temporibus admodum infesti Ottomanis, fiduciaque locorum, quæ incolebant, diuturna bella gesserunt plerumque propitio Marte. Tandem evicerant armis, ut medii Turcarum, Persarumque essent, velut fortunæ, atque bellorum arbitri; neque opis quicquam ab illis, neque offensionis, aut utrique parti, aut sibi accederet. Hoc bello Persico, Turcarum partes secuti, etsi utili transfugio ad Persas, errorem suum eluere contenderint, tamen Persarum iram minime placarunt; ut adeo verum sit; INVITO beneficium præstitum, sæpe maleficii locum subire. Igitur in Mesopotamiam ejectis Ottomanorum reliquiis, Persæ Gordiæorum gentem oppugnatum ivere. Cicala spatium nactus semet obmuniendi in Meso-

A) Curdes, & nonnunquam Cordiæi dicuntur apud Scriptores.

A. C. 1606. Meſopotamia, internecinam cladem Achmeti primum ſignificat, tum longius porrectis curis, ſumma contentione flagitavit, hominum, & equorum ſupplementa, cæteraque bello neceſſaria primo tempore mitterentur; ſecus in Syriam transferendum bellum, ſi Perſæ victis inſtiterint. Denique ſe ab hac moleſtiſſima expeditione revocaret, Ducemque veteranum copiis daret, graviſſimis verbis ſupplicavit. Cladis magnitudo majorem, quam autehac motum animorum in urbe fecit. Purpurati per dies aliquot ab orto, uſque ad occidentem ſolem, quin etiam nocturnis horis conſilia inter ſe conferebant, quonam Duce, aut quibus copiis reſiſti victoribus Perſis poſſet? Nemo erat, qui Cicalæ auderet ſuccedere, aut quocum bonam fortunam Imperio reverſuram ſperarent; propterea nihil gravius in infauſtæ expeditionis Ducem ſtatutum. Omnium ſententiæ eo collimarant, ut cum Rudolpho pax quibuſcunque conditionibus A) fieret: Bocskajus in tanti operis procurationem adhiberetur, ut ne Imperator Turcarum contra dignitatem pacem flagitaſſe argueretur. Interim ne bellum prorſus ad Perſidem expiraret, miſſa ſunt aliquot millia armatorum. Sed & iſta partim itineribus arduis, partim morborum contagio hauſta, campum dederunt Perſis, ut victorum more provincias ampliſſimas ſubjugarent, nihil auſo Cicala, exercitu multis partibus inferiore.

1607. Rebus in Hungaria pacatis, vires in Orientem ſunt verſæ. Achmetes Purpuratus ſive ſponte, ſive juſſu Imperatoris, Perſici belli adminiſtratione ſuſcepta, nihilo felicior Cicala fuit. Ingenti prælio victus, ne caſtra quidem propugnare eſt auſus. Per eosdem dies aliquot rebellium turmæ Bithyniam percurſantes, Pruſam direptam in cineres redegerunt. Gemina clades idoneis authoribus nunciata, ut ad populum effluxit, lætiſſimam faciem momento confudit. Achmetes enim, quo diuturno mœrore levaret Byzantinos, rumorem ſparſerat per ſuos, rebellium copias uno prælio debellatas eſſe, Principes ſeditionis, veluti indagine captos, teneri; neminem ſupereſſe ex fæce illa mortalium, qui ſignum adverſus Byzantinos efferat, aut ſequatur. Hæc talia in aula Achmetis cuſa, brevi Conſtantinopolim pervaſere, quo ille facilius imperitæ multitudinis animos ex Perſarum, rebelliumque victoriis abjectos, conficta hoſtium ſtrage (quamdiu vera non poterat) ſuſtentaret. Fidem habuit populus Imperatoris commento, facile id ſibi perſuadens eveniſſe, quod ardentibus votis optavit.

Cæterum Achmetes uſitatum nonnullorum artificium in rem ſuam adhibuit, qui e diametro oppoſita iis, quæ evenere componunt, ac cupidis hominibus divendunt: partim ut primo illo lætitiæ impetu, & quaſi flore defraudent adverſam factionem, cui languidius dein gaudium futurum ſit, forſitan & improſpero aliquo ſucceſſu (ut ſunt humana) miſcendam; partim ut brevem illam temporis particulam, qua ſuperiores ſe credi ſatis habent, rebus ſuis quæſtuoſa anticipatione ordinandis accommodent, futurum ex mendacio dedecus, præſenti utilitati poſthabentes. Quanquam illud Achmetis, aliorumque commentum, non plane hauſtum ex vano fuerit, ſi Brietii verbis fidem hoc loco tribuamus. Narrat is B) Hierapolitanæ urbis Præfectum Gambolatum, defeciſſe ab Achmete, atque Cicalam, ſeditionem opprimere volentem, profligaſſe; urbes Tripolim, Damaſcum ſubita incurſione cepiſſe; ſeque pro Syriæ Soltano geſſiſſe. Sed latius ſpargentem belli incendia, a Turcis iterum impetitum, victumque diſceſſiſſe; adactum præterea, ut arma in Perſas verteret, quos nuper ſocios delegit. Hæc etſi aliqua portione veri aſperſa fuerint, tamen tanti ponderis non erant, ut Perſicæ cladis memoriam animis Byzantinorum evellerent.

1609. Sequentibus annis lente procedebat bellum, Perſas inter, & Ottomanos. Rex quidem Schach-Abas unice arma ſpiravit, invitatis etiam Chriſtiano-

A) Vide L. I. Hiſtoriæ regni Hungariæ R. P. Franciſci Kazy e Soc. JESU nitida, perpolitaque narratione res patrias evolventis ab anno 1601. ubi conditiones pacis recenſentur. B) Philippus Brietius Abbavillæus S. J. ad annum 1606. Annales Ferdinandei hanc rerum converſionem ſecutam ajunt quadriennio poſt. Conſule Tom. VII. ſed non recte.

ſtianorum Principibus ad communem hoſtem perſequendum, utque in ſuas partes pelliceret eos, ampliſſimam facultatem impertitus eſt, Romana ſacra in Perſide propagandi. Cum nihil opis ſperare poſſet a languentibus, veritus, ne ſibi uni inpoſterum potentia Turcica ſuſtinenda foret, ſatis e re ſua futurum putavit, ſi præſidia capta ad defenſionem inſtrueret, bellumque eminus oſtenderet, quam ſi victos irritaret, & (ut eſt varia belli fortuna) tot victoriis obtentas provincias uno prælio, ceu ad ſcopulos opimam claſſem, perderet. Neque Achmetem tantus ardor belli gerendi habuit, ut in Perſam, caſtris perquam munitis, quieſcentem involaret, nondum civili bello penitus compoſito. Nec videbatur proſecuturus bellum ignavus Princeps poſt tot clades, adeo nullam curam, nullam ſolicitudinem vertit ſive ad ſupplementa legionum, ſive ad ærarium augendum. Purpurati non multo acrioribus ſtudiis in campum ferebantur; diſſoluti otio artes ſolitas cumulandi peculium ſuum, in eo perturbato rerum ſtatu adhibuere. Honores militares veluti in auctione proſtiterunt venales; præfecturas arcium non veterani, non meritis conſpicui abſtulerunt, ſed heſterni, militiæ rudes, ut potior fuerit pecuniæ, quam factorum commendatio, nemine pernicioſæ nundinationi intercedente.

A. C. 1609.

Unus Achmetes ab eo vitio abhorrere quam maxime eſt viſus, dum ſtupendæ magnitudinis Moſcheam juxta Hippodromum erigere ſtatuit. Quidquid nummorum in ærario repertum, in numeroſam artificum, operarumque manum profudit, in hoc opus diu, noctuque incumbentium; immemor: PECUNIAM, nervum nempe belli, ad legiones alendas inprimis requiri. Tantæ molis ædificium, ut tantis ſumptibus, & magnificentia ſtrueret, non aliud hominem impulit, quam ut admirationi poſteris eſſet, e vaſta, nobilique ſtructura, Principis animum indagaturis. Iſtud an conſecutus ſit, hodieque ambiguum manet. Id certum: Mufftium illius temporis acerbe invectum in ſuperbiſſimam domum, domusque authorem; & plebem dicacitate ſolita, ſumptuum magnitudinem ſine diſſimulatione damnaſſe. A) Sed verba neque animum Achmetis everberarunt, neque ſaxea opera moverunt. Surgentis ædificii magnificentia mentem diu paſtam, odioſæ ſuſpiciones de fratre Muſtapha exagitarunt. Is etſi carceri incluſus, atque ab omni mortalium commercio longe ſemotus, nulla conſilia miſcere potuerit de Imperio occupando, tamen (ut tyrannorum animi perpetuis umbris amittendi regiminis vexantur) adeo alte medullis inhæſit ea opinio, ut recurrente identidem vaniſſimæ conjurationis imagine, nec ſomnum capere, nec quietem pati poſſet. Igitur malo huic medelam in tempore facturus, dum animi cauſa, cymbam propellit in canalem, clam omnibus duos mutos, qui aſſiduo ad dira ejusmodi obſequia parati, Principem comitantur, ad Muſtapham interficiendum ablegat. Vix feralem ſententiam tulerat, continuo tempeſtate coorta, aſperatis ignota vi fluctibus, navigium mergi cœpit. Senſit Achmetes, amicam navigationem ſcelere ſuo turbatam. Quapropter inhibitis ſicariis, meditato facinore tantiſper abſtinuit, dum metu ſolutus rurſum ſuſpicionum larva, multo vehementius pulſaretur. At iterum ſanguinarium hæſit conſilium. Repentino dolore obrutus, mentem a cæde innocentis non revocavit modo, ſed abſterſa etiam omni ſuſpicione, Muſtapham ſucceſſorem Imperii nominavit; raro apud Ottomanos exemplo, ut præteritis Liberis, frater a fratris morte rerum potiatur.

1610.

Annum præſentem, videlicet MDCXII. binæ legationes celebrem fecere, præter expeditionem in Moldaviæ fines ſuſceptam. Conſtantinus B) Moldaviæ Princeps, juſſus cedere provinciam patrueli ſuo Thomæ, cum Achmetis imperium ſurda aure exciperet, bellum ſuſcitavit. Mahometes Belſerges ad domandum Conſtantinum cum exercitu miſſus, uno prælio ita compreſſit altos illius ſpiritus, ut relicta Moldavia æmulo ſuo, ætatem reliquam in exilio transegerit. Impendio adeo levi ſubacta provincia, frugum ubertate multum celebrata Byzantinis, animos accendit ad Valachiam, Da-

1612.

A) Joannes Sagredo L. X. B) Chronicon Hungaro-Turcicum, & Annales Ferdinandei.

A. C. ciamque invadendam, ut victis, eum Principem veteri de more imponerent, 1612. qui vel maxime Turcarum commoda procurare vellet. Verum Asiatica arma, ne quid per vim agerent, animorum ardores temperarunt. Posteaquam rumor de invadenda Transylvania, deque Principe instituendo percrebuisset, Mathias A) Hungarorum Rex, jus suum tuiturus, Andream Nigronium, obitis legationibus illustrem virum, Byzantium ad Achmetem misit. Is per insolentiam Nasuffis Purpurati, ægre impetrato alloquio Imperatoris, in grandiori consilio præsente etiam Mufftio, Principis sui jura in Transylvaniam e Bocskajanis pactorum tabulis recitavit: nempe decedente Bocskajo sine hæredibus, amplissimas ditiones ad Regem Hungariæ devolutum iri. Inde, ajebat Nigronius, *videret Achmetes, ne in alterius possessionem involet, aut principatum sua authoritate, suis armis alicui addicat.* Huic postulato, dici non potest, quanta animorum concitatione intercessum sit. Mufftius vir cæterum placidi ingenii reposuit: *eam conditionem admodum sacris Mahometanis adversari, neque Bocskajum Achmetis clientem, tantam habuisse potestatem, ut provinciam non suam, in alterum transferat inscio Imperatore.* Cum Nigronius urgeret, pacta conventa fide jurata confirmasse Achmetem, neque fas esse, ut pro libidine ea rescindantur; protulit Nasuffes longe diversas tabulas, in quibus de Transylvaniæ cessione nihil extabat, atque eas sinceras, Nigronii adulterinas, insinceras, concitato sermone ajebat. Et quanquam Nigronius æquitatem causæ, Turcarum testimoniis, qui tractandæ paci interfuerunt, intrepide tueretur; nihil tamen apud pertinaces evicit, ea etiam de causa, quod secundum fata Bocskaji, neglecto Mathia, duos Principes Procerum suffragiis lectos, sua authoritate in dominatu stabiliverint, ut infra de rebus Hungariæ dicturi referemus. B)

Persarum Legatio multo infelicior cessit. Supremus Vezirius in Asia, cui nomen Achmetes erat, tædio administrandi belli Persici victus, clam egit cum Rege; *fecialem mitteret Byzantium cum muneribus, fædus post stragem hominum, urbiumque, post tot calamitates publicas pacisceretur. In re ancipiti, qualis est eventus belli, certa potius eligeret. Se minime ambigere, Imperatorem a turbis, & inimicitiis alienum, cum jactura etiam provinciarum, pacem haud recusaturum. Purpuratos secum idem sentire.* Pronum alioquin ad pacatiora non opus erat pluribus incitare. Et credebat depresso tumore e calamitate rediisse modestiam, nec simulatione usurum Turcam. Byzantium proficisci jussus e Proceribus unus, præter opinionem frigide accipitur in aula; fortassis propterea, quod familiarem inter sermonem comiti itineris (Turca is erat) imprudenter detexerit mentem sui Heri; nisi Achmetes bellum pace composuerit, ut subditorum fortunis, sanguinique parcatur, controversiam de limitibus utriusque Imperii, singulari certamini Principum commissum iri: qua denunciatione exasperatus, pacis consilia constanter respuit. Legatus molliori manu negotium tractaturus, pollicetur Regis sui nomine, quotannis maximam vim serici pendendam Ottomanis, modo Persia veteres suas provincias obtineat, neque arctioribus in posterum limitibus finiatur. Hoc postulatum tam abhorrens ab omni æquitate Achmeti est visum, ut concitatior, Legatum protinus in patriam reverti jusserit cum nuncio, *nullam Persiæ pacem fore, nisi præsidia omnibus provinciis, quas Turcici Imperatores jure armorum subegerant, deducant. Meminissent nondum Turciæ vires concidisse, neque ex hac expeditione, quæ imparatos, ac aliis bellis occupatos obruerit, bellum omne metirentur.* Nec minæ intra verba stetere.

1613. Vezirium Achmetem per celeres nuncios admonuit, in Persidem aditum aperiret exercitui, gentem victoriis præferocem tandem aliquando domaret. Sed is fatis concessit ante, quam Imperatoris mandatum in castra allatum fuisset, provinciamque sane perdifficilem Nasuffi Purpurato, genere Albano, reliquit. Interim Persiæ Legatus in patriam redux, triste suorum labo-

A) Anno 1608. inauguratus est, Rudolpho pacis causa de jure suo decedente. B) Annales Ferdinandei.

laborum præmium tulit. Vulgaverant Turcæ impudenti mendacio, eum tributi loco attulisse copiam serici, adpromisisse præterea in annos singulos ejusmodi merces, atque summam pecuniæ, modo pax Persidi restituatur. Insulsitas calumniæ etsi ipsa se proderet, tamen vir longe consultissimus non minus patriæ commodorum, quam suæ existimationis studiosus, objectum crimen refellere adlaboravit. Apud præoccupatum, iratumque Regis animum, nihil usque profecit. Dignitatibus aulicis exutus, mox capitis postulatus, Procerum lachrymis ægre vitam abstulit, postquam candenti ferro oculorum acies hebetata A) est. Adeo ARDUUM, limitem æquitatis, aliarumque virtutum non excedere, quando sinistra suspicio in animum dominatur, igniculosque bonæ mentis suffocat.

A. C. 1613.

Provincia gloriæ, & lucri sterili minime delectatus Nasuffes, & fortassis validiorem hostem expertus, quam ut fines Imperii invictos præstare posset, obtestatus est Imperatorem, ut salva nominis dignitate, e campo in aulam revocaretur ante, quam admota operi manu, e medio armorum cursu præfectura dejectus, veluti in exilium domum remittatur. Tristia multorum fata, qui jam inde a morte Selymi aula exacti ob minus felicem belli fortunam exemplo esse poterant, virum permoverunt, ut petitionem identidem urgeret, dum Achmetes ratam haberet. Simul, ac in aulam se contulit, primas inter Purpuratos obtinuit quæstuoso cum lucro. Amicorum opera usus, novo rumore Constantinopolim implet: primo vere arma in Europam translatum iri; adversum Christianos, omnium sententia decretum bellum. Perculit is rumor Oratores, qui Principum suorum res Byzantii curarunt; utque grandia pericula, provinciarum vastitatem redimerent, auro, argentoque vanos terrores quisque amoliri contendit. Est isthoc vetus Purpuratorum argumentum: arma, bellum adeo minaciter crepant, ut nec ipsi milites de expeditione dubitent. Eo terrore Legatorum crumenas artificiose emungunt, & nisi quis eo in ludo probe versatus sit, ingentem thesauri jacturam faciet. Et Nasuffes, supremum ea tempestate consilii caput, cum omnia e sententia animi ageret, non dubiam fecerat fidem belli futuri, quod terra, marique haud frigide in apparatum classis, aliarumque rerum incumberet.

1614.

Languente bello Asiatico, ad annum MDCXV. Cosaci B) procellæ instar semet effuderunt in amicam regionem. In mari Euxino quidquid Turcicarum navium repertum, flammis exussere; facta deinde in maritima oppida impressione, eo majori cum tumultu, & formidine arma circumtulerunt, quo viciniores Byzantio fuere. Ea fama excitati Persæ, restauratis animis in Ottomanos movent. Ad urbem Ravan, aliis Revanum, quam Turcæ clauserant, bellum constitit. Valla castrorum propugnaturi, non satis ordinatam aciem tenuerunt. Persæ omnibus locis aditum rimati, feliciter vallis transcensis, in castra penetrant tanta hostium strage, ut Murates Cicalæ filius cum paucis comitibus in tutum ægre evaserit. Hæc dimicatio Turcis adeo infausta pacem peperit. Legatus Persiæ magnifico apparatu Byzantium deductus, aulam ad omnes conditiones pronam reperit, quas victor Rex Achmeti posuit. Summa illarum hæc: *Persæ provincias hoc bello occupatas seu vi, seu deditione, pleno jure possideant; annis singulis Imperatori quidpiam e serico dependant.* Signatis tabulis, utraque gens ab armis discessit, atque in pristina amicitiæ fœdera sub Mahomete II. bellicoso Principe rupta, rediit. C) Fatale hoc bellum, mutuis cladibus insigne, trahebatur seculo uno, & dimidio; maximo orbis Christiani commodo, si conjuratis viribus hostem omnium, omnes invasissent. Nullus jam in Europa Ottomanus, si vires ad Rhenum, Mosellam, Scaldim, Padum infractæ; Istro, Thracioque Bosphoro admotæ fuissent. Tanta jactura provin-

1615.

A) In Annalibus Ferd. lego; Persiæ Legatum a Rege strangulatum, Turcico Legato oculos erutos. B) Brietius Cosacorum irruptionem ante biennium evenisse memorat. C) Pacem hoc anno conclusam locuples author est Sagredo. Quanquam plerique alii, quos consulere mihi licuit, bellum continuatum scribant.

A. C. ciarum restituta pace, quasi clarissimis victoriis limites Imperii ultra Majo-
1615. rum suorum vestigia protulisset Achmetes, e consilio Nasuffis, qui unus apud eum dominabatur, Adrianopolim movit, ac inde triumphanti similis Byzantium. Præter militum distinctos ordines, & Purpuratorum præcipuos tres filii (si fides Joanni Sagredo) paterno lateri adequitantes visebantur. Cultus opulentiæ Asiaticæ non alios magis honestavit. Ipse generoso sonipede vectus inter omnia illius pompæ, luxuria notabatur, adeo vestis auro, gemmisque nitebat, Tam insolens rerum pompa, ea causa adornata fuerit, ut populus magnitudine malorum oppressus, jacentes diu animos erigeret, & Persiæ Legatus visa hac simulata alacritate, atque ostentatione opum, persuaderet sibi, Turciam non minus post diuturna bella, quam ante, satis, superque comparatam ad hostium vim retundendam.

1616. Hanc plausibilem scenam feralis tragœdia Nasuffis excepit. Multorum invidiam incurrerat hujus hominis potentia, ad quam obscuris natalibus ortus, mira felicitate fortunæ pervenit. A Christianis parentibus tributi loco Constantinopolim datus puer, ad vigesimum ætatis annum, apud Eunuchum quempiam præcipuæ dignitatis, bonis artibus excultus, Præfecto aulæ commendatur. Hic delectatus vivida adolescentis indole, quo viam sterneret ad majora, ædificio, quod jussu Imperatoris extruebatur, præfecit. Administrato cum laude hoc munere, ad militiam animum appulit. In Hungaria rebus feliciter gestis adeo inclaruit, ut in Mesopotamia nobilem præfecturam adeptus fuerit. Verum ut AMBIGUO gradu aulicorum fortuna stat, opima regione decedere jussus, non modo non paruit, sed octo annorum curriculo, provinciam suam armatus insedit Byzantio infestus. Fractus ab Achmete Purpurato, cum metuens pariter, ac metuendus rebus novis studeret, desperato successu Imperatori gratiæ se totum commisit.

Non ingrata erat tanti viri accessio, iis maxime temporibus, quibus Persicum bellum obortum est. Dignitati pristinæ restitutus, armorum præfecturam, Vezirii A) morte vacuam, cum tanta benevolentia Achmetis Imp. accipit, ut unus arcanorum conscius, & negotiorum arbiter, non Imperatorem modo, verum etiam Imperium sua authoritate regeret, summa libertate omnia misceret. Tanta in aula dominantis gratia Purpuratorum æmulationes accendit, mox in odia erupturas. Querebantur: *Nasuffem apud Imperatorem omnia esse: ad illius nutum omnia moveri; jam vocem Vezirii non secus, ac Imperatoris a civibus juxta, & Persis accipi. Nuper clandestine cum hostibus egisse de iciendo fœdere, illius consilio pulcherrimas provincias ab Imperio avulsas, ac infensissimis nomini Ottomanico Persis attributas, earum accessione tantopere vires excrevisse hostibus, ut labascenti Monarchiæ, aut turpis servitus, aut triste excidium non abs re timeatur. Neglecto Reipublicæ bono, sibi quæstuosam, Turciæ sterilem, imo perniciosam conflavisse pacem. Una hac arte Regias prope divitias coacervasse.*

Hæc primum jactata in privatis Purpuratorum colloquiis, subinde ad Imperatorem effluxere: atque ut DELICATISSIMUS est dominantium sensus, non ea moderatione versabatur in aula Nasuffes, ut non sentiret elatos hominis spiritus Imperator, nimiaque libertate agendi offenderetur. Sed cum existimaret perutilem Imperio haud esse irritandum, hominis arrogantiam pacato animo tulit. Nunc probroso fœdere, & Purpuratorum querelis exacerbatus, noxium patriæ caput, e medio tollendum statuit. Ad eum persequendum, puniendumque Præfecto hortorum, ministro est usus. Iste septem satellitibus acceptis, valetudinem curantem domi suæ circumsistit, jussumque reddere majus sigillum, injecta celeriter zona reluctantem strangulat. B) Thesaurus in ærarium illatus, suspicionem non mediocriter auxit;

Vezi-

A) Achmetis Purpurati, quem in castris obiisse narravimus. B) Annales Ferdinandei biennio ante, hanc tragœdiam prodiderunt, alii anno uno serius.

Vezirium auro emptum, communem Imperii caussam, dum pax cuderetur, deseruisse. A. C. 1617.

Gemino fœdere restitutam pacem, mors Achmetis nonnihil confudit anno MDCXVII. e præscripto Purpuratorum Imperii habenas moderantis. A) Primi regiminis anni, dum vixit Alys Ægyptius, prospere fluxerunt; eo extincto nihil magnæ rei est gestum. In Asia post plurimas clades, aliquot provinciarum jacturam fecit. Quod si Rudolphus, Rudolphique successor Mathias, minus religiose conventis stetissent, non alio tempore luculentior plaga Turciæ infligi potuisset. Quanquam nemo mortalium, eos violati fœderis reos egisset, si arma ad jus suum prosequendum sumpsissent. Inter conditiones Bocskajo datas, istthæc præcipua erat: *si absque liberis decederet, Transylvaniæ principatus ad Rudolphum recideret.* Illo propera morte sublato, Transylvani Sigismundum Rakoczium Principem suum dixerunt, Achmete per Mustapham Kaputsium insignia more veteri tradente. B) Biennio post, Gabriel Bathorius Rakoczio suffectus, ab Achmete præter Principis honores, leges Hungariæ perniciosas accepit. C) Jamque tum non obscure patuit, Ottomanos jus in Transylvaniam sibi arrogare. Dictatorio modo imperavit Achmetes: *triennio Daci a tributo immunes sint; Turcas e vinculis libere dimittant; suppetias ferant Turcis, cum tempus postularit.* Ipsi Transylvani, si quid litium enascebatur inter cives, & Principem, ad Achmetem, ceu supremum Dominum appellarunt; cum Saxones contra, in ea provincia domicilium nacti suas querelas Mathiæ detulerint. D) Utraque pars justissimas querulandi causas habuit, Bathorius dominatu occupato, omni injuriarum genere in Nobiles non minus, ac plebem grassatus, maxime genti Saxonicæ gravis fuit. Cibinium, Coronam, Mediam, sive Medgyesinum, hostilem in modum habuit; cives opulentiores, alios suppliciis affecit, alios exilio mulctavit. Nec mitior in Hungaros erat, e quibus complures equestris ordinis viros, nullius sceleris convictos sustulit.

Igitur Proceres ut ejusmodi impetus reprimerent, Byzantium recurrunt, insanum Principem tetris adeo coloribus expingunt, ipsi ut barbari principatu indignum existimarent. Sensit ille, quam ambiguo loco res suæ starent. Ne a Gabriele Betlenio, Transylvaniæ proco, omnibus fortunis everteretur, literas dedit ad Ibrahimum Purpuratum, quibus Lippam, & Jenejam Turcis permissurum se pollicebatur, si Betlenium vinctum sibi tradiderint, aut quod mallet, turbatorem tranquillitatis publicæ e medio sustulerint. Sed Betlenius Achmetem, & Vezirium in suas partes jam antea traduxit, & non minora stipulatus, quam Bathorius, spem non dubiam principatus obtinendi abstulit eo facilius, quo Ottomani apertius sua jura in Transylvaniam vindicare ardebant. Turcarum Princeps audito Nigronii postulato per Legatum suum denunciaverat E) Mathiæ Hungarorum Regi, in Transylvaniam nullam omnino hostilitatem exerceret, quam Majores sui victricibus armis Orientis Imperio subjugarunt; sibi uni potestatem esse sive Principes, sive Gubernatores illi provinciæ præficiendi. In eandem fere sententiam Budensis Præfectus scripserat Georgio Turzoni Palatino, ni de integro vellent novam tempestatem belli concire, Transylvania abstinerent. Itaque Scenderes Purpuratus, acceptis, duodecim peditum, & equitum quatuor millibus Gabrielem Betlenium in Daciam deducit. Bathorius fortunam suam reparaturus, Varadinum se recipit, dumque forte lustrandi militis causa in campos curru provehitur, in insidias præcipitat, atque a conjuratorum globo multis vulneribus perfossus corrivali suo principatum relinquit.

A) Priori anno decessisse Achmetem vult Sagredo; sed ex Hermanni Chernin, Legati apud Achmetem, relatione aliud colligitur. Vide Annalium Ferd. Tom. VIII. B) Anno 1607. C) Anno 1608. D) Anno 1613. Chronicon Hungaro-Turcicum hæc fuse recenset. E) Annales Ferdinandei Anno 1614. hac super re multa habent in Comitiis Lincensibus Tomo VIII. Petrus de Réwa C. Turocz. suæ Historiæ de monarchia & S. corona regni Hung. cent. VII. inseruit epistolam ad Achmetem datam nomine Cæsaris, anno MDCXIV. die XXVII. Maji.

A. C. 1617. Ampliſſimis literis Soltani, ſtabilitus in provincia Betlenius, promiſſis ſuis, ac Turcarum expectationi minime reſpondit. Nam neque Lippam, neque Jenejam, præſidia ex fœdere pacta, iis tradiderat, ſive quod locorum Præfecti repugnarent, ſive quod conditionis liberaliter initæ eum pœniteret. Gravi epiſtola objurgatus, ut quibus artibus dominatum obtinuit, iisdem etiam in poſterum ſervaret, profuſis largitionibus Purpuratos ſibi devinxit, & utramque arcem non multo poſt Ottomanis ceſſit. A) In hunc modum Achmetes Daciam ſibi aſſeruit non minori probro Principum, ſub ſervitute Ottomanorum degentium, quam incommodo vicinæ Hungariæ. Quippe quoties deinceps libuit, toties ex ea regione, veluti armorum ſede, in Hungariam populabundi irrupere. Doluit equidem iſtud Mathiæ, ſed ne regnum e veteri buſto vixdum reſtauratum, novo incendio involveret, tempori ſerviendum duxit, neque de Tranſylvania cum Legato Mahomete Kihaja quidpiam agi voluit in ſenatu. Venerat is anno ſuperiore Budam nullo munere, quod tamen juxta conventa Cæſari offerendum erat, inſtructus. Negavit Cæſar recepturum ſe Legatum, niſi Achmetes huic conditioni ſteterit.

Dum ultro, citroque Byzantium Curſores commeant, annus labitur. Acceptis tandem muneribus iter ingreſſus, duodecima Maji Viennam pervenit. Mathias Comitiorum cauſa Pragam abiturus; qui veteres controverſias cum Kihaja componerent, viros delegit quinos ſingulari prudentia, ac multo rerum uſu Europæ notos, Franciſcum Forgachium, Melchiorem Kleſelium, Salmium, Mollardum, Althanum. Legatus de ſincero pacis conſervandæ deſiderio pauca præfatus, Imperatoris ſui nomine ea oppida repetiit, quæ ad arces ab Ottomanis captas, & modo poſſeſſas olim pertinuerunt: ita ajebat mutuis populationibus, incendiis finem impoſitum iri, nec miſeros agricolas hoſtiliter diripiendos, ſi nimirum præſidia certis limitibus circumſcribantur. Conciliatores etſi quam vehementiſſime huic poſtulato repugnarent, quod præviderent, multa oppida B) in eorum poteſtatem cum incolis, vectigalibus ventura, poſtremo tamen cedendum fuit. Porro pax prorogata in viginti annos, Turcis finitima loca incredibili gaudio affecit.

Altero anno Hermannus Chernin Conſtantinopolim miſſus, inauſpicato legationem obivit. Nobili, ac frequenti comitatu ſtipatus, explicato grandiori vexillo, clangentibusque ſignis præter morem urbem ingreſſus, ingenti tumultu oppidanos excivit. Prope erat, ut Legatus cum ſuis a furentibus e veſtigio cederetur. Purpurati arrepta criminandi opportunitate apud Achmetem, occultæ conſpirationis poſtulant Hermannum, juratique affirmant: *ſpecie legationis non paucos Chriſtianos Græcorum, Hebræorumque more veſtitos Conſtantinopolim, Galatam confluxiſſe; vim armorum in clauſtra, ac templa Chriſtianorum comportatam; Græcos non ita eſſe abjecti animi, ut recurrente identidem veteris fortunæ imagine, non continuo ad dominatum aſpirent, ſi occaſio ſe offerat; Coſacos clandeſtina ſocietate devinctos terra, marique volitare; facile a tot hoſtibus urbem de improviſo intercipi poſſe.* Hæc accuſatio, quanquam male cohærens, eam vim habuit apud Imperatorem, ut ipſe cum prætorianis cohortibus nocte integra urbis vicos obiret, capita viarum præſidio firmaret, ſex Patres Societ. JEſu Religionis cauſa Galatæ degentes, in ergaſtula concluderet. Galliæ Oratori debebatur, quod innocentum ſanguini ſit parſum, Patresque priſtino muneri redditi perſoluto lytro. At Hermannus tanti tumultus cauſa, perangusto hoſpitio incluſus, ægre Achmetis alloquium obtinuit. Petita ſubinde venia ad Mathiam redeundi, nec impetrata ab irritato Imperatore, annum unum Byzantii inter ſpem, & metum tranſigere debuit. Pragam redux, quid emolu-

A) Anno 1615. B) Annales Ferdinandei inter conditiones confirmatæ pacis numerum oppidorum ſilentio prætermittunt. Chronicon laudatum de centum ſexaginta quæſtionem fuiſſe, atque ſexaginta Turcis tradita. Hiſtoria Regni Hungariæ L. II. centum præter ſexaginta hoſtibus conceſſa meminit.

emolumenti tulerit non ſatis proſpere obita Legatio, facunda narratione expoſuit. A) Sopitis in hunc modum litibus, Achmetes ut ſupra retulimus, ſupremum vixit ſexto decimo Novemb.

A. C. 1617.

Erat Princeps haud multum bellicoſus. Ab aulæ miniſtris perinde, ac hoſtibus ſuis male traductus. Quantum laudis apud cives obtinuit initio regiminis, ob pulſam aula ſeniorem Soltanam, tantum dedecoris ſibi comparavit, dum poſt fata Ægyptii Purpurati, e peſſimorum arbitrio Remp. rexit, docuitque: SUB IGNAVO Principe ſuccedere alios homines, non item alios mores, atque ingenia. Rei militaris admodum rudis habebatur. Unde perpetuo in aula deſidem inter hilaria vitam egit; & ſi maxime voluiſſet in bellum proficiſci, morbi ex ordine ſibi ſuccedentes obſtabant. Hos per epulas intemperanter adgeſtas, nimiasque compotationes acuit. Sic vires ingenii, & corporis pares omnino erant. Et quemadmodum ipſe a corporis, animique dotibus parce inſtructus, non ſecus copiarum Ductores, turpiſſimis vitiis deformatos cenſuit, ac plerumque præliis inferiores. Aſiatica ſeditio, ac bellum Perſicum, facile centum ſexaginta Turcarum millia, id eſt robur Ottomanicæ militiæ hauſit. B) Inter has publicas clades, ac privatas calamitates honoris tenaciſſimus fuit, & propterea reluctanti ſimilis, cum Hungaris pacem inivit, quamvis a Perſis vehementer attritus. Tranſylvanorum Procerum factiones novis irritamentis fovit, certus alterutram partem apud Byzantium opem quæſituram, ſeque inter diſſidentes dominaturum. Per ſævitiam, ac libidinem jus Principis ſervili prorſus ingenio exercuit, iræque impotens, multos criminibus confictis mactavit ſuppliciis. Natura vecors, inutili cunctatione agendi tempora conſultando conſumpſit.



MUSTAPHAS I.

IMPER. OTTOM. IX.



Ope amicorum e carceris pedore eluctato Muſtaphæ, non ea vis animi, atque ingenii erat, ut in Aſiam, Europamque late diffuſum Imperium moderaretur, curaſque divideret; aut pro dignitate nomen Imperatoris ſuſtineret; ſive hanc debilitatem mentis, a conditione naſcendi traxerit, ſive malis artibus fraternis, ſemina bonæ indolis in teneriori ætate ſuffocata fuerint, ſive denique diuturnior cuſtodia, ac ſolitudo (recurrente aſſiduo ferali mortis imagine) ſanitatem mentis ademerint. Erant fortaſſis inter familiares Muſtaphæ nonnulli ea opinione imbuti, Principem adoleſcentem longe alium ingenio eſſe, quam cujus indicia præferret, & veluti alterum Brutum C) ad imitationem ſtultitiæ factum, contemptu ſui (ubi in jure nihil præſidii ſenſit) Imperium accepturum tempore ſuo. At fefellit opinio univerſos. Cum enim fulgore tantæ Majeſtatis perſtrictus, ipſe ſuam fortunam non caperet, amenti ſimilis non modo per ſe nihil dignum Imperatore egit, ſed nec ea, quæ in rem, & publicam monarchiæ ſalutem eſſent, per ſuos Purpuratos agi volebat. Multa non ſimulatæ ſtultitiæ argumenta in dies edidit, ſeque aulicis ridendum propinavit. Gemmæ immenſi pretii adeo viles huic ignaviſſimo ſtoloni erant, ut terræ alliſas pedibus conculcaret; aurum, argentum in vicos ſine diſcrimine ejiceret: nonnunquam ferro arrepto obvios propelleret, cæſim, punctimque domeſticos feriret. Sed non alias luculentiora emotæ mentis

tis

A) Annales Ferdinandei ad annum 1616. B) Joannes Sagredo L. X. C) T. Livius Patav. D. 1. L. 1.

A. C. 1617. tis indicia prodidit, quam quod mendicabulo ſtipem petenti innuerit, ſe illi literas traditurum, quibus Chriſtianorum Imperatorem ad ſceptrum Byzantinum capeſſendum arceſſeret. Cum præterea crudeli Imperio in primores urbis ſæviret, Purpuratos contemptim haberet, deſidiæ, compotationibus dies, atque noctes vacaret, Vezirius, atque Mufftius inito conſilio cum Purpuratis, monſtrum omnibus inviſum ergaſtulo reddiderunt. Ita trium menſium ſpatio circumacto, regimen ſuum abſolvit hiſtrio verius, quam Imperator.

1618. Reliquerat Achmetes tres A) filios nondum Imperio pares. Ex iis Oſmanni, annum duodecimum agenti, ſceptrum Orientis porrigunt. Non placuit, quam prævidebant futuram, regiminis forma civibus Byzantinis, ac cæteris Reipub. amantioribus. Superiorum decurſu temporum didicerant, quoties Imperatores alieno ſub imperio, & tutela ſolium inſedere, toties domi, foriſque Rempublicam decumanis fluctibus agitatam. Purpuratorum avaritia ærarii vectigalia in ſua commoda derivata: ambitione, adulatione (communi Miniſtrorum vitio) aulam laboraſſe: & quod caput malorum, Principis indolem peſſimis artibus plerumque corruptam. Repetebant ad hæc memoria bello, & conſilio præſtantiſſimos Imperatores, quorum ductu, atque auſpiciis magnam terrarum partem ſubjugarant. *Mahometes II.* inquiebant, *duo Imperia, bis centenas urbes, duodena regna Monarchiæ Turcicæ inſeruit, Selymus I. quatuor non amplius annorum curriculo pugnaciſſimam Mamaluchorum gentem evertit, Syriam, Palæſtinam, Arabiæ, Ægyptique aliquot provincias ſub jugum miſit. Solymanus II. Rhodum inſulam, Belgradum, Budam Chriſtianæ Reipublicæ prima præſidia, Babylonem cepit, Perſas domuit.* Et reapſe ſi quis hos orbis terrores conferat cum poſtremis Imperatoribus, facile animadvertet, minoribus impendiis, pauciori militum manu, dominatu arctius concluſo, multo majora in campo feciſſe illos, quam iſti vel tentare auſi fuerint. Statim a Conſtantinopoli capta, incredibile eſt, quantum brevi populus Ottomannicus creverit. Mahometes cupiditate gloriæ in immenſum flagrans, unius Imperii limitibus concludi ſe minime patiebatur. Hic primus rigore diſciplinæ militiam excoluit, juventutem belli patientem ſigna ſequi, ordines ſervare, frontem hoſti obvertere militaribus præceptis condocefecit. Idem Janicsarorum phalangem (robur haud dubie Turcici exercitus) primus inſtituit, quæ proceſſu temporis, delectis capitibus, ad eum gradum virtutis bellicæ pervenit, ut robore animi, ac corporis, arte dimicandi nihil ceſſerit Romanorum Triariis. B) Hoc Imperatore, talibus viris non militia gravis, non labor inſolitus, non locus ullus aſper, aut arduus erat, non armatus hoſtis formidoloſus: virtus omnia domuerat. E diſciplina hujus Mahometis, Imperatores aliquot, martiali calore & ipſi accenſi, pugnaciſſimum militem ſub ſignis habuere. NEQUE enim generoſus exercitus Ducis unius ſpiritu vivit, ut eo decedente virtus omnis langueat. Igitur miles par Imperatoribus ſuis, unam virtutem præ oculis habuit. Cum hoſte cominus congredi; urbes impugnare; mænia inſcendere; inediam, hyemem, ſolem ferre in deliciis numeravit.

His adminiculis ubi Monarchia Ottomanorum in Aſia, Africa, Europa in dies incrementa cepit; populi, armis quondam inclyti, bello domiti, urbes arte, & natura munitæ vi ſubactæ, Veneta Respub. ad pacem compulſa, terra, marique omnia cederent, ſecundæ res primam Imperio labem attulerunt, ſuccedentium Imperatorum deſidia, nimiæ cupiditates fortunam everterunt. Sub Mahomete III. ingens illa Orientis potentia inclinari eſt viſa, quod juventute inter luxuriæ inſtrumenta traducta, animum deliciis enervatum ſolio intulerit. Depravato capite, neminem puduit

Purpu-

A) Osmanen, Amurathen IV.; & Ibrahimum. Alii ſeptenos numerant, quorum nomina interciderunt. B) T. Livius Patav. D. I. L. VIII. Genus hoc militum fortiſſimum erat. Ultimi in aciem educebantur, ſi ancipiti pugna certatum. Inde rem ad Triarios rediiſſe, cum laborabatur, proverbio increbuit.

Purpuratorum vitiis potius, quam virtute inclarescere. Ea tempestate Sinanes, & Ferhates, duo principes viri, ambitione, avaritia celebres, cum Soltana imperiosa Domina aulam rexerunt, amicitias, inimicitiasque non ex re, sed commodo suo æstimantes, Imperii vires debilitarunt. Ita Stephano Bathorio, Transylvaniæ Principe, fastu Sinanis a Turcis avulso, Byzantium rerum penuria ingruente seditionibus multo tempore duraturis miscebatur. Vezirii inter se commissi jurgia, lites exercebant, alter alterius authoritatem eversum ibat, quoad Ferhates arte inferior, æmuli odiis cecidit, & Sinan non multo post aula proturbatus. Nempe MALE SIBI consulunt publici neglectores. Factione istorum militaris disciplina, quæ ad eam diem floruit, magnam partem labefactata est.

A. C. 1618.

Cum enim non Soltana modo, sed armatæ militum voces ad obtinendam, aut conservandam armorum præfecturam non leve pondus haberent; quo sibi devinctos, fidosque facerent, contra Majorum morem multum rigoris dempserant. Inde vitia quasi pestilens contagio, Præfectos perinde, ac gregarios invaserunt. Feroces illi animi, Præfectorum indulgentia sibi relicti, veterem disciplinam per intervalla exuerunt. Et revera Mahometis, de quo dicere institui, regimen nihil reddidit infame magis, quam milites sui; qui renovata sæpius seditione, & vires ipsi suas attrivere, & statum labascentis Imperii inimicis prodidere. Ex quo non mireris, a tot hostibus fuisse uno eodemque tempore Ottomanos vexatos, & Achmetem nobilissimis urbibus in Oriente spoliatum, partim ignavia militum, partim Nasuffis collusione. A) Hæc dum altius perpendunt amantiores Reipublicæ, & fortunam suam cum moribus immutatam dolent, Imperii curas ad optimum quemque transferre cupiebant. At Osmannes, vetus Ottomanorum sanguis B) præteriri non potuit, neque ea conditio temporis fuit, ut de sanandis vulneribus cogitare liceret. Purpurati eo celerius Imperatorem salutaverunt illum, quo certiori spe lactabantur, se iterum non minus in Adolescentem, quam vectigalia dominaturos.



OSMANNES I.

IMPER. OTTOM. X.



NEc quietum, nec diuturnum regimen obtinuit Osmannes, præferocis animi Princeps, & non minus suis, quam hostibus gravis. Excusso Purpuratorum jugo initium regnandi fecit, ostenditque eo facto, se non alieno, at suo duntaxat consilio Rempublicam moderaturum; quod immaturum ei fatum attulisse videtur, vixdum profligato Polonorum bello, cujus occasio hæc erat. Cosaccorum gens, ut supra narravimus, per ea tempora jam terra, jam mari prædabundis agminibus omnia circa Byzantium infesta reddiderat, tanto quidem majori Turcarum ignominia, quanto leviorem hostem audacter incursantem litora, otiosa fronte aspexere. Cum quotidie fumo ex incendiis, fugaque agrestium, & nautarum urbs Imperatoria tumultus cieret, & cives prope obsessi, non auderent oppido egredi, visum est Osmanni prædones, prædarumque fautores non ad Byzantium, sed in Polonia, hostili terra ferro, & flamma ulcisci. Multorum quippe animis ea opinio insederat, e factione Polonæ Reipublicæ, nubem illam Cosacco-

A) Vide de his res gestas Mahometis III. & Achmetis I. B) Inspice Principum stemmata ab Antonio Albizio Nobili Florentino collecta cum brevibus ejusdem notationibus, æri incisa Augustæ Vindelicorum.

A. C. 1619. rum in Turcarum regiones concitari. a) Atque hic aculeus tam alte infixus erat etiam Imperatori, nulla ut ratione deinceps evelli potuerit.

Antequam Polonos hostes pronunciaret, conventum solito celebriorem apud se indixit, non tam sententias aliquorum, quam affectus exploraturus; simul ne invidia laboraret apud plebem, si suo tantum consilio, bellum decerneret in populum, per tot annos nihil hostile in Ottomanos moventem. Purpuratorum plerisque invisum erat Polonicum bellum. Calil maris Præfectus, in eam sententiam propendebat; classem armatam immitteret potius in Hispanos, veteres hostes, & ambigua fide fœderum custodes. *Nuper in Africam* (dicebat) *eorum classem vela fecisse, novamque bellorum materiem & dedisse, & quæsivisse. Intensissimæ curæ Præfectorum deberi, quod ingens illa procella, nullo illato Africanis urbibus damno, resederit. Fas jam esse Osmanni fœderum violatores domi suæ opprimere; Hispaniam alioquin colonorum vacuam, facile ab instructissima classe domitum iri.* Super hæc addere parantem, Cussaines purpuratus (ut fors sui Principis animum altius inspexit) interpellavit, monuitque maritima bella sustineri diu non posse per ærarii angustias. Quanquam istud ea de causa dixerit, quod certum, exploratumque haberet, Imperatorem armorum præcupidum in castra proficisci velle, vetitum tamen lege patria, ut caput Imperii, mari, infido adeo elemento, semet concredat. Flexo deinde sermone (in quo discrepabat ab Osmanne) in Hungaros, aut Persas bellum continuandum suasit. *Utramque regionem*, dicere perrexit, *magnis exercitibus alendis opportuniorem præ Polonia, si acerbior fortuna res Ottomanorum affligeret, in promptu adesse præsidia, quo se fugitivi recipiant. In longinquis, nudisque Poloniæ campis, etsi nullus hostis occurrat, vel annonam carpat, aut ad latus incedat, omnia intuta.*

At Alil Vezirius, tanto alienior a belli consiliis, quanto certior Osmannem copias ducturum, si arma tractanda; otium tum militi, tum exhaustæ patriæ pernecessarium ajebat. Et justa solicitudo virum, cæteroquin ingenio minime frigido, veterem militiæ angebat, ne eductis exercitibus ad integrum bellum conficiendum, Asiæ turbatores novo tumultu, priori vixdum sopito, Turciam incenderent. Ad hæc *negavit decorum, aut conducibile, Imperatorem maximæ monarchiæ latrocinia verius, quam justum bellum Cosaccorum vindicare velle, quibus ut ad populandos finitimorum agros, tectaque urenda vis sit, ita in acie, ac collatis signis nullam omnino esse. Nam si Mustaphas*, inquit, *nuper exauthoratus nobiscum simul deliberaret, quid aliud tibi persuasum cuperet, quam ut hoc bello te, patriamque implices, ut legionum robore in Europam, aut Asiam deportato, tu ipse eo proficiscaris; Byzantinam aulam alterius fidei, curæ gubernandam committas: hoc est, ut per tuam absentiam hominum turbulentorum fraudes, machinationes ad maturitatem perducas, ad quamcunque motæ multitudinis auram, throno excidas. PLEBS seditionibus innutrita mobili impetu fertur. Jam in hunc, jam illum sua studia transfert. NULLUM profundum mare tantos ciet fluctus, quantos multitudo motus habet. QUEM cras oderit, hodie in amoribus, in deliciis numerat. Tua adolescentia, Imperator, in tuo Fratre exemplum vidit humanæ inconstantiæ. Falleris, si existimes, te ita occupasse dignitatem Imperatoriam, nulla ut vis, nullæ insidiæ eam eripere valeant. NIMIA securitas plures Principes perdidit, quam inimicorum arma. An putas omnes tibi fide integra devinctos, quos tecum in aula versari intueris? erras Osmannes, & vehementer erras. Multi lateri tuo assistunt, te comitantur, quorum animus cum Mustapha degit. His ut præmeditatum scelus exequendi occasionem præbeas, author utique non ero. ALIENO exitu moneris, quid tibi metuendum sit.* Ingrata oratio tantum iræ concivit tumido Juveni, ut arrepto, quem pendulum gestabat, cultro, Vezirium vanis ictibus, petierit. Igitur consilium suorum aspernatus, in Poloni-

a) Polonico bello causam dedisse Cosaccos, illorum temporum Scriptores, qui quidem ad manum erant, testantur.

lonicum, quod diu coxerat, bellum præceps ruit. Alil ingravescente in dies valetudine prostratus, perculsus insuper designatione belli, post unum, alterumve mensem curas humanas exuit. a) A. C. 1619.

Hujus locum Calil Archithalassus, authoritate, gratia apud Osmannem nihilo inferior Alile, & quinquaginta nummum aureorum millibus, in belli subsidium ultro oblatis accepit, qui rursum in Hispanos irritare Imperatorem contendit. Verum ille eos hostes prosequendos dixit, quorum incursionibus miseram, intutamque pacem domi haberet. Decreta in annum sequentem expeditione, provinciarum Præfecti omnes ingenii, industriæque vires explicuere ad apparatus faciendos, quo in novi Imperatoris gratiam semet insinuarent. Miles prisca severitate lectus, numero ingenti Adrianopolim confluxit. Rex Tartarorum commonefactus, ut copias exeunte hyeme promoveret, sexaginta suorum millia adduxit. Betlenius ex fœdere jussus, armatas legiones in promptu habere ad Poloniæ limites, ne quid auxilii a Cæsare hostis acciperet, non obsecutus est modo petitioni, sed præterea formidoloso exercitu Hungariam pervagatus, Austriam, Moraviam, Bohemiam sævissimis populationibus afflixit. Rebus ita comparatis, veritus Osmannes, ne quid turbarum daret per absentiam suam Mehemetes (nam a Mustapha ob ignaviam, & corruptum ingenium nihil metuit) junior frater, eo se metu liberare statuit; suspicione præsertim ductus, quod popularem auram nimis quam avide captaret incautus. Et quamvis amicorum nonnulli, quibus haud perinde crudele consilium probabatur, persuadere homini adniterentur, ut ne fraterno sanguine famam macularet, tamen contemptim habita amicorum monitione, & suopte ingenio ab aliorum consiliis, si ultro præsertim offerrentur, aversus, in conspectu Nobilium, nullius sceleris manifestum, trucidari jussit. Hoc metu exolutus, multo ardentius in Polonos ferebatur, quos per Duces suos in Moldavia fusos, fugatosque intellexit, interfecto etiam Cancellario regni, qui Gratiano Vajvodæ in auxilium festinarat. b) 1620.

Infausta expeditio prope Adrianopolim significata est. Cum etenim præferoci equo vectus, pontem superare vellet, quatuor Dervisii laciniis male tecti viam obsident, ac stipem efflagitant. Sonipes hoc hominum monstro perterrefactus, prope sessorem suum in præterfluentem effudit. Inter eam agitationem, dum pileus gemmis, plumisque peregrinis mire ornatus decidit, sinistro omine spectantium animos complevit; nempe amissurum aliquando Osmannem Imperii insignia, sive illa charitas fuerit in Principem, sive jam tunc fortunæ casum in suas machinationes liberaliter traherent. Hoc defunctus discrimine, numerosum exercitum, c) quem unquam vidit Turcia, Poloniam versus lentis itineribus movit. In Podoliam fertilem agrum, illati Tartari rapidissimo cursu, crebris incendiis, omnique hostilitate longe lateque grassabantur. Poloni partim rumore belli, partim crepitantibus flammis circum vicinas regiones, excitati, pro aris, & focis dimicaturi, incensis animis in campum, & arenam descendunt. Palatinus Vilnensis, copiarum Ductor, vir belli, domique inter suos præcipuus, ut hostis viribus præpotentis, primos calores restingueret, universo certamine abstinendum ratus, multa accuratione, ubi castra figeret, locum circumspicit. Ad Tyram fluvium eminentiores colles occupat, & natura alioquin probe munitos, vallis, ac tormentis formidandos reddit. Mense Augusto exeunte, Osmannes immensam multitudinem suam, prope Polonorum castra explicat, utque initium victoriarum faceret, Cosaccos libero campo tendentes, aggredi statuit ante, quam castra Polonorum intrarent. Res prodita, Turcis cladem, Cosaccis victoriam attulit. 1621.

a) Hæc ex Joanne Sagredo desumpsimus. b) Chronicon Hungaro-Turcicum, Brietius, Annales Ferdinandei. c) Si fides Scriptoribus, quadringenta millia fuisse traduntur, præter Tartarorum manum.

A. C. 1621. Interim Uladislaus Sigismundi Poloniæ Regis filius, cum recentibus copiis advenit, suorumque animos ad defensionem castrorum inflammavit. Cum animadverteret Osmannes providum Ducem, haud descensurum in planiora, & ingravescens in dies fames, moram longiorem non ferret, placuit uno impetu castra hostium oppugnare, quibus captis, speravit plenam victoriam semet relaturum, nec refugis tota Polonia asylum superfuturum. Majori, quam ominabatur, impendio opus aggreditur. Repetitis vicibus in colles eluctati Janicsari, omni telorum genere obruuntur. Centum A) armatorum millia variis cladibus hausta, a Scriptoribus perhibentur. Jactura tot fortium virorum dici non potest, quantam desperationem militum reliquis injecerit. Unius Osmannis præfervidus ardor, inter suorum funera eatenus infringi non potuit, dum viribus multo superior, quasi victoriæ securus sibi videbatur. Verum ubi rumor increbuit, Sigismundum Regem suis venturum suppetias, & Janicsari seditiosas inter voces, abitum e castris flagitarent, ne cladem clade cumularet, aut ipse domesticorum odiis, sceptro, & vita spoliaretur, Polonos in tempore de pace compellavit. Illi contenti gravissimum hostem e civium cervicibus depulisse, inconsulto Rege faciles eam dant, accipiuntque conditionibus adeo parum quæstuosis, ut victoriæ fructum retulerint nullum. Summa illarum hæc fuit. *Pax in annos viginti esto, & injuriarum oblivio mutua. Cosaccos authoritate sua cohibeant, ne mari aut terra Turcarum provincias incursent, Tartarorum gentem pariter ab Osmanne frænandam, ne quid hostile in Poloniam attentet. Chocimum urbs Moldaviæ restituatur. Captivi sine lytro partibus suis reddantur.* B)

Precario impetrata pace, Osmannis castris solutis, Constantinopolim redit inglorius, non tam incusans sinistram fortunam, quam suorum ignaviam. Puduit Adolescentem stolide ferocem, a Polonis, & Cosaccis victum abire, quos uno impetu proterendos existimavit. Istud tum ingens multitudo, tum varius apparatus bellicus persuaserant. Sed miles pristinæ virtutis immemor, multum recesserat a veteri disciplina, præprimis Janicsari, quorum dextris tot celebres victoriæ, sub priscis Imperatoribus partæ. Quod cum crebro acerbioribus dicteriis palam exprobraret Osmannes, adeo animos eorum a se alienavit, ut multi rupta religione sacramenti, Imperium, auspiciumque abnuerint. Vehementius dein exarsit Constantinopoli seditio, ob stipendia aliquot mensium nondum persoluta. Imperator sive difficultatem ærarii causatus, sive potius militarem licentiam castigaturus, imprudenter ea distulerat. Inde furiose officinas mercatorum perfringunt, prædæ tantum efferunt, quantum singulis libido suasit. Nondum Osmannes seditiosorum furori cessit; adeo dignitatis suæ tenax erat. Jubet Janicsarorum, & Spahiorum quatuor millia a prætorianis circumfundi, ac armis ademptis militia exui. Mirum! quantum apud barbaros authoritas armata valuerit. Seditiosi, corona prætorianorum circumdati, metu torpentes arma illico ponunt, seque potestati Imperatoris permittunt.

1622. Hic terror pluribus incussus, paulisper militem ad obsequia revocavit, Osmanni otium dedit, nuptiarum solennia cum Mufftii filia celebrandi. c). Nacta est illa perquam liberale ingenium, quod subinde parentis disciplina excultum, celebri fama per Byzantium volitabat; ut vulgo crederetur tantum morum candore, senili prudentia cæteris anteire, quantum decore formæ illius ætatis puellas excederet. Nemo erat, qui Osmannis votum non continuo probaret. Sperabant enim consilio Soltanæ, turbidum, ac interdum desperatione agitatum, ad saniorem mentem reductum iri, probe intelligentes, ADOLESCENTUM animos facilius amore subigi, inque diversa studia flecti posse, quam precibus armatorum. Spem eam paucis ab Hyme-

A) Brietius. At Volfgangi Drechseri Chronicon Saracenorum, liberali calamo sexaginta millia addit, aitque: octies signa collata fuisse, quod nemo Scriptorum, quos adire licuit, prodidit. Fortassis tota expeditio centum sexaginta millia absumpserit. B) Hæc, aliaque apud Joannem Sagredo copiosius reperies. c) Chronicum Hungaro-Turcicum.

Hymenæo diebus contumax Imperatoris animus abrupit. Consilium cepit Mecham proficiscendi, Mahometi Prophetæ, ut ajebat, votum soluturus, quo se obstrinxerat, dum in Polonos duxit. Perculit tam longinqua profectio Soltanam, quæ facile prævidit, quam tempestatem in caput suum conflaret Imperator, si vel tenuis rumor ad plebem efflueret. Quapropter omnem lapidem movit, quo homini in exitium suum ruenti, mentem eximeret. Idem agebant amici, sed frustra.

A. C. 1622.

Res primum in aula clam agitata, mox per urbem vulgata, varios hominum motus, & sermones excivit. Alii dicebant: tædio, pudoreque victum, ob male administratum bellum, suorum civium vultus evitare velle: alii seditionibus militum offensum, cogitare novos exercitus in Asia conscribere, quibus veterem militiam, disciplinæ impatientem, penitus disjiciat, atque in ordinem redigat; denique alii) ut PRONI sunt in suspicionem animi) in eam opinionem sunt lapsi, Osmannem alibi terrarum, Imperii sedem fixurum, Constantinopoli seditionum perpetua altrice deserta. Quod cum constantius magis, quam verius Purpurati jactarent, milites perinde, ac cives in eum armarunt. Forte per eos dies eatenus expertæ fidei Ministris, arcanas literas concredidit, quas ad Præfectum Ægypti scripserat, de transferendo in urbem Mempheos Imperii domicilio. Isti dum secretum eadem fide aperiunt sibi amicissimis (nam VIX ULLUM reperias, qui tantum non credat uni familiarium, quantum sibi in amicas aures dictum) & hi rursum aliis, haud longo temporis tractu, quod arcanum singulis erat, frequentissimæ urbi publicus rumor fuit. Auxerunt suspicionem naves aliquot in Byzantino portu, quas auro, argentoque, & pretiosiori supellectile ornatas, in Ægyptum jussit solvere. Atque istud fugæ consilium manifestum prodidit. A)

Jam plebs armatis militibus intermixta, maritimos portus, urbis principes vicos occupavit, ne quis exitus ad fugam pateret. Sed nusquam major hominum concursus, quam ad aulam Imperatoris. Huc pars seditiosorum delata, longe alia, quam primo instituerant, via grassabantur. Creverant in dies animis, numeroque, posteaquam senserunt, ab Osmanne palam defecisse Purpuratos, & nonnisi paucos familiarium cum magno Vezirio, infelicis causam neglectim, aut timide tueri. Cum omnia difficultatibus impedita, atque inexplicabiles exitus videret, præceps, inconsultusque Osmannes, sapere tandem videri voluit. B) Per internuncios seditiosorum Duces ingentibus promissis onerat, si positis armis cætus perniciosorum hominum dimittant, pristinam tranquillitatem civitati reddant. c) Frustra omnia fuere. Nullæ preces, nulla Majestas furentium impetum coercuit. Ad cædem deposcunt Vezirium, cæterosque, quos sive fides in Principem, sive inopinatus casus in aulam compulit, Actum erat de salute omnium, ni copiosus imber repente effusus agmina armatorum solvisset. Altera dies nihilo pacatior erat. Repetunt turbulenti multo acrioribus animis, quam ante, arenam suam, quasi per insomnia noctis iras exacuissent. Navigia, quæ in portu stabant, Imperatori fida, in altum vela facere cogunt, ne perfugium in iis haberet. Conjunctis postea viribus in aulam irrumpunt, refractisque foribus, in interiora domus conferti penetrant, unoque ore Mustapham nuper exauthoratum, Imperatorem proclamant. In Eunuchos, domesticosque Osmannis, cum inter micantia Janicsarorum tela metu torpentes, ubi locorum esset, nescirent, aut prodere nollent, rabiem non segniter effundunt. Vezirius ratus concitatam multitudinem se complacaturum occursu suo, inconditis vociferationibus, ac maledictis appetitus, strictis mucronibus confoditur. His cædibus perpetratis ad investigandum Musta-

A) Chronicon, & passim scriptores, quanquam apud nonnullos altum de literis silentium. B) Seditionem istam varii varie literis prodiderunt. Multa reperies Tomo IX. Annalium Ferdinandeorum. c) In Chronico Hungaro-Turcico lego ipsum Osmannem e loco altiori seditiosos superbe allocutum, neque dum majestatis Imperatoriæ oblitum. Ex quo magis incitati, quam orsi sunt telam, pertexuerunt. Non congregat apes, qui es lacessit.

A. C. 1622. Mustapham conversi, opperientem fata sua ultima, in teterrimo carcere reperiunt.

Illuc jussu Osmannis, ut primum tumultus fieri cœpit, conjectus erat lenta fame enecandus. In lucem protractus ob squallorem vestis, fœdioremque corporis habitum, pallore, ac macie perempti, omnium oculos in se convertit. Ad hoc perpetuus angor, fame (crudelissimo mortis genere) amittendæ vitæ efferaverat speciem oris, ut multi ambigerent, verusne, an falsus Mustaphas esset? noscitabatur tamen in tanta deformitate a suis olim domesticis. Inter tumultuantium manus, per attritas longiori inedia vires, collapsus, frigidæ haustu, cibisque refocillatur. Eodem tempore Osmannes, in obscuro conclavis loco repertus, ut hostis, proditor patriæ vincitur, & cum inter frequentia animi deliquia se humi volutaret, strigoso equo impositus ad septem turres deportatur. A) Ni custodes petulantiam plebis cohibuissent, immani rabie discerpendum credebant, adeo ignavo cuivis crescit confidentia, etiam in Principem a fortuna desertum. Paucis post diebus Dautes Vezirius nominatus, author est Mustaphæ, ut captum mori juberet, a quo nuper Imperio, & tantum non vita spoliatus erat. Daret istud Imperii Turcici tranquillitati, nec famam clementiæ anteponeret, suæ, aliorumque saluti. Decretam mortis sententiam haud perinde ac fortem, generosumque Principem addecebat, excepit. Rudi vociferatione, inconditis gestibus morabatur carnifices, ore, manu, pedibus accedentes repellebat. Mente motum dixisses, adeo perturbate ad prorogandam vitam omnia adhibuit. Illi finem facturi tragœdiæ, strenue decertantem in sui defensionem, humi præcipitant, ac fune injecto strangulant. Hunc finem habuit ferox Osmannes, quem sola pervicacia odio populi objecit, ac perdidit, nondum egressum annum ætatis vicesimum, & primum.

Restitutus Imperio Mustaphas, & breve, & turbulentum regimen est nactus. E consilio Dautis Vezirii, Amurathem Osmannis fratrem, admodum adolescentem interficiendum constituit. Sicarii ad clamorem tenelli Principis proditi, fugam capessere coguntur. Ex quo non minor in Dautem, quam Mustapham invidia conflata. Auxerat eam apud populum cædes Osmannis intellecta, posteaquam ira mente decessit, & magnitudinem facinoris, in Imperatorem attentati sera æstimatione perspexit. MALE humanis ingeniis natura consuluit, quod plerumque non futura, sed transacta perpendimus. Et populus sive a se amoliens crudele factum, sive ex odio Dautis, omnia pro arbitrio agentis, sive nova turbarum fomenta arripiens, majoribus iris, quam luctu, funestum Osmannis finem doluit, maxime viso illius cadavere, quod Mustaphas in aulam allatum funebri pompa sepeliri mandavit. Ad hæc recens inauguratus Princeps, cum rursus ad insaniam rediret, & quotidie eversæ mentis manifesta argumenta ederet, de Imperatore eligendo consilia cum Purpurati, tum populus miscebant. Dautes tempestati imminenti subducturus caput suum, præfectura armorum abdicata, successorem accepit Chussainem.

Hic Janicsarorum Agam, quem non abs re turbarum auctorem existimavit, exilio mulctatum Scutarim ablegat. Miles tam apto instrumento serendis turbis ægre cariturus, in seditionem erumpit, arma minaciter induit, Amurathem Imperatorem deposcit. Mustaphæ mater, quo filio thronum stabiliret, liberali manu æs in seditiosos dispergit, rata, hoc aureo hamo in suas partes facillime attrahendos. Evertit hanc machinam Mufftius, accerrimo religionis telo, dictitans lege Mahometis cautum, ut ne quis Principum mente captus, Imperio apud Turcas potiretur. Non alia labe, quam ejusmodi dictione luculentius afflictæ sunt res Mustaphæ. Atque palmaria hac arte effectum, ut PECUNIA in omnes sparsa acciperetur ab omnibus, a nemine obsequium venderetur. Chussaines male sibi metuens ab irato milite, inauspicatam præfecturam Mehemeti, e Georgia oriundo, relinquit. Hæc dum aguntur Byzantii, in Asia gravissimum vulnus accepit

Turcia.

A) Chronicon hæc diffuse persequitur.

Turcia. Præfecti aliquot urbium Asiaticarum, intellecto Osmannem suorum scelere periisse, Mustapham amentem monarchiam occupasse, & turbis iterum misceri omnia, a Byzantinis palam defecere. Bichir Babylonis a) Gubernator, negato vectigali annuo, urbis dominium invasit, societate inita cum Persarum Rege. Filius ignarus hujus consilii, cum videret paternas opes, non esse resistendo Turcis, quos adventuros non ignoravit, statuit apud Regem gratiam occupare, & Patrem periculo eripere. Agit cum Persa, de accipiendo clam nocte in urbem præsidio, modo sibi fraudi non esset tantus erga gentem Persarum animus. Placide accepta est Juvenis petitio.

A. C. 1622.

Patefactis foribus, ut conventum erat, Persæ nobilissimam urbem intrant, Bichirem regni sui securum abripiunt, cives re improvisa attonitos sine cæde, sine direptione fortunarum in fidem recipiunt. Præsidiarii in extrema rerum omnium desperatione, in lucro posuere, libertatem cum vita abstulisse. Incruentæ victoriæ gaudium, eo majus senserunt Persæ, quod ab Imperio Ottomanico, tum temporis factionibus vehementer exagitato, nihil metuerent, & in dies alii Præfecti a veteribus Dominis desciscerent. Hos inter caput extulit Gianoglis, militiæ vetus. Elato rebellionis vexillo, dena armatorum millia per Asiæ oppida diffundit, incendiis hostium more, in patriam sævit. Smyrnam urbem populosam juxta, ac mercium prædivitem, in ultimas angustias conjicit, & ni Smyrnæi opes suas secundo vento in altum provexissent, prægrandi subsidio Gianoglis fortuna firmata fuisset, Pupugit merito Byzantinos violentiæ atrocitas; & vindicatum ibant, si domi res pacatior. Etenim Chussaines homo dominandi cupidus, in ea perturbatione rerum spem concepit, militum favore obtenturum se rursum Vezirii dignitatem. Quapropter partium Mustaphæ proditor, seditiosorum facile Princeps evasit. Hujus factione Osmanneæ necis authores, ad supplicium citabantur. Dautes se unice peti intelligens, celeri fuga semet proripuit. E fuga retractus, etsi culpam omnem in Mustapham, Mufftiumque transtulerit, exhibito etiam Imperatoris mandato, quo cædes jubebatur, tamen cum nullum præsidium in innocentia esset, e loco supplicii in carcerem raptus, ibidem a furenti milite lanceis confoditur. Mitius actum est cum Mehemete Vezirio, cui dignitas solum adempta. Soltana Chussainis potentia perculsa, sigillum grande classis Præfecto dari jubet. Is periculi plenum honoris gradum prudens recusat, & invita licet Soltana Chussaini cedit.

Haud diu firmus perstitit. Violentiam insitam ingenio, nimia potentia in novo hospite accendit. Primores urbis, criminando alios apud militem, alios sua invidia opportunos præcipites agit, ut unus inposterum dominaretur. Præfecturas iis potissimum confert, quos vel vitia, vel mulctæ reddidere notos. Patriarcham Græcorum munere suo dejectum, ac apud Soltanam æquitatem causæ implorantem, in insulam Rhodum abigit. Consules variarum gentium, atque interpretes pro libidine verberibus, vinculis onerat. Offendit sævum hominis ingenium equitum ordinem, quos non perinde, ac Janicsaros habuit. Tumultu excitato, tantum terroris spargunt per urbem, ut non præfecturam modo amiserit, sed ad extremas maris Euxini oras deportatus fuerit, ubi tristi in exilio e fluctuantis elementi inconstantia, fortunæ, & gentis suæ levitatem perdiscere potuit. Et profecto haud facile reperias populum, qui tam brevi temporis spatio, toties in suos Monarchas, & Præfectos conspirasset, ac Turcicus. Militum isthoc vitium erat, quos libertas agendi in perturbata Republica, ad sæva identidem consilia impulit, quanquam principem causam hanc existimem, quod plerumque ex ambientium æmulatione, auream messem facere sint soliti. Qua esca semel capti, novos perpetuo Principes, novos Præfectos postularunt.

1623.

a) Ita Bagdatum nonnulli vocant, rectene an secus? Geographi perinde, ac Turcæ, & Persæ ferro, inter se erudite dimicant. Bagdatum ruderibus Seleuciæ, quam Tigris alluit, impositum plerique scribunt, non vero ruinis Babylonis, quam Euphrates intersecabat.

A. C. 1623. runt. Nec deerant venalium dignitatum emptores, qui avaros militum animos ſpe lucri aluerunt; licet non raro projectis in illam inexplebilem voraginem pecuniis, ludibria, exilium, mortem denique ipſam incaute emerent.

Atque hoc unum morabatur vota Amurathis, Achmetis Imperatoris filii, quo minus exhauſto rapacitate Veziriorum ærario, militum animos conciliare poſſet. Quod largitionibus non valuit, Aſiaticis turbis conſecutus erat. Ceperant Perſæ, ut narravimus, Bagdatum; Gianoglis novum fundavit Imperium in minori Aſia, unde in Syriam explicaret; Cicala Purpurato, diſcedentibus e ſignis Janicsaris, profligato, in dies animis viribusque crevit. Terrorem geminavit Abaſſa Erzeri A) urbis Præfectus, qui vindex Osmanneæ necis, ſpecioſo nomine Armeniam in arma perpulit. Hæc trepide Byzantium nunciata, domeſticas turbas ſopiverunt. Mufftius alioquin a Muſtapha Imperatore averſus, præſente Vezirio decumanas calamitates, militibus ſedata oratione enarrat; hortatur ſimul amantiores patriæ, ut afflictis rebus conſilio, manuque ſtrenue adſint; de Amurathe Muſtaphæ ſufficiendo conſultent. Tum timide ſubjicit: rei argentariæ ſumma penuria conflictari aulam, nihil ſupereſſe in ærario, quo novus Imperator ſtudia militum demereri poſſet. Darent id exhauſtæ Reipublicæ, & loco muneris optimam voluntatem Imperatoris haberent. Re in deliberationem aſſumpta, communi omnium ſententia decretum: nihil nummorum ab Amurathe petituros.

Iſtarum machinationum ignarus Muſtaphas, in æſtivis cum matre Soltana otio indulſit. Vezirius collaudato militum animo, ad Muſtapham inviſit, monetque callide, in ſanctius conſilium non detrectaret venire, admoveret Reipublicæ tractandæ manum, & ſiniſtram de ſe multorum opinionem eximeret. Ille vecors, ac ſtolidus Vezirium diuturna expectatione ducit. Ad extremum interrogando, expectandoque feſſus, ut re imperfecta ad ſuos redit, refert: ſeu ſtultitia, ſeu ſuperbia inſita ingenio, nullam eum vocem emiſiſſe. Tum militum clamor oritur, Amurathi Imperatori vitam, felicitatem precantium. B) Muſtaphas ſemel, iterumque Imperio exutus, carcerique ſuo redditus juſſu Amurathis trucidatur poſt ærumnas multorum annorum. C) Hic exitus erat miſeri Principis, cui primum natura regnandi dotes negavit, ſubditi Imperium ademere, utrumque acerbum, ſi judicii ſinceri fuiſſet.



INDEX

A) Erzerum, aliis Arzerum urbs Turcomanniæ, ſeu majoris Armeniæ. B) Hæc ſparſim in Chronico Hungaro-Turcico, Sagredo, & Annalibus Ferdinandeis legere licet. C) Muſtaphas necatus eſt anno 1639.

INDEX
RERUM ET PERSONARUM.

A.

B.

C.

Constan-

D.

E.

F.

G.

H.

rur-

K.

L.

Se-

M.

 dia

N.

O.

P.

R.

T.

am

U.

V.

X.

Z.

FINIS INDICIS TOMI PRIMI.

